
9
17 L
30

IOANNIS BAPTISTÆ VERI

CANONICI PATAVINI

RERVM VENETARVM

LIBRI SEX.

QUORUM ULTIMI DUO
Hac tertia editione produnt.





VENETIIS, MDCLXXVIII.



Sumptibus Combi, & Lanouij.

SVPERIORVM PERMISSV ac PRIVILEGIO.



SERENISSIMO PRINCIPI
ALOYSIO
CONTARENO
VENETIARVM DVCI.

IOANNES BAPTISTA VERVS

F. P.



Pus jam pridem susceptum concisâ brevitate scribendi Venetæ Reipublicæ res bello gestas, cùm tertiò prodire debeat in lucem, auctum, traductumque ad hæc tempora; Tibi, non alii, Princeps Serenissime, à Familiæ tuæ ad-

ſcripto nuncupandum erat. Tibi, inquam, cui divinitus contigiſſe compertum eſt illud ſummum in Republica decus, quod aliàs inſigni animi moderatione abnuiſti. In hoc tandem ſupremæ Majeſtatis ſolio Franciſci Patrui tui ſucceſſor collocatus es, quod ille, prout Tu, per maximas Magiſtratuum, Legationumque dignitates fuerat conſequutus: ne Reipublicæ deeſſet Dux, quo imperante felicioribus auſpiciis in commune bonum coaleſcerent Religio, & Iuſtitia. His illa columnis ſuffulta; ac Tuæ Integritatis, atque Innocentiæ, propoſito ſibi exemplo, ea perennabit libertas, quam prudentiſſimi Patres ab initio curarunt extra ſervitutem ponere, æmulorum repreſſa rabie, & domito furore barbaro. Quoniam verò Deo placuit, ut fati vi cedendum eſſet in Creta, honeſta tamen pace, quæ belli finis eſt; ac paucis ante Te Principem creatum annis, quis ibit inficias hanc in Te votis conſpiraſſe, à quo fide-

liter

liter deinceps custodienda, & conservanda foret? Igitur divinâ quoque Providentiâ accidisse videtur, ut sancitâ concordiâ gauderet Respublica, Te ad illius gubernacula evecto, qui ætatem auream renovares. Interim accipe, Amplissime Princeps, hilari animo, lætoque vultu hoc qualecunque meæ in Te observantiæ pignus, quod Tibi humiliter offero: & si mihi tam beato esse contigerit; tunc forsan me Tuæ clementiæ multis nominibus devinctum cumulatè satisfecisse credam. Deum denique O. M. enixè precor, ut Tu serus in Cœlum redeas: ut Serenissima Resp. cæteras gentes in terris diuturnitate imperii vincat, quas hucusque libertatis æternitate superavit.

LECTORI
BENEVOLO.



Versatur hujus Operis argumentum in armis: sed Venetæ Gentis recenset bella, quæ ab origine ejus præclarissimæ Urbis ad hæc usque tempora Religionis, ac Justitiæ causa suscepta sunt & gesta. Cum molestis vicinis primùm, inquietisque populis; deinde sacris in expeditionibus cum perfidis,& immanibus. Verùm si aliquando cum ejusdem fidei Principibus, ne tum quidem injustè, aut temerè; sed ad propria tuenda, ad repetenda ablata,ad servanda fœdera, curandam concordiam,submovendaque odia,dimicatum est.

Res priscas præ antiquitate,& concordi scriptorum testimonio, obtrectationis vitium supergressas sincero sermone, ut sua tulerunt tempora in compendium arctavit. In novissimis,& maximè ad Cretam gesto bello omnem operam posuit, ut in his (quorum inter vivos varia fides, pretium maneat veritati) suæ scriptionis constantiam non mutaret. Eidem placuit peracta à Venetis facinora memorabilia,atque in utraque fortuna præclara virtutis edita experimenta calamo conscribere,gladio veluti,criminis vacuo, puro, & innocenti, procul ab odio, adulatione, & amore contra quos animi affectus, scriptori non minùs, quàm militi, periculosè pugnatur.Brevitas illi non erit imputanda,sed laudanda,quæ moras rumpens intempestivas, nihil subtrahit cognitioni eorum, ex quibus virtutum documenta inde promentes, aut historiarum diversitate,aut magnitudine obruantur Hoc itaque,Amice Lector, contractum Venetarum rerum Opus noli contracto supercilio, sed exporrecta fronte suscipere conceptum, editumque ab Auctore,qui sacræ mancipatus militiæ profitetur se nihil, aut pietati, aut honori suæ Patriæ citra fidem dedisse. Vale.

NOI

NOI RIFORMATORI

DELLO STVDIO DI PADOVA.

HAvendo per fede del Padre Inquisitore nel Libro intitolato JOANNIS BAPTISTÆ VERI RERUM VENETARUM LIBRI SEX; non esser cosa alcuna contra la Santa Fede Cattolica, come parimenti per attestato del Segretario Nostro niente contra Prencipi, e buoni costumi, concediamo licenza à' Combi, e La Noù di poterlo stampare, osservando gli ordini &c.
Dat. dal Mag. li 29. Gennaro 1677.

{ Angelo Correr Kau. Proc. Ref.
{ Battista Nani Kau. Proc. Ref.
{ Leonardo Pesaro Proc. Ref.

Lodovico Franceschi Segr.

RERVM VENETARVM
INDEX
LIBRI PRIMI.



INDEX LIBRI SECVNDI.

Cre-

INDEX LIBRI TERTII.

INDEX LIBRI QUARTI.

Nava-

INDEX LIBRI QUINTI.

INDEX LIBRI SEXTI.

Turca

me-

				ERRATA		CORRIGENDA
Pag. 17	lin.	6	Err.	ceciderit	leg.	cæciderit
30		29		cecidit		cæcidit
34		8		iis		iisdem
67		9		redigerunt		redegerunt
149		4		Romanus	adde	Pontifex
199		16		parumqu.		parumque
225		33		summissis		submissis
238		21		Curzula		Curzola
383		12		Xemonium		Xemonicum
396		3		Ducis		ductoris
418		20		hæc		hac igitur
425		23		alenissimo		alienissimo
447		16		quasi		quati
448		29		eb		ab
455		23		Saxorum		saxosum
461		5		singuris		singularis
471		7		lustrat	adde	hic lustrat
496		15		ceciderint		cæciderint

Vidit Nicolaus Gulielmius C.P.

IOAN-



IOANNIS BAPTISTÆ VERI



CANONICI PATAVINI
RERVM VENETARVM
LIBER PRIMVS.



SI ulli populo unquam visum est licere suam ad Deos originem referre, Veneto maximè jus est; neq; enim, nisi Deum in aquis tantæ molis, ac tanti miraculi auctorem existimare ab eventu putandum: ac Deo conditori, quo quidem nomine nemo alius mortalium gloriari potest, stupenda suis primordiis augustissimæ Vrbis incrementa, atq; in hunc usque diem sapientissimæ Reipublicæ administratio humanæ varietatis expers, respondent. Etenim grata Civitas à Numinis cultu sub ipsum initium, & à religione natalem annalesque suos auspicata est: nempe à dedicatione Templi, quod incendio repentè sedato dicatum Divo Iacobo, extruxit, post Christum natum ccccxxj. mense Martio. Prima Vrbis administratio neque Regia neque Consularis. Vnicum, aut ex singula-

gulari duplex imperium olim in tyrannidem abiit. Qua de causa prudens Resp. suum libertatis decus plurium dominio fascibus integrum tutari voluit. Singulis nanque in insulis singuli creabantur Tribuni, penes quos summa vitæ, necisque erat auctoritas. Annuum placuit esse hunc magistratum, decretumq; vt si quid gravius accidisset, conventus omnium indiceretur in aliam, atque aliam insularum, ne in una continuata dignitas invidiam pareret, atq; imperii jus collocare videretur. Verùm quia tantæ Reip. initia, leges, acta claris scriptoribus memorata sunt: nos paucis perstringemus & quas ipsa domi contentiones, & studia habuit: & quæ foris bella à primis ad hæc usq; nostra tempora confecit.

Res gestæ sub Tribunis.
A.C. DXXXVI.

VEnetum nomen propagari cœpit iis artibus, quibus deinceps semper Majores nostri studuere, nempe maritimis: nam in mari fundata Vrbs, à mari, aut injuriam timere, aut illatam vindicare debuerat. Anno quingentesimo trigesimo sexto Iustinianus Imperator Amalasunthæ Reginæ necem ulturus in Gothos bellum suscipit, duce Belisario. Hic adversus Vitigem ejus gentis Regem Romam strenuè defendit, cæsoque exercitu, reliquum hostem Ravennam usque propellit, quò insecutus fugientem, cùm urbis munitionibus tutum expugnari posse diffideret, ad deditionem fame compellere meditatur. Sed quia deerant naves, quibus à mari, & à fluminibus prohiberentur transpadanæ Gothorum urbes, ne commeatum obsesso Regi deferrent, petit Belisarius à Venetis, ut iis comparatis, atque instructis, natum penè cum ipsa Rep. Græcorum imperium tuerentur. Præsto fuere, nihilque duxerunt illustrius, quàm pro amico Principe arma primùm

mùm

mùm capessere. Naves ergo alias adverso Pado traducunt, ne Ticino Ravennam aliquid inveheretur: alias in fluminis ostio sistunt, ne quid à vicino mari in obsessum oppidum comportari posset. Hæc inter hostica classis, Vitige per extrema omnia opem solicitante, Ticino delata secundo amne in Venetam irrupit solidè instructam. Repulsi fractique Barbari, Veneto ex navibus acriter, nec minùs ab utraque Padi ripa Belisarii milite dimicante, post desperatam salutem sese cum tota classe dedidere Imperatorio duci, penes quem belli fructus, apud Venetos summa laus fuit. Hac una victoria occupata Ravenna, & captus Vitiges. Anno post hanc pugnam quintodecimo Totilas Italiæ Regnum adeptus cum altero Iustiniani exercitus ductore Narsete infelici exitu conflixit. Primum victoriarum omen pro Græcis apud Anconam maritimam urbem illuxit, Venetis navali prælio decertantibus. Hi compluribus rostratis ad liberandum obsidione oppidum navigantes, cum in Gothicas triremes, & numero, & robore validiores incidissent, iniquos apparatus æqua virtute tolerarunt; Vtrisque igitur infestis proris concurrentibus, dubio marte aliquandiu pugnatum est: tandem procedente prælio, quo Veneti clarum militiæ specimen edidere, Totilæ classis profligatur.

Ducum Origo.
DCXCVII.

CAeterùm Tribunicia potestas, quæ ducentos annos duraverat, sub hoc tempus novo Magistratu inducto, in hunc modum excidit. Cœperant finitimorum armis Reipublicæ fines turbari, vixque intra ipsas insulas, Tribunorum incuria atque inertia, Veneti tutos se credebant, sæpiùs à proximis populis piraticam exercentibus vexabantur. Hi Gradum, & Heracleam continentis oppi-

da populari, noctu in Rivoaltum descendunt, ibidemq; aliquot deprædantur onerarias. Navium custodes à Tribunis tum negligentiùs suo munere fungentibus in excubiis dispositi, non prius latrones repulere, quàm incondito clamore universam Civitatem perturbassent. Re cognita fit undique ad naves concursus, fuganturq; tumultuaria decertatione piratæ, non paucis tamen Venetorum aut occisis, aut vulneratis. Insolita clades adeò omnium animos perculit, vt quasi violata Vrbis esset securitas, & libertas, Tribunis abrogatis, unius Principis, novus induceretur Magistratus, nomine Ducis. quo pacto prudenter constitutum, ut in eo, quod titulo rectius, & augustius est, apud unum, unius nomen, & majestas supra cæteros insignis esset: &, quòd pro libertate singulorum tutiùs apud plures, administratio, & imperium pluribus, iisque Patriciis, committerentur. Anno servati orbis sexcentesimo nonagesimo septimo: urbis verò conditæ ducentesimo septuagesimo sexto primus omnium recenti dignitatis splendore Paolucius Anafestus insignitur, vir præ aliis conspicuus. Anafesto Marcellus Heracleanus successit. hunc excepit Horleus Vrsus, qui ab instituta Ducis dignitate cùm trigesimus nondum annus præteriisset, facinorosa seditiosorum manu opprimitur. Tanta rei novitate perturbata Resp. alteram publicæ administrationis formam reperit, & pro Ducibus Magistros militum sibi creavit, quorum munus annuum. Attamen & his post sextum annum sublatis, cùm se superbè, atq; insolenter gererent, ad Duces reditum est. His primùm Heraclea urbs: deinde Methamaucum imperii sedes fuit: postremò Rivoaltus. Cæterùm si Reip. benè constitutæ salus, dignitas, ornamenta, & securitas firmantur legibus: his Veneta tam sanctis semper usa est, ut non mirum, si per tot jam ætates primam illam & religionem, & nunquam interruptam libertatem pari fortuna, studioque ad nostra usque secula conservatam,

con-

conſervatura deinceps ſit. nam cujus origini Deum affuiſſe compertum eſt: nunquam ei humanam virtutem, & ſapientiam crediderim defuturam.

Prima Venetorum Ducum expeditio ad Ravennam. DCCXXV.

HOrleus Vrſus ita quotidianis laboribus, rebuſque navalibus Venetam juventutem exercuit, ut ea, quæ tum temporis quaſi adhuc metu proprii exitii collecta multitudo in inſulis veluti deliteſcebat, apud exteros demum clarior innotuerit. Hinc primùm ſub tanto Duce Venetæ genti peperit decus Ravenna recepta. Parebat ea urbs Græcis Imperatoribus, quibus Veneti favebant publicæ augendæ rei ſtudio. Civilium per ea tempora diſcordiarum fluctibus agitatam facilè ſe oppreſſurum vt agnouit Luithprandus Longobardorum Rex cum exercitu Ildeprandum nepotem tranſmiſit, qui brevi urbem non tam bellicis oppugnatam operibus, quàm inteſtinis diſſidiis proditam occupavit, fugato Exarcho. Is ad Venetam fidem confugit, Gregorio II. Romano Pontifice ad Rempublicam litteris flagitante. Miſſum igitur inſtructiſſimæ claſſis auxilium octuaginta triremium. Sed ut hoſtes nihil minùs metuentes faciliùs pellerentur, Horleus, ficto repudiati Exarchi titulo, evulgatoque ſuo in Orientem apparatu, noctu Ravennam enavigat. Ita, ubi primùm illuxit, propè urbis mœnia applicuit, jactis, quà opus, pontibus, & per muros maturato uſu ſcalarum jubet ſuos in incautos deſcendere, uno, eodemque tempore, quo Exarchus, dato ſigno, cum terreſtribus copiis, quas tumultuario delectu in Aemilia comparaverat, urbem clamore maximo, impetuque aggreditur. Exciti re inopinata Longobardi, Venetum jam incubantem faucibus nec repellere, nec ſuſtinere potuerunt. Ildeprandus ſomno adhuc obrutus, improviſoque tumultu

tu perterrefactus, cum neque consilii quidquam, neque virium, occiso Peredæo duce, amplius haberet, in Vrsi potestatem devenit. Sic Ravenna Longobardico jugo erepta Græcis restituitur: atque inde Venetum nomen illustrius redditum, ac in finitimos postea acriùs, vehementiusque insurrexit.

Bellum inter Heraclianos, & Æquilios.
DCCXXXVII.

BEllum hoc civile crescentis Reipublicæ statum aliquandiu turbavit. De finibus in multos annos protracta controversia inter Heraclianos, & Aequilios: nunc assiduè, & sine intermissione toto biennio infestiùs repetita est, sæpiùs ancipiti eventu, certa demum utriusque gentis calamitate, & vastatione ambarum urbium, quæ ad Anaxi ostia sitæ erant. Præsentium discordiarum Vrsus auctor habitus, dum Heraclianis nimiùm studere creditur, adversæ partis odium incurrit: quare post multas hinc inde illatas, acceptasque clades à tumultuante populo interficitur, mutata in Principem fide vel metu, vel necessitate.

Conjuratio Galla in Theodatum Principem.
DCCLVI.

THeodatus Vrsi Principis filius, ac publicæ dignitatis heres, ut partes expleret optimi Ducis, cujus in primis est tueri suos, ne unquam externis pateant aggressionibus, Brundulum castrum, quod imminet ostio Athesis, quà in mare influit, firma arce muniendum, latisque vallandum aggeribus curavit: profectus & ipse in eum locum, ut opus præsentia accelerarct. Hanc nactus occasionem Methamaucenus quidam, Galla nomine, tyrannidis suspicio-

nem

item in Principem apud cives concitavit. Ea injecta vùlgo, creditaq; cùm nimia suspecti sceleris indignitate omnium animi angerentur, facta conspiratione, ad arma concursum est, ac Theodatus ex improviso interceptus congressu iniquioris aliquanto pugnæ, fortisque, dum parati imparatos invadunt, fuga etiam sibi consulentibus, qui circa Ducem versabantur: in quem exinde Galla sceleratas manus injecit, ac dignitate, nec non & oculis orbatum procul à patrio solo relegavit. Restitutæ quasi libertatis vindici Gallæ summus Reip. honor defertur. sed cùm partam scelere potestatem per scelus exerceret, ea altero anno exuitur, effossisq; luminibus justas sui flagitii pœnas persolvit.

IN Longobardos Expeditio.
DCCLXXIII.

ADversus Longobardos Carolus Gallorum Rex, ob res præclarè gestas, Magnus cognomine, prosperè dimicavit. Eos populos ducentis ante annis ad invadendam Italiam è Scandinavia Oceani Aquilonaris peninsula exciverat Gothorum terror, exitiumque Narses, masculæ prorsus virtutis miles, qui non minùs sagaciter, quàm verè Imperatrici se ad pensum revocanti, ordiar, inquit, telam, quam nec ipsa tu, nec maritus facilè retexet. Postremus Longobardorum Rex Desiderius, quamvis exutus viribus, armisque Gallicis Ticini obsideretur, haud tamen recuperandi Regni spem abjecerat, qui aperto amne sat commodè bellum trahebat. Quamobrem, ut urbs cum hoste citiùs caperetur, Venetorum auxilia solicitari cœpta. Hi Romano Antistiti, Regiq; Gallo sic precantibus XXV armatis navibus in Padum, Ticinumque trajecti, omni auxilio inclusum hostem spoliant; eundemq; sequenti anno victum, capto oppido, in Galliam Carolus abducit. Ex hac decora expeditione Veneti ab Adriano Pontifice in

grati

grati animi monumentum obtinent, vt Episcopali dignitate Rivoaltus nobilitaretur, quam olim Gradentium propriam demum in Patriarchalem commutavit Nicolaus Quintus sexcentesimo, ac septuagesimo septimo pòst anno, idque muneris, honorisque Laurentio Iustiniano sanctissimo viro primùm obtigit.

Civiles Venetorum tumultus. DCCCII.

Mauritius Galbajus Princeps, ita sibi in Reip. administratione publicum amorem conciliarat, ut filium obtineret dignitatis consortem, & successorem, pernicioso quamvis ad posteros exemplo, quod annis CC. circiter, ac LX. usque ad Principatum Dominici Flabanici invaluit: nam tum mos ille cooptandi in gubernanda Rep. socii, successorisque sublatus est. Mortuo Galbajo Ioannes filius Mauritium ex se natum in imperio collegam ascivit. Sed vt primùm juvenis mores se detexere, Venetos concessæ potestatis pœnituit. nulla erant scelera, quæ liberæ genti invisa non committeret. hæc Pater dissimulatione alebat: quare eò usque progressum, vt ex sese Mauritius omnia tam humana, quàm divina administraret. Ea propter Ioannes Patriarcha Gradensis amicitiæ jure crebriùs admonuit, ne pergerent tantis criminibus se fœdare: scirentq; libero populo imperare sibi datum. Verùm degenerant Principes in tyrannos, quando justæ admonitionis sensum excutiunt. Illi pium censorem ægrè ferentes Gradum paratis bello navibus clam provehuntur, Patriarcham fraudis ignarum capiunt, celsaque turri præcipitant exprobrantes ei, quòd Principibus oblatrasset. Infandum parricidium Venetus, aut ferro, aut igni expiandum conclamat. at interim popularem impetum compescuit delata Patriarchalis dignitas Fortunato demortui nepoti. Is nihilominus commissi

missi à Ducibus sceleris vindictam reposcens, conjuncto sibi Obelerio Methamauceno, ad Carolum Magnum in Galliam proficisci meditabatur, ut regia arma adversus Duces excitaret. de hoc illi moniti consilio Gradum rursus perrexerunt. Fortunatus arrepta fuga maturauit in Galliam: Obelerius cùm in Taruisinum agrum recessisset, ab exulibus Venetis, & Ducum hostibus Reip. Princeps declaratur, validaque agrestium manu adiutus, Methamaucum oppugnatum venit. Joannes, & Mauritius à suis destituti, cum se armato hosti opponere non possent, subito effugio, Mantuam petiere. Victori Obelerio publica administratio confirmatur, datusque socius frater, cui Beato nomen. Interim, quia de revocandis in urbem, & imperium Ducibus compertum est studere Heracleanos: Obelerius Aequiliorum auxiliis subnixus impigrè obstitit. nec manu minùs, quàm lingua promptus, ut Joanni, & Mauritio spem omnem in patriam redeundi eximeret, suis persuasit, non priùs à civilibus discordiis cessatum iri, quàm ipsa una Heracleanorum urbs funditus deleretur. ita commisit utrumq; populum, qui in diversa distractus continuis diffidijs, præliisque se eò usque laceravit, donec mutua clade cives, mutuoque excidio civitates ambæ conciderint. Ex eo tempore Methamaucum, & Rivoaltus insulæ habitatoribus auctæ. Cæterùm exacti Duces patria, & honoribus spoliati, Nicephorum Græcum Imperatorem adiere imploratum subsidia, quibus ad suos reducerentur. Quam ob causam Fortunatus & Obelerius veriti, ne impetrata ope pellerentur, Pipini Italiæ Regis arma in Græcos rebellium auxiliarios fautores sollicitarunt. Attamen diversum sortita est eventum Gallica expeditio; dum sanior Veneti populi pars, Angelo Baduario consulente, in eam sententiam coiret, non esse cum Nicephoro fœdera violanda. Hinc Obelerius, ac Beatus, qui contrà obstinatissimè nitebantur, popularem tumultum ut declinarent, exules urbe discesserunt, ac in

patriam concitavere Pipinum. Nec multò pòst divisum Orbem constat inter Carolum Magnum Pipini patrem, & Nicephorum ea lege, ut alter Orientis, alter Occidentis Augustus diceretur: & medius inter duo Imperia, veluti utriusque terminus, Veneta Respublica staret, tertium veluti Numen, nulliq; obnoxia majestas.

Bellum Gallicum cum Pipino. DCCCIX.

CUm Pipino Italiæ Rege declarato bellum gessere Majores nostri, non tam hostium strage funestum, quàm suæ virtutis experimentis præclarum: atque tum primùm pro libertate deprompta fuerunt arma. maximeque hoc bellum curam Reip. sollicitam habuit. populus enim in se, vicinosque satis pollens, utrùm in procurrentis imperii Gallici impetum, ac in omnem partem valeret, non sine trepidatione dubitatum. Ea certè belli contentio fuit, ut in experimentum illata fato putaretur, an scilicet Veneta virtus imperium stabile contra omnes, ac æternum quaqua versum habitura foret. Re vera Pipini ambitio Venetos invasit, ut imperij sui fines dilataret. Nostri hostium minas sprevere primùm freti Græcorum classe sub Paulo Patricio: quo tandem discedente, propter occultas cum civibus quibusdam simultates, soli rem sedulò navarunt. Sub hæc conatur Pipinus legatione transmissa Venetos ab Imperatore Græco retrahere: idemque speciosis nominibus agit cum Dalmatis, ut horum populorum auxiliis, concessoq; usu portuum, tutiùs alienas ditiones occuparet. Nostri, quamvis neutrius censerentur imperii, Nicephori tamen rebus summè aderant, cùm id Reip. interesset. quare neque regiis in præsens postulatis, ut antea, neque Ducum adhortationibus acquievere. His commotus Pipinus bellum acerrimè intendit, parataque numerosa classe primùm Dalmatiæ portus

portus vexare cœpit: mox inde crebris incursibus proxima urbi loca infestare. id animo cogitabat fore, consulente Obelerio, ut occupatis in vicinia insulis, & oppidis, nulli Venetias commeatus importarentur, atque ita nostri, exclusis terra marique ad vitam necessariis, inedia tandem, ultimo obsessarum urbium malo, compulsi deditionem facerent. At Veneti, nec hosti cedendum, nec bellum remittendum rati, ut Gallum propulsarent, majores naves in anchoris juxta Meduaci portam stare jubent adversus navigia, quæ Rauenna duci credebantur, Brunduli arcem geminato præsidio communiunt: & contra fluviatiles lintres ex omnibus insulis contrahunt minores cymbas. Hæc inter Pipinus terrestri exercitu omnem littoris oram occupat, Brundulano vico potitur, præter arcem. Clodiam exindè pergens subegit, ac reliqua circùm stagnantia loca breui temporis momento in potestatem suscepit. Methamauceni, cognita vicinarum gentium calamitate, certique imminere hostem, maturè omnes in Rivoaltum confugerunt; vacua Gallis hospitia relinquentes. Ejus fugæ nuncio Pipinus graviter iratus, quia se tum deceptum spe, suisque è manibus elapsam prædam videbat. Nostri in Rivoalto confidentes ob insulæ inaccessæ situm universas Gallorum vires, & furias in circunfusis longè, lateq; æstuarijs facilè sperabant elusum iri. Interim compluribus diversi generis extructis navigiis Rex ex Albiola solvit, & ut pro comperto habuit, Venetis certum esse, aut mori, aut vincere, in eos ferociter movit innumerabili missilium jactu. illi, quibus à Classis Præfecto, cui Victori nomen, fœlici omine, in hostem promittebatur victoria, tum navium agilitate, tum rei navalis, ac præsertim canalium errantium peritia, observato aquarum in altum recursu, in adventantem Gallum à fronte, à lateribus impigrè inuehuntur. Crudele continuò miscetur certamen. hostes prædæ cupiditate trahi: Veneti pro aris, focisq;, proq; ipsa libertate, qua nihil

carius, in pugnam ruere. ob id acerrimè dimicantes memorabilem Gallorum cædem edidere. Ita fractus Pipino animus, injustæq; expeditionis præmium clades, dedecus fuit, ac fœdus discessus: immò certa mors. ubi enim Mediolanum se recepit, debacchante in semet ira, ob rem malè gestam, paucos intra dies extinctus est. Sic aduersus Caroli Magni filium prosperè pugnatum accepimus: & bono Reip. fato. nam tum primùm ob excisum Methamaucum Ducalis sedes in Rivoaltum ab Angelo Baduario, qui Gallicam dissuaserat societatem, ad publicam evecto administrationem traducta est, quò loci in posterum adeò crevit res Veneta, ut non minùs finitimis, quàm longinquis populis etiam bello par esset: ipsaq; urbs haud immeritò omnium Italicarum regina habeatur.

Bellum Saracenicum primum. DCCCXXVII.

SAraceni superioribus annis vincendo longiùs progressi Constantinopolim, Byzantium olim, integro septennio obsedere: mox ab irrito conatu in Hispaniam navigantes, totam eam provinciam, Gothis fœliciter expulsis, occuparunt. At Galliam deinceps incursantes, victoriisq; audentes Carolus Martellus contudit, prostravitq;. Tandem barbaræ quod reliquum nationi Sicilia, Calabria, Apulia, & Italiæ pleraque patuerunt. Cum his hostibus Veneta virtus pro sociis diu se exercuit: atque tum Michaelis cognomento Balbi Græci Imperatoris precibus in Siculam expeditionem Senatus misit. Susceptum in impios hostes bellum Deus non tam læto beavit fine, sed etiam muneribus auxit, allato per eos dies ab Alexandria Divi Marci Evangelistæ corpore, ut illum pro tutelari suo numine Veneta Resp. perpetuis deinde temporibus veneraretur.

Cu-

Curicta insula expugnata.
DCCCXXX.

OBelerius, post acceptam à Pipino cladem, in Curictam insulam, hodie Vegliam, recessit: sed neque tempus, neque continuata calamitas extinxerant adhuc omnium malorum incendia, cupiditatem imperii, & ambitionem. Quamobrem excitatis media in urbe factiosorum discordiis, quærebat patriæ, ac pristinæ dignitati restitui. Illum Methamauceni cives asserebant æmulatione, & invidia Joannis Baduarii Ducis patria prohiberi: jamq; minacibus armis apparebat manu reducendum Obelerium. cùm Princeps prudenti consilio domesticos in primis tumultus reprimere aggressus, sublatis penè omnibus aduersæ factionis, Methamaucum scelestorum sedem immisso igne delevit. Secundùm hæc comparata classe in auctorem scelerum se convertit. Tenuit eò usque Curictam dura obsidione, donec vi expugnatam redegit in potestatem, ac patriæ hostem ultus est. Is oppressus jugulatur, atque militum manu digno suis criminibus supplicio discerpitur.

Carossiana conjuratio in Principem.
DCCCXXXV.

CArossius quidam nomine, clarus genere, excogitati in Ducem nefandi sceleris patricios satellites habuit. Hoc auctore contracta perduellium societas, & inita conspiratio in necem Joannis Baduarij, cui nihil aliud æquè, ac virtus, & fortuna invidiam mouit. Princeps facinorosum impetum effugio in Galliam declinauit, & Carossius publicam administrationem, quasi vacantem, inuasit. Verùm quia malè acquisitum imperium haud facilè retinetur:

Veneta

Veneta plebs ſemper in priorem, ac legitimum dominum pari fide, Caroſſium adorta, orbatum oculis extra urbem ejecit: neque his contenta, ſociis conſpirationis ad unum conquiſitis, trucidatiſque Joannem poſtliminio ſuæ reddidit dignitati. Poſtremò, quòd is graves ſimultates cum Maſtalicia gente, cuius ſumma apud populum gratia, & auctoritas, exerceret, Gradum relegatus eſt, ne ſcilicet continuante diſſidio Reſp. gravius aliquod damnum contraheret.

Prima in Narentinos expeditio. DCCCXXXIX.

NArentini iuxta Naronem fluvium non procul ab Epidauro ad Illyricum mare ſiti, ſuis è latebris anguium more proreptantes quotidie ferme in mercatorias Venetorum naves erumpebant. Inſidiantium fallacia ſcopulis ferè, & ſinuum fraude juvabatur. Contra prædones modò proſpera, modò adverſa fortuna viſa eſt. In primo cum illis conflictu fœdè repellimur, Petro Tradonico Duce. Hic demum ab externo præſervatus hoſte domi periit, facta ſuorum conſpiratione. incertum qua de cauſa: ſed cùm in parricidio nulla ſatis juſta ad ſceleris patrocinium prætexi poſſet excuſatio, de ſontibus ultio eſt habita. Cæterùm non priùs Narentino bello C, ac LXX annorum finis datus, quàm jugum illi genti impoſitum, dirutaq; oppida, ut hodie, quæ, & ubi fuerint, requiratur.

Bellum Saracenicum ſecundum. DCCCXL.

VAſtabant incendiis, & rapinis Græcas cum primis inſulas Saraceni, nihilque extra injuriam, quod ferro, & igne peti poſſet. Græci proprijs diffiſi viribus, ſenſim colla-

collabante Orientis imperio, ad cohibendas hostium populationes Veneta auxilia impetrant. delectu à nostris validissimarum navium habito in hostes itum est: Venetam, Græcamque classes ductabat Joannes Tradonicus: Saracenicam Sabbas. Hic nostros juxta Crotonis littora operire statuit, quò demum loci supervenientes acre cum barbaro iniere certamen. utrimque totis viribus, animisque concursum est, & stetisset, post longum, variumque congressum, apud fœderatam classem victoria, nisi Græci ad primum ferè pugnæ signum turpiter effugissent. Exinde universus hostilium armorum connisus, & rabies conversa in Venetum, qui diu sibi, reliquisque animo, ac virtute par, ad extremum numero hostium, ac suomet labori impar lassas manus, non victas Saraceno permisit. Triremes ferme omnes, aut captæ, aut mersæ. Prospero hoc successu elati Barbari in Dalmatiam rectà nauigarunt, ut onerarias Reip. apud Tergestinos interciperent, cùm priùs singulos captivorum variis cruciatibus enecassent, atque ita omne odium tum in Venetum nomen effudissent.

Secunda in Narentinos expeditio.
DCCCLXIV.

ILlata ab Saracenis clades Narentinis invadendæ Reip. occasionem præbuit. quamobrem per ea tempora ita Adriaticum mare infestum reddebant, ut Venetiarum ora nihilo melior appareret, quàm cujusque arctissimè obsessi oppidi. Sic oppressa civitas in latrones continuò exiliendum proclamabat. non expectandum, ut mediam in urbem irrumpentes, huc usque florentem infanda barbarie fœdarent. Patres iis querelis accensi, vulgique alacritate animosa in victoriæ auspicium traducta, XXX longarum navium classem quàm celerrimè comparant, cui Ursus Baduarius præficitur, vir tanti nominis in re bellica, ut ad

evul-

evulgatum instructæ classis, delectiq;ducis nuncium Narentini reformident. ob hanc probè causam, non modò sese subeunti Baduario obiicere non audent, sed etiam supplices pacem per Legatos exorant. Hæc tutior sperata victoria Venetos præbuit faciles deprecantibus: nec alia lex deditis injuncta, quàm ut rata æstimatione, quæ damna intulissent, ex æquo, & bono ea rependerent.

Bellum Saracenicum tertium.
DCCCLXVII.

SAraceni ad consueta latrocinia reversi Dalmatiæ, & Histriæ maritimas oras depopulantur: demum Gradum per rapinam, & nefas invadunt. Ursus Baduarius Princeps in proximos hostes, & ipsi fortasse urbi ex vicinia insidiantes valido navium apparatu progressus est. Eos circa Gradum præpropero accessu, inopinoq; ita perterrefecit, ut vel ipso pugnæ indicto signo turbarit adversam classem, & in fugam converterit. Fugientem insecutus hostem non procul à Tarento penitus profligauit. Rei fœliciter navatæ testis erga Principem extitit publicus Venetorum favor. illi ab expeditione revertenti datus consors imperii Joannes filius, qui tum etiam ipse non minori virtute contra Barbaros pugnauerat.

Comaclensis pugna prima.
DCCCLXXXI.

IOannes Baduarius paternæ dignitatis heres Comaclum, quòd intra antiquæ Venetiæ limites esset, Reipublicæ uti debitum asserebat. Hac de causa fratrem, nomine Baduarium, Romam mittere statuit, ut Pontifice auctore oppidum Veneto juri cederet. Comaclenses explorato Ducis consilio asciscunt in auxilium Rauennates, & Venetum legatum

legatum per ſuos fines tranſeuntem adorti multis vulneribus ab itinere avertunt. Baduarius in patriam reverſus brevi pòſt interiit. Joannes injuriam, fraternamque cædem ulturus juſta claſſe Comaclum aggreditur, tantoq; irati animi æſtu, ut oppidi non contentus expugnatione, omnes ferè illius incolas cruenta pugna ceciderit. Sed neque hæc vindictæ curſum ſiſtit; impotens eſt enim iracundiæ guſtus, ac ſui ipſius eſca, & fomes; in ipſos Ravennatium penetrat fines omnia vaſtando flammis, ferroque, nec prius metam cædibus conſtituit, quàm deſideratis, qui cæderentur, cùm reliqui ſibi fuga, vel in proximos montes, vel in ſubjectas caſtrorum munitiones jam antea conſuluiſſent.

Tertia in Narentinos expeditio. DCCCLXXXVII.

HI populi, quaſi anniverſarii Reip. hoſtes ex Illyrio Caprulas uſque, inq; ipſa urbi proxima loca prædabundi advolarunt. Illos à rapinis Venetus ut dimoveret, longis aliquot roſtratis inſectatus, haud procul à Miculo Dalmatiæ promontorio offendit. Petri Candiani Ducis exemplo, & adhortationibus valida in prædones facta eſt impreſſio, primoque congreſſu res Veneta ſuperior fuit. Cæterùm nutante fortuna, dum Candianus nimiùm victoriæ auidus in confertiſſimos ſeſe hoſtes protrudit, ictu ſagittæ perimitur. Eo caſu conſternata claſſis, cùm ſine duce loco ſtare non poſſet, nudatur ſenſim defenſoribus, & in rapaces manus tota concedit.

Hunni à Venetis victi. DCCCCIII.

REſpublica ſi qua vulnera ſuperioribus bellis acceperat, ea Hunnorum ſpoliis lenivit. Gens illa Scy-

thica denuò suis excita sedibus devicit in ipsis Italiæ faucibus Berengarium. atque inde strages, ruinasq; tectis, agrisque inferendo in Carnorum regionem sese effudit: magno demum impetu erupit in hanc nostram provinciam fama Venetarum opum. Tota igitur Venetia iis ingruentibus miserandum in modum vastata; nobiliora oppida direpta, eversaq; ac inusitatis cladibus infelices populi afflicti. Hoc rerum cursu, nulloque resistente, Hunni, combusta Clodia, nihil prætermittunt, quod nostri, aut pati, aut timere possent. & cùm vnam Rivoalti oppugnationem procaci animo volverent, ad hanc paratis undecumque ratibus se instruunt. Porrò Veneti, qui adversis in rebus semper invicto fuere animo, ad immanissimum hostem longè arcendum ingenti audacia, & Gallicæ quondam cladis recordatione erecti bellum procurant, exiliuntq; animosi, præsente Petro Tribuno Principe. Manus circa Albiolam conseritur, & res primò missilibus geri cœpta hostium ictus invalidi cadebant, quia instabiles, incertique. nam jaculatores barbari terrestribus assueti præliis fluctuabant in lintribus. Veneti navibus firmi, veluti stataria pugna, hostes facilè turbare, sternere, fundere, injectisque harpagonibus in fugam datos sistere, ut uniuersi aut gladiis, aut aquis perierint. Constat, modico Veneti sanguinis impendio tam celebrem de Barbaris hucusque victoribus victoriam constitisse.

Comaclensis pugna secunda.
DCCCCXXXII.

COmaclenses, deposita prioris cladis, & Venetæ virtutis memoria, obsessis viarum aditibus, in nostros illac transeuntes, latronum more grassabantur. cives sæpiùs conquesti, & mercatores de interceptis mercibus ingeminantes querelas Remp. ad arma compulerunt. sed non priùs hostibus illata, quàm præmissa legatio, qua repeteretur

tur ablatum. Et tamen tum recepta, cùm ex Reip. lege in foro jam occupato recitata Venetum habuit & testem maleficii,& judicem noxæ. Classis cum Duce in hostile solum trajecta omnia circùm diripiendo in anceps dubiumq; periculum oppidanos adduxit. At enim contra hostem jam diu, nimiumq; reluctantem expositi classiarii, & in obstinatam gentem, munitionesq; conjectæ faces. Ita postremò secuta est deditio, restituta furta, & fides publica expressa, qua Comaclenses Veneto imperio se parituros promisere.

Impiæ Finitimorum insidiæ repressæ.
DCCCCXLIV.

SEmper Veneta Resp. circumsideri visa est ab invidia, & odio finitimarum gentium. Dalmatæ, Histri, ac Tergestini, vicini populi, veriti ne aliquando illius mole opprimerentur, in eius perniciem non semel conjurarunt. Ea propter piraticis insultibus Gradum, proximaq; loca ab his latronibus sæpè vexata, & occupata: à nostris crebrò defensa, ac recepta accepimus. Mos erat convenire quotannis in templum urbis maximum Divo Petro in Insula Castellana dicatum: ubi virgines cum propinquis aderant, quælibet nuptura cui magis, aut dote, aut ore placeret. Finitimi hostes nocturna navigatione in viciniora stagna devecti, tamdiu tacitis insidiis quievere, donec nuptialis conventus ageretur, cujus tandem certiores, facto impetu, templum adorti, armisque repentè omnia turbantes dotalem virginum apparatum depopulati sunt. Insolens hoc facinus adeò Venetæ juventutis animos perculit, ut prædones persequendos nulla mora decreverit. Levioribus itaq; advecta lintribus furta iam dividentes in Caprulanis paludibus inopinatò oppressit, tantoque ardore, ut repetita præda, latrones ad internecionem usque confecerit. Re

fœliciter gesta actæ sunt Deiparæ Virgini grates, quod hucusque ex ipso victoriæ nomine observare licet.

Cædes Petri Candiani Ducis.

DCCCCLXXV.

SUpremæ dignitatis fastigium, quod clementia potissimùm, ac morum sanctitate sustineri debet, Petrus Candianus Quartus nullo non scelere corrupit. In Reip. gubernacula, adnitente populo, Patri Duci cooptatus imperium sibi uni asserere maluit per nefas, quàm cum aliis per leges habere commune: inde moliri insidias, & seditiones alere intrà ciues. Quibus studiis offensi Veneti proscripsere contumacem, spe dignitatis, ac patriæ repetendæ præcisa. At ille ingenio ferox, impetrata ab Rauennatibus ope, fœdis excursibus lacessiuit rem Venetam. Patre extincto hunc tamen eumdem civitas, quem jure odisse debuerat, populari prorsus levitate in pristinum honoris gradum exulem revocavit. Sed brevi, ut populum suæ instabilitatis pœnituit, ita Candianus meritas tyrannicæ administrationis pœnas dedit. Reversus enim in patriam, remoto pudore, ac metu, more veteris impotentiæ grassabatur. priore abdicata conjuge, VValdertam Oberti Hetruriæ Principis filiam duxit: & hac elatus affinitate omnia pro libidine gessit. Quæsita juris specie, qua velaret ambitiosos spiritus, in Opiterginos, ac Ferrarienses, inconsulto Senatu, movit, ut repeteret prædia, quæ sibi dotis nomine assignata jactabat. in præstantiores quoque viros suam sævitiam, ultionemq; confictis criminibus explevit. Postremò, ut cœpit vindicem populum, conscientia scelerum, domestico tyrannorum tortore, reformidare, regias domos communivit, & in arcis usum forti præsidio firmauit. Interim Venetus avitæ libertatis omnino memor arreptis armis conatus est intra tecta impium Ducem aggredi. Sed,

ut

ut ſe cominùs repulſum ab cuſtodibus ſenſit, alti furoris arma faces, & ignem in atrium ejaculavit, quo inteſtinus hoſtis ſubcenſus illuſtre civibus pervicaciæ ſpectaculum præbuit. Spretæ apud iratam plebem captivi preces,ac nequicquam pro infante filio deprecantis. utrique fauces eliſæ, & cadauera in macellum abiecta, memorabili exemplo puniendæ tyrannidis, ne quis ad imitandum ſcelus ſupereſſet.

Hiſtria, & Dalmatia in ditionem recepta, euerſi Narentini.
DCCCCXCVII.

Regna, & imperia tunc collabi viſa, cùm primùm ab avita religione, & juſtitia declinarunt. duobus his fundamentis deſtitutum Orientale imperium eo tempore corruit, quo Imperatores ſacrilegum cum Deo, Diuiſque bellum geſſere. Inde Principum contemptus, civium querelæ, ortæ ſeditiones, & diſcordiæ: adeò Græcorum vires eneruatæ, ut in poſterum, non fœderatis opem, non ſuis jam deſperatis rebus auxilium ferre poſſent, vel contra domeſticos, vel adverſus externos inſultus. Cùm itaque gliſcerent ubique tumultus, hi potiſſimùm in Illyricis invaleſcebant. Hiſtri, & Dalmatæ à finitimis montana incolentibus, & præcipuè à Narentinis perpetuis rapinis divexabantur. Igitur cùm ſe à tantis calamitatibus eximere propriis viribus nequirent, miſſa ad Venetos legatione, ſe,ſuaſque urbes, & liberos Senatui permiſerunt. at non priùs in tutelam recepti ſunt, quàm explorata Græci Imperatoris voluntate, ne quidquam in fœdera committeretur. Hoc facto, Petrus Urſeolus Princeps claſſe lectiſſima inſtructus confeſtim in prouinciam tranſmiſit, & primùm in Hiſtriam. Ad Venetarum triremium appulſum primi omnium Parentini alacres ſe Venetæ poteſtati ſubmiſerunt:

hos



hos ſecuti Polani, pleraque alia caſtra, & quacumque Veneta claſſis pergebat, quæ dederent ſe oppidorum legati occurrebant. omnes benignè appellatos Princeps cum muneribus, ac priuilegiis dimiſit. Mox in Dalmatiam trajectum, ubi Jaderenſes in Reip. fidem ultrò jurarunt, evulgataque illorum deditione, reliquæ ferè omnes urbes, non tam, quæ littoreis, quàm quæ mediterraneis in locis ſitæ erant, ſe Venetorum fidei commiſere. Sic tum nota omnibus Reip. æquitas, juſtitia, & mite imperium ad ſe volentes pertraxit eos populos, & retinuit humanitate magis, quàm vi. quo gubernationis genere allectæ finitimæ gentes ultrò Reip. leges amplexatæ ſunt. Corcyra tamen nigra, hodie Curzula, & Leſina, olim Pharia, illas detrectantes maluerunt omnia pati, quàm ſeſe tradere. Urſeolus, ne aliqua remanerent in provincia bellorum ſemina, quibus demum in deditis jam populis ſeditiones naſcerentur, decrevit armis uti, ubi Veneta clementia locum non inveniſſet. cùm interim repugnantium animos partim ſpe, partim metu tentaſſet, claſſem admovit, & quemadmodum hoſtem primò non violenter terrendum cenſuit, quòd voluntariam deditionem non deſperaſſet: ita ſi plus æquo protraheret ſpem, ſe nihil hoſtile prætermiſſurum minitabatur. Terra marique acri obſidione preſſi non diu reſtitere, quin deditionis ſigno clementiam, ac virtutem Ducis implorarent. Pharii diutiùs, acriùſq; reluctati ſunt. loci quippe natura, ſituque aſpero ſe inexpugnabiles arbitrabantur. Veneti adverſus obſtinatum hoſtem pertinaciter dimicantes magno impetu tentarunt irruptionem in arcem, tantaq; à noſtris miſſilium multitudo fertur emiſſa in propugnatores, ut hi, ceu denſiſsima grandine obtecti, præſidio tandem decedere, ac mœnia vacua relinquere cogerentur. Suis itaq; defenſoribus nudatum oppidum occupatur, ac ſupplicium de iis ſumptum eſt, deditionem qui diſſuaſerant. His peractis in Narentinos itur: horum caſtra,

ſtra, totaque regio latis vaſtationibus perpopulata, ac diruta, deletumque cum ipſis oppidis pervicaciſſimæ gentis nomen. Sic libuit aliquando crudeliſsimi hoſtis rabiem, & ſævitiam pari crudelitate, ac furore multaſſe. Ita igitur Narentini everſi, acquiſita Hiſtria, occupata Dalmatia. Victrici claſſe reuerſus Urſeolus ab effuſa civitate veluti triumphans excipitur, decretumq; à Patribus, ut deinceps Dux Venetus Dalmatiæ quoq; nobiliſsimæ provinciæ Princeps appellaretur.

Bellum Saracenicum quartum. MV.

FUneſto iterùm agmine Saraceni petentes Italiam, poſt ſubactam Capuam, Barium in Apulia terra marique oppugnabant. qui obſidebantur, à fame hoſte interno ac inexpugnabili mortalibus malo non minùs preſsi, quàm à circumſidentibus Barbaris, jam ſe hoſti permiſiſſent, ſi eò ampliùs Veneti rei frumentariæ, & militaris apparatus auxilia retardaſſent. quare iis laborantibus opportunè ſubvenere fortiſsima claſſe, quam militibus & commeatibus non mediocriter inſtructam eduxerant: cęterùm vehementiùs in Saracenos res geſta, recenti adhuc memoria acceptæ ad Crotonem cladis. At verò à noſtris non tam Barium obſidione liberatum, quàm ex ipſo hoſte, multis ex illius triremibus in conflictu disjectis, reportata victoria graviſsimo quidem exitu nobilis, ut Saraceni toto mari depulſi non ampliùs ab eo tempore claſsibus oras Italicas appetere auſi fuerint.

Pugna

polluerunt ſeſe Regi Pannoniæ dedentes: vicinis quoque urbibus ſollicitatis, ut deteſtandum exemplum ejuſdem fraudis imitatione comprobarent. Patrum animos inexpectatus tantæ novitatis nuncius ſummè perturbavit. niſi enim primo quoq; tempore expedita claſſis in Dalmatiam navigaret, non multò pòſt reliqui ejus provinciæ populi defecturi videbantur. Dominicus Contarenus Princeps in expeditionem profectus Jaderam eo impetu oppugnavit, ut illa aſſiduè concuſſa muralibus tormentis, fugatiſq; Pannonum auxiliis, ne exciſa à fundamentis ignominiæ ſuæ teſtis eſſet ſempiterna, novo fidei ſacramento obſtricta fuerit. Haud parùm profuit urbs vi recepta; nam à cæteris Dalmatiæ oppidis, illius expugnatione audita, fides ſervata eſt Venetis.

Bellum Normannicum primum.
MLXXX.

VEnetorum auxiliis ſæpiùs ſtetit res Græca, ſi annalibus credendum, & præcipuè, quo tempore Normanni, Guiſcardo Duce, maritimam Macedoniæ oram cædibus, ac rapinis complebant. Ea de cauſa Græci, ut proſpicerent ſuis acciſis rebus, adverſus recentes hoſtes probatam in alios Reip. opem implorant. Quare noſtri amicæ genti gratificantes validarum triremium numerum comparant, & Dominico Silvio Duce in Normannos pugnaturi ex urbe diſcedunt. Pervenere ad Dyrrachium tum obſeſſum, datoque pugnæ ſigno in aduerſam claſſem fecere impetum. Hoſtes Venetas triremes non minori impulſu excipiunt, quàm illæ in ſuas raperentur: certamen utrinq; ſuboritur cruentum, & noſtri præliari pro ipſa patria libertate, non pro ſociis, videbantur. Diu ancipiti eventu res geſta, tandem diſiectis hoſtibus, ſubmerſis, actiſq; in fugam navibus, mare Dyrrachinis antea occluſum, & ſecuritatem

D aperuit,

aperuit, restituitque Silvius magna Venetæ gentis fama. Attamen, quia fortunæ vires instabiles sunt, & repentinæ mutationes, bellum hoc à nobis prosperè confectum brevis secuta est quies, pulso ab imperio Nicephoro Botoniate, & vi illud occupantibus Comnenis. Normanni tumultibus, ac seditionibus, quæ per id tempus Constantinopoli gliscebant, pellecti, reparatis denuo viribus, Dyrrachium regressi adoriuntur, occupantque. Veneti, Græcis rursum supplicantibus, insequenti anno in eosdem hostes navalem conflictum experiuntur; diverso tamen exitu, quamvis eodem ferme loco, & Duce. Numerosissima Venetorum classis adeò dissipatur, ut ex navium multitudine, quas Princeps eò duxerat, nullæ penitus euasisse dicantur, præter parvum navigium, quo ipse cum paucis aufugit. Senatus in Silvium omnem belli cladem confert: eidemq; summo Magistratu abrogato, Vitalem Falerium substituit. Sed cùm sub novo Principe classem reparasset, non minorem altera cladem passus est, haud longè Corcyra, quarto pòst anno. Inde satis constat bellum non eos semper sortiri exitus, qui sperantur, & plus sæpè auctoritatis sibi vindicare fortunam, quàm Ducum virtutem, & ingenium.

Bellum Syriacum primum.
MXCIX.

DEcreta in Christianæ Religionis hostes expeditione apud Clarum-montem Arverniæ oppidum, adhortante Vrbano II. Pontifice, Veneti ne piæ, communique causæ viderentur deesse, classem, CC navium vt memoriæ proditum est, compararunt in id bellum, in quo diviso duas in partes mortalium genere, hinc pietas, inde fæda superstitio depugnabat. Validissimo apparatui Præfecti summo cum imperio dati sunt Henricus Contarenus Castella-

ſtellanus Antiſtes, & Joannes Vitalis Michaelii Principis filius, morum pietate, & rei maritimæ peritia viri, quibus, ut par erat, res publica, & Chriſtiana committeretur. Belli deſtinata ſedes Hieroſolymorum civitas. Hæc è Barbarorum manibus ut eriperetur tranſportati in Aſiam magni exercitus, & noſter penè orbis ſub ſignis peragratus. Porrò Veneti ſacræ militiæ dato nomine, in provinciam navigantes, ubi Rhodum appulere, à Piſanis probroſis contumelijs excepti odio ne, an invidia, minùs conſtat; an potiùs inſtigante Alexio Imperatore Græco, qui Syriacam expeditionem noſtris Principibus invidebat. Illi in certamen vocati juſtas temeritatis pœnas exolverunt, ex quinquaginta navium claſſe vix duabus & viginti fuga ſeruatis. captivæ tandem redditæ, quòd bello Chriſtiano inſeruirent, & quòd ſatis eſſet viciſſe. mirum quàm id magnanimitati, & clementiæ Venetis ceſſerit. Exinde noſtri Duces Joppen ingreſſi totius belli moderatorem Gothofredum Bolioneum adiere conſulturi quò eſſent arma dirigenda. Is, laudata Venetorum virtute, expugnandum Porphyriten indixit. Dum itaque oppidi ad radices Carmeli montis poſiti paratur oppugnatio, gravi morbo laborare Bolioneus fertur, qui, fugatis, profligatiſq; ſæpiùs in acie Barbaris, urbem, ſacrumque ſolum receperat, poſt unum, alterumve ab obſidione menſem, cùm omnium primus effractos machinis muros conſcendiſſet. Eo nuncio commoti Venetæ claſſis ductores feſtinavere Hieroſolymas. Aegrotum Regem morti jam proximum vix allocutos Balduinus Regni ſucceſſor perhumaniter excepit. Tandem ſacra venerati loca ubi in caſtra rediere, oppugnatione acriùs repetita, Porphyriten occuparunt. Mox Tyberiadem, quam nullo ſucceſſu Galli erant aggreſſi, noſtro accedente robore, in Venetorum manus conceſſiſſe, facta ab incolis deditione, teſtantur annales. In hunc igitur modum functa pro Chriſtiana Rep. maritimo, terreſtrique bello ex Syria in Adria-

D 2 ticum

ticum classis Veneta relata urbem, triumphi specie, barbaris onusta prædis ingressa est.

Bellum Normannicum secundum.
MC.

QUoniam iterùm repetitis vastationibus universum ferme Græciæ, & Dalmatiæ tractum exhauriebant Normanni: idcircò etiam ad arma rursus, navalesque apparatus contra inquietos hostes itum est. Veneti cum Pannoniæ Rege, cujus urbes ab iisdem graviter vexabantur, icto fœdere, in Apuliam armatis navibus properarunt, prudenti consilio, ut hostem ad sua tutanda ab alienis invadendis retraherent. facta itaq; in hostilem provinciam irruptione, ingens circumquaque immissus terror, trepidansque Brundusium, proximaque alia castra ultrò se dedidere. Classis, rapta non modica ex mediterraneis præda, ad suos rediit, & avocato hosti pacem dedit, sic Dalmatis, Græcisque pristina securitas restituta.

Bellum Syriacum secundum.
MCIV.

REceptas Hierosolymas, post Gothofredum, Balduinus fraternæ virtutis, atq; fortunæ heres administravit: & ut apud Christianos tantum imperium stabile, ac diuturnum constitueretur, pergebant Veneti novas semper copias, novosque commeatus in Syriam transmittere. Sed quia maximè ad illius securitatem videbatur opportuna Ptolemais si caperetur, in hanc unam oppugnandam summo studio incubuere. Itaque Ordelapho Falerio Principe, C navium classis mira celeritate transmarinis appulsa littoribus in Ptolemaidis conspectum se dedit, conjunctisq; cum Balduino viribus, urbem, quam ille antea pedestri

milite

milite frustrà tentaverat aperto mari ad omnes suppetias, veluti inexpugnabilem, sic maritima obsidione fatigauit, ut supra spem citiùs in Christianorum jus, ditionemque venerit. Ptolemaide capta Sidonem trajectum est, quæ viso classico apparatu portas aperuit; & alia etiam vicina oppida victricibus armis succubuerunt, postquam oppugnari cœpta. Inde nostri ad Pharamiam circa Nili ostia munitam arcem advecti, inita fœliciter pugna, deturbatoque vi præsidio illam à fundamentis evertunt. Sic demoliti piratarum receptaculum, maris usum Christianis in Syriam navigantibus recuperant. Balduinus ut se gratum præberet, effusus in munera Venetæ Reip. in Ptolemaide sacram ædem, forumque concessit, & ut eodem, quo Galli, jure fruerentur: eamque compluribus aliis priuilegiis in toto Hierosolymitano regno donavit.

Bellum Patavinum primum.
MCX.

FAtale ferme genti Venetæ videbatur, ne post Syriacas victorias, diuturno otio torperet; sed ut terra pariter, ac mari imperium extenderet ita de finibus orta cum Patavinis contentio. His, qui à Taruisinis, & Ravennatibus accepto auxilio superbi ac feroces ferebantur, obviàm jere Veneti circa Bebianam turrim, ut opportuniùs à finibus arcerent. Levibus primùm certaminibus dimicatum: postremò, ut in confertam, ac furentem pugnam ventum est, pro Venetis stetit victoria magna hostium cæde, & captivitate: Qui superfuere, correpta fuga, ab Henrico Imperatore tunc subsistente Veronæ exorare properarunt subsidia. Cæterùm supplicibus ille haud manu, sed consilio profuit: ut omisso novarum rerum studio circa fines pacem, & amicitiam cum Venetis inirent, discerentque confide-

ſiderandum priùs, quàm aggrediendum quidquid præter opinionem poteſt belli contingere.

Jaderæ ſecundæ defectio.

MCXVII.

ITerùm Jaderenſes, Veneto ab urbe pulſo Magiſtratu, deſecere ad Pannoniæ Regem. hic violata fœderum ſanctitate, in quæ cum Rep. adverſus Normannos hoſtes pridem juraverat, quaſvis eidem amicas, deditaſque urbes, quibuſcumque illecebris aut donariis, aut pretioſa ſupellectili, quodque magis in præſens congruere videbatur, ſpecioſo libertatis nomine ad ſe pellicere conabatur. Venetiis cùm certa iterati criminis fama innotuiſſet, extemplò parata claſſis, quæ rurſus Dalmatiam peteret. Proſpera navigatione Venetus Princeps ut applicuit, ſubitam molitur urbis oppugnationem, effuſuſque in agrum latè omnia populatur. Pannones, qui præſidio erant, haud territi erumpunt, claſſiarioſque provocant in terreſtrem congreſſum. Hoſtem docet experimento Ordelaphus, nihil intereſſe virtutis terra, an aquis dimicaretur. quamobrem tanto impetu è navibus exilit, prælium capeſsit, ut fuſi, diſſipatique ſint Pannones, tota breui cedente Dalmatia. Hac enim inſigni victoria, ſuorumque fautorum ſtrage exanimata Jadera rediit in obſequium, conditionibus victoris arbitrio acceptis in pœnam admiſſæ defectionis. Inde Sicum, noſtris Sebenicum, oppidum receptum, moxque vetitum arcis muros, à Veneto milite ſubrutos, in poſterum reparare, ne oppidum munimento confiſum deficeret. Princeps ad hæc, æquabili planè fortuna, Liburniæ montibus ſuperatis, hoſtium reliquias adhuc palantes vel cecidit, vel in captiuitatem traxit: atque ulteriùs in provinciam penetrans quotquot ſeſe obtulere caſtra, arceſque inopinato armorum terrore victor ſubegit. Hinc Venetus Dux

novo

novo Croatiæ, siue Liburniæ Principatus titulo auctus. Tandem recepta Dalmatia, propagatoque imperio clarus Venetias rediens, triumphum captivorum pompa nobilem, nec antea in urbe visum, primus duxit: reportataque de Pannonicis cohortibus vexilla templo suspendi Senatus iussit; ad excitandam scilicet virtutem gloriosum posteris victoriæ monimentum.

Bellum Pannonicum primum.
MCXVIII.

FAma rerum in Liburnia gestarum per Pannoniam gliscens universam regionem in vindictam sollicitat. Maximi apparatus exercitus, & bellicosissimæ gentis suis veluti sedibus excita potentia Venetos fines more circumfusi amnis irrumpit; recentibusque fortuna invidente victoriis breve sanè tempus ad eas recensendas, quin ad recipiendum spiritum vix mora conceditur. Patres igitur anxii de retinenda Dalmatia opportunam classem decernunt adversus ingruentem hostem quæ eodem Falerio Duce transmissa explorat circa Jaderam hostilium castra disposita, ductoque ingentis operis vallo vetitum descensum, nec minùs interclusum obsessis auxilium. Falerius omnia experiundo ut laborantibus præstò sit, ad pugnam è munitionibus elicit Barbaros, ratus quòd faciliùs inter dimicandum intromitterentur auxilia. Ita bellum hinc inde atrox conseritur, & miseranda conspicitur strages, serò ad neutram partem se inclinante fortuna: ad extremum Ducis interitus, qui dum optimi Imperatoris explet munus, non tam consilio, quàm manu præsens, occumbit, nostrorum perturbat animos, & Pannonas ferociores reddit. miles itaque suo Duce orbatus fluctuat, turbatisque ordinibus, trepida ex fuga dispersus victoriam hostibus cedit. Tantæ cladis nuncius spem conservandæ Dalmatiæ Patribus omnem

nem

nem ademit, quòd jam superiores multitudine Barbari undique per provinciam militari licentia discurrerent. Sed victoriæ nusquam temperantibus placuit Senatui non armis, verùm obviàm ire precibus, cùm & id censeri debeat honestum, quòd tuendæ Reipubl. causa sit factum. Missi igitur legati quinquennales inducias impetrarunt.

Bellum Syriacum tertium.
MCXXII.

QUis non admiretur invictum, celsioremque Populi Veneti animum, qui cùm ad retinendam Dalmatiam arma deberet conuertere, potiùs in remotam longè regionem mittebat, quippe alacriùs pro sociis, quàm pro se: magisque pro religione, quàm pro imperio dimicabat. In Syriam sub hoc tempus denuò vocatur, quia Parthi ad instar grandinis, nimborumque omnia cædibus ac funestissimis prædis evertebant. Callistus Romanus Pontifex nostros spe gloriæ concitos permovit in Barbaros, qui captum Balduinum Regem Charras in vincula adduxerant. In sacram itaque expeditionem Dominicus Michaelius Ordelapho suffectus CC diuersi generis nauium classem Cyprum versus traducit, eoq; loci audita Joppensi obsidione, ad hanc soluendam statim proras conuertit. Certior in portu sedere hostes uni tantùm rei intentos, ut intercepto commeatu maritimo, tandem se ultrò dederet oppidum fame domitum, in eos plenis velis, incitatoque remige sese immittit; validaque impressione facta tantus iisdem pavor injectus, ut oppressi, cæsique sint antequam, quid facto opus, dignoscerent. varia itaque strage, & captivitate mulctatis Barbaris, Joppe magna Veneti nominis celebritate ab excidio vindicata, hostilemque omnem classem noster prædatus miles ingenti, & locuplete præda factus est ditior. Post hæc Michaelius Hierosolymas perrexit,

ut

ut ibidem cum Varimundo ſacræ urbis præſule de belli ratione decerneret: Tyros expugnanda deligitur conjunctis exercitibus, quòd non tam ſitu, quàm opere munitiſſima haberetur. Reparata protinus claſſe, & ex Joppenſi portu deſtinato littori appulſa, ſimul urbi inſultantes fœderatæ acies, pari tantæ virtutis eventu ea ſe breui potiri poſſe confidunt. at dum ſpe longiùs in obſidione tempus protrahitur, certo ne an ad invidiam ficto auctore, terreſtres inter copias rumor emanat expeditiſsimum obſeſsis adventare auxilium, & hinc fugam Venetos meditari. Michaelius ubi primùm fœdam in ſe, ſuoſq; calumniam percipit, ad ſtabiliendam in ſociis Venetæ conſtantiæ fidem ademptum ſingulis ſuis nauibus omnem apparatum nauticum apud confœderatos, ceu fidei pignora, deponit, ut inde conſtaret, inviolabilem apud Venetos fœderum ſanctitatem neque eorum animos vel adverſa, vel proſpera unquam nutare fortuna. Hoc fidei documento ab Veneto Imperatore ſocii confirmati. Verùm qualiſcumque de maturatis auxiliis rumor hactenus increbuerat haud vanus extitiſſet, niſi interceptæ eſſent litteræ, quibus à Damaſceno Rege monebantur obſeſsi forti durarent animo, intra paucos dies auxiliares manus affuturas. Memoriæ proditum, id noſtros reſciuiſſe è litteris, quas pedibus appenſas aerius nuncius columba deferebat obſeſsis, cùm ea prætervolans ad ingentes Chriſtiani exercitus clamores concidiſſet. Noſtri opportunam rei benè gerendæ occaſionem nacti alato tabellario fictas refigunt litteras, quibus Tyrii admonerentur, non eſſe cur à Damaſco expectarent auxilia: undique hoſtilibus armis obſepta itinera: proinde parerent tempori, ac neceſſitati. Opportunum commentum votis cumulatè reſpondet: Tyrii ſiquidem ſeſe deſtitutos dubio procul arbitrati, exacto quinto obſidionis menſe deditionem faciunt. Ingreſſi urbem fœderati milites murorum, turriumque pinnis Chriſtiana ſigna præfigunt, Veneta ſci-

licet Hierosolymitanis immixta. Demum id ex fœdere obtinuit Resp. ut Tyri, receptæque Ascalonis, urbium tertia pars sibi libero jure traderetur; probatissimum virtutis, deque re Christiana benemerentis argumentum.

Bellum cum Græcis Imperatoribus primum. Jaderæ tertia defectio.
MCXXV.

FLorens in Asia Venetorum fortuna Græcorum iis attraxit invidiam. Calojoannes Imperator ob partam de Tyro victoriam Reip. fœlicitate offensus, & utcumque nociturus nihil non tentare, ut prosperos bellorum successus moraretur, atque omni Syria deturbaret. Hoc assequi fraudibus cùm non posset, ultrò indictis armis hostem sese profitetur, nisi quamprimùm classis in Adriaticum rediret. Nostri minas parvi facientes susceptam expeditionem non tam necessaria, quàm illustri contentione prosequuntur. Sub hæc Græcis in vicina Venetæ urbi loca irrumpentibus, cumque tutum nihil nauigantibus pateret obsesso mari, Michaelius subito recursu deflectens in Græciam, Rhodum primò, Chium exinde præcipua Orientalis imperii propugnacula aggressus summa belli prosperitate expugnat. pari mox fortuna nonnullæ in Aegeo insulæ vi captæ, Methone occupata, eiusque arx robustissimo communita præsidio. Hæc victoriæ fama Græcorum repressit insultus, & ab eorum classibus nostrum mare vindicta purgavit. Nec minùs Jaderam compescuit, quæ tertiùm rebellis quodam veluti contagio Spalatum, Traguriumque infecerat. Receptæ Jaderæ mœnia ubi solo adæquata, reliquis pœnæ documentum præbuere. Aliquot maritima oppida, quorum fidem Pannones tentaverant, promotis triremibus nostris conseruata. Sic fortissimus imperator Syriæ, Græciæq; ora uniuersa in Illyrium usque partim armis domita, partim

tim ab hostilibus injuriis vindicata, biennio pòst in patriam lætis acclamationibus reversus est.

Fanenses libertati restituti.
MCXXXX.

FAnum-fortunæ per ea tempora fortasse proprio numine veluti desertum à proximis Pisauri, & Senogalliæ populis crebris oppugnationibus infestabatur, hosti haud dubiè cessurum nisi ad notam Venetæ virtutis fortunam confugisset. Hac una favente servatum est. missa quippe in subsidium classis cum hostibus prælium miscet, partaq; victoria Fanensibus libertatem restituit. Asserta civitas, ne tanti beneficii memoria intercideret, multos sese annos, stato pro viribus tributo, Reip. obnoxiam præstitit.

Bellum Patauinum secundum.
MCXLIII.

PAtavini Venetos iterùm fines turbantes Meduaci fluminis aggeres non procul à Gambarariis proscindere conati sunt, apertissimo Reip. detrimento, ut per circumjacentes agros diffusæ aquæ limosis, sterilibusque paludibus urbem nostram obsepirent. Sed missis à Petro Polano Principe in turbidos hostes pedestribus copiis, res bellica strenuè gesta est, commisso ad Tumbam certamine, quo Venetus robore, animoque superior Patavinos devicit, cepitque ex eis trecentos ac quinquaginta notæ nobilitatis viros. At primatibus Patavinæ urbis testantibus, id in Veneti nominis odium haud fuisse factum, captivi ad unum remissi sunt.

Bellum in Rogerium Siciliæ Regem pro Græcis.
MCXLIX.

HIs temporibus Hydrunto emiſsus miles Rogerii Regis ductu extremum Orientalis imperii moliturus erat excidium. Is enim pro libidine efferus in Ionio mari, quod per ſummum ſcelus,& avaritiam Imperatorius Quæſtor claſſe nudaverat, Corcyram, Thebas, Chalcidem, nullo prohibente, occupavit: inde infeſtis agminibus in Peloponneſum raptus opimas quoque Bizantii prædas affectabat. Tantis malis Græcus Imperator oppreſſus ad Remp. veterum injuriarum oblitam, legatos exoratum miſit, ut pro imperij incolumitate tunc etiam contra progredientem hoſtem arma diſtringeret. Noſtri ex inſtituto turbatis amicorum rebus præſtò affuturi, validam navium claſſem in Corcyram decernunt præfectis maritimo apparatui Joanne, & Rainerio Polanis. Rebus ad votum ſuccedentibus, Corcyrenſes primò, captis Siculis triremibus XIX, hoſtili jugo exempti: mox inſula neceſſariis munita præſidiis, in Siciliam belli incendia tranſlata: faciliùs triumphandum erat de hoſte res alienas haud ampliùs invaſuro, cùm ſuarum defenſioni parùm ſufficeret. Trajectis Venetis nullum Sicilia funeſtæ cladis genus non eſt experta, pagi vaſtati, ædificia incenſa, atque incolarum permulti in captivitatem abducti. multa ubique ſtrages. Nec mirum, ſævit enim ſui quoque impotens animus, ubi impotenter irritatur, maximè ut iis opem ferat, quibuſcum amicitia, fœduſque intercedit. Ita igitur Græcum imperium ea tempeſtate Venetis armis non ſolùm, ut ſæpè antea, defenſum, ſed antiqua eidem ſervata majeſtas.

Cum

Cum Finitimis navalis decertatio.
MCL.

DOminico Mauroceno imperante adversus finitimos populos, seu veriùs piratas, pari fœlicitate pugnatum est. Sex longæ naves urbe emissæ totidem Anconitanas biremes intercepere, extorta ab latronum manibus rapina, interemptoque duce. Sed in Polanos, & Histros piraticam quoque exercentes majori apparatu transmissum. Pola obsessa in obsequium rediit ea lege, ut Veneto Principi in bellum proficiscenti daret auxilia, eadem pœna mulctati Aemonenses. Demum cum Anconitanis contracta societas, percussumque fœdus in communes hostes cum Siculis. Sic Resp. aut metu, aut amore vicinas, remotasque nationes sibi conciliare potuit.

Victoria de Vlrico Patriarcha Aquilejensi.
MCLXII.

VItale Michaelio Duce hujus nominis II bellum decernitur in Ulricum Patriarcham Aquilejensem. Hic indignè ferens Gradensem sibi Metropolitano à Romano Pontifice prælatum, cum auxiliaribus Carnorum exercitibus Gradum invadit, ejectoque Antistite, plurimam inde tum profanam, tum sacram prædam exportat. Veneti subsidia oppressis allaturi, antequam delerentur, ad primos tumultus accurrunt, Gradumque armatis triremibus delati in obvios hostes eò vehementiùs, quò iis numero impares, irrumpunt. Verùm quia pro subditis injustè lacessitis bellum gerebatur; post ancipitem diu conflictum, Carnis turpissimè fugatis ad nostros deflexit victoria, nihil inde cessatum ab armis, Ulricus in captivitatem ductus, Gradum receptum, & libero marte per Carniam excur-

excurſum: ſic tota provincia ceſſit in prædam. Rem admodum præclarè geſtam poſtremis Bacchanaliorum diebus anniverſarii ludi teſtantur. Cæterùm ut exteris gentibus id quoque Venetæ benignitatis, & clementiæ conſtaret exemplum, Ulrico cum reliquis captivis priſtina libertas à noſtris ultrò reſtituta.

Pugna cum Adrienſibus ſecunda.
MCLXIII.

PEr eadem tempora Adrienſes accita vicinarum gentium manu Venetos fines territarunt, ab Imperatore Federico Aenobarbo ad arma ſollicitati, qui Alexandro III hoſtis implacabilis noſtros Pontificiæ majeſtatis cultores, propugnatoreſque acerrimos ſummè oderat, vaſtarunt illi Caputaggeris, & Lauretum multa abacta præda. Hanc noxam ulturus Venetus, ſcripto tumultuariè exercitu, in populatores irrupit. Verùm cùm illi ſe fuga ſubduxiſſent, pari ſævitia agros, vicoſque ſubvertit. At nullum memorabile prælium cum fugaci populo initum; ex concepto tamen pavore ita ejus vires attritæ, ut nihil ampliùs in Rempubl. attentarit.

Bellum cum Græcis Imperatoribus ſecundum.
MCLXX.

FUgatis toto Adriatico piratis, producto imperio, edoctis experimento Siculis, quantum polleret Reſp. reſtituta oppreſſis libertate, ictiſque fœderibus cum finitimis populis, nulla circùm arma ſtrepebant: atque jure, poſt magnas victorias magna quoque, & diuturna pax ſperabatur. Sed inimica noſtræ proſperitatis fortuna, quæ pacata erant, turbavit, graves ferendo ſimultates inter Emanuelem Orientis Imperatorem, & Guilielmum Siciliæ

Re-

Regem, cum quo Resp. sub id tempus fœdus inierat. Græcus bellum moturus in Siculum Venetos in societatem adsciscere nitebatur: verùm nostri fœderum leges sanctè colentes negarunt auxilia, quæ in amicum Principem peterentur, Emanuel ea propter versus in rabiem, quæ arma contra Guilielmum compararat, in Remp. sine belli denunciatione convertit, vocatoque in belli aleam Pannone, hic Spalatum, Tragurium, pleraque alia Dalmatiæ oppida, suo Regno adjecit. Jussum intereà ab Senatu ut negoriatores Veneti omnes tota Græcia decederent. At ubi videt Emanuel nostros datæ fidei, & amicitiæ (rarissimum in adversis exemplum) esse tenaces, quod vi non poterat, fraudibus assequi studet. Destinatis ergo oratoribus sibi fore gratum profitetur, si Venetæ naves in Græciam ad mercimonia rursus traducerentur. Nostri, qui non nisi maturatè in arma provocari consuescunt, permissa suis in Græca emporia navigatione veteres amicitias renovant, modò cum Guilielmo inita societas non abrumperetur. In hanc igitur sententiam ivere Constantinopolim legati. At nihil expectari poterat ab Græco hoste, quod fallaciis non scateret. Primùm itaque legatos non admisit: deinde, qui ex Venetis mercaturæ operam dabant, constituta ad inauditum facinus die, toto imperio conquisitos in vincula conjecit, interceptisque navibus eorum merces in fiscum redegit: legatos etiam violasset: sed hi trepida fuga dilapsi patriam petiere. Defixit impia rei atrocitas Patrum, Populique animos, & deliberato omnium ordinum suffragiis bello, validissima expeditur classis centum longarum navium, quas totidem intra dies diligens fabrorum cura compegit, absolvitque studio festinantis vindictæ: sic annales produnt. Hæc minoribus adaucta navigiis Vitalis Michaelii Principis ductu in hostem ultionis avida dum rapitur, compressit primò totiùs Dalmatiæ defectionem, post in Eubœam delata, eam occupasset Michaelius, si Græcas fallendi

lendi artes novisset. Dum igitur insulæ Præfecto sanctè juranti, Emanuelem præsenti bello quamcumque pacem prælaturum, credit, cohibet ille à vastatione milites, & de pace ineunda legatos ad Imperatorem decernit, eorumq; reditum in hybernis iuxtà Chium statuit opperiri. Interim monitus Emanuel, quæ callidè cum Veneto acta essent, pacis conditiones moratur eatenus, ut certa nostrorum pernicie, miles otio corrumperetur, ac opportunum temporis intervallum iis esset, quibus jam mandaverat fontes, ac flumina, vnde classis aquabatur, venenatis succis imbuere. Inde virulento potu infecta adeò acerbam passa est luem, ut non priùs infelix morbus sese remiserit, quàm post uniuersi militis miserandum exitium. Fertur ex C& LX navibus, X ac VII solummodò, easque nudatas propugnatoribus, remigibusque atque semifractas funesto spectaculo remigrasse. Legimus etiam omnes in ea expeditione Iustinianææ familiæ viros periisse: unico superstite monasticæ vitæ, sacrisque addicto. Hic in Reip. commodum, Pontificis indulgentia, juncta sibi in uxorem Anna Michaelia Principis filia, uberem & beatam prolem suscepit, quæ illustri serie in hæc usque tempora propagata, inclytæ genti, dubiisque Reip. rebus sæpè domi bellique auxilio fuit ac ornamento. Dux interim, qui nimia credendi facilitate in deplorandum discrimen lapsus fuerat, consilii inops, dissipatæ classis reliquias in patriam, secundo pòst anno, omine infausto reduxit. suo enim adventu adeò sæva pestilentia urbem invaserat, ut paucos intra dies penè habitatoribus vacua, desertaque remanserit. Ipsi quoque Michaelio exitus lugubris fuit: quippe tanquam Patriæ hostis & proditor à tumultuante populo interfectus est: memorabili cæteris documento, raró ea bella fœliciter geri, quæ à ducibus suscipiuntur, hostium naturam, artesque ignorantibus, iisque minimè credendum, qui semel fidem, atque jusjurandum violarunt.

In

In Anconitanos expeditio prima.
MCLXXII.

EManuel adhuc implacabili in Venetum nomen exæstuans odio, ut nullum insidiarum, aut crudelitatis genus intentatum relinqueret, quod in ejus perniciem, & contumeliam verti posset; Henricum Dandulum alterum ex legatis, ab Senatu missis, ut repeterent quæ præterito bello Venetis mercatoribus per fraudem fuerant ablata, sub colloquii specie ad se vocatum candenti ære obcæcat. Nec contentus jura gentium violasse, Anconitanos sejunxit à nostrorum amicitia, horumque usus temeritate, rebus nostris se undequaque præbuit infensum. Verùm non defuit Reip. in adversis prudens consilium. inita enim cum Ariminensibus societate Anconitanis toto pelago interdixit, expeditaque classe hostes intra murorum septa conclusit, ita ut gravioribus in dies oppressi incommodis, pacem implorare coacti fuerint, quæ illis ea lege concessa, ut illati damni æstimatione mulctarentur.

Bellum pro Alexandro III. Pontifice in Federicum Aenobarbum Imperatorem.
MCLXXVII.

NUllum unquam bellum à Venetis alacriori animo susceptum legimus, quàm quo Romanæ Sedi sua auctoritas & antiquum decus conseruatum est. Federicus Aenobarbus cùm in animi sui deliramenta trahere nequicquam valuisset Alexandrum Pontificem hujus nominis III, ausus est eum excludere Pontificatu, & ab ejus obsequio, cultuque universam ferme Europam deterrere, aliis subrogatis Pontificibus. Verùm apud Venetos plus religio, quàm gratia, valuit: & legitimo Antistiti obsequi, ac pa-

F troci-

trocinari maluerunt, quàm præsentem Imperatoris amicitiam per nefas demereri. Idem Federicus per finitimos populos Rempublicam turbat irruptionibus: & Alexandrum ad necem inquirens, ipse Romam armato milite contendit: adventu tanti hostis perterritus inermis Pontifex, Beneventum trepidans primò, mox in Gargarum montem, inde liburnico navigio Jaderam, ac tandem in unicum libertatis, securitatisque asylum, Venetias, confugit. Tantus hospes à pio & religioso Senatu summo honore, cultuq; exceptus est, missique ad Cæsarem legati, qui illum publico nomine rogarent, ut depositis cum Alexandro odiis in ejus amicitiam rediret, ac veterem Romano Patri dignitatem assereret, reique Christianæ prorsus consultum vellet. Superbo animo Federicus legationem excepit, extrema omnia minatus, nisi ad se quamprimùm fugitivus hostis transmitteretur. Sed imperterriti Patres durissima quæque perpeti potiùs statuere, quàm fidem erga Romanum Antistitem turpi aliquo facinore contaminare. Federicus hæc inter sui impotens, ac præcipiti furore actus cum LXXV rostratis Othonem filium in oram Venetam penetrare jubet, ubi Histriæ littoribus appulsus, vi, & prece, tentatis maritimis oppidis, quædam oppugnat, quædam voluntaria deditione consequitur: Nostri non minori celeritate usi, Sebastiano Ciano Principe, & ductore, XXX longis navibus in hostem procedunt. Non procul à Salborio, quod promontorium in Piranensi tractu est, commissum inter utranque classem certamen, dubioque marte per multas horas certatum est. Postremò tamen, Deo in rem suam dimicante, Cæsariani, quamvis numero superiores, profligati sunt: eorumque classe fusa, dissipataque, LX triremes, demersis, aut fugatis reliquis, in Ducis potestatem, unà cum Othone, devenere. Infelicem ejus belli eventum, nonnisi ab irato numine profectum, Imperatoris filius religiosè fassus est; quòd si se liberum facerent Veneti, actu-

rum

rum cum patre de pacis conditionibus, quibus minimè impetratis, reversurum ad constitutum diem, sanctè spopondit. Sic ille dimissus in Germaniam Patri injustam belli causam exhibuit; ideoque à Superis immissam cladem, ac proindè tutiora fore oblatæ pacis consilia, quàm execrandum Diis, hominibusque discrimen subire. His commotus Aenobarbus Venetias concessit, & in Marciana æde veteres cum Alexandro, & Republ. simultates detestatus, fœderis, ac ineundæ pacis cupidissimum se præbuit: hæc ubi solemni ritu firmata fuit, Cæsar primùm decessit; at Pontifex, antequam Romam rediret, in accepti beneficii memoriam augustissimis Principem, & Remp. honorum insignibus illustravit. Hinc perdurat Adriatici maris, Veneto sanguine parti, confirmatum imperium, annua eiusdem desponsatione: hinc publicarum litterarum plumbea obsignatio: hinc cætera illa insignia, & ornamenta, quibus decoratur Dux Venetus, cùm se regia majestate conspiciendum tradit. Porrò ex tam pio bello Veneta Resp. clarissimum sibi inter cæteras nationes pietatis testimonium promeruit.

Jadera quarta defectio.
MCLXXXVII.

VRbs hæc insigni jam levitate clara non pudore, aut metu cohiberi potuit, quin imperante Aurio Maripetro quartam molita defectionem, ad Belam Pannoniæ Regem desciverit. Perfidiæ ac temeritati, virtute viribusq; it obviàm Resp. & in id unum sua convertit studio, ut domitum jam rebelle oppidum singulari animadversione cæteris fidei servandæ documentum præberet. Quia verò laborante ærario publico celeriter classis instrui non poterat, è civibus locupletiores, quando omnia patriæ debemus, privatas opes in publicam causam erogantes satis opportu-

num apparatum procurarunt. Privatis itaque auxiliis hoc potissimùm tempore in Dalmatiam transfretatum est. Jadera acri cincta obsidione dum assiduo machinarum impetu quateretur & circumcirca armorum fragor obstreperet, proximæ insulæ, castraque minùs firma in nostram potestatem venere. At ipsum belli caput, penè jam profligatum, cùm in deditionem nutaret, Clementis Pontificis hortationibus seruatur, pactæque sunt cum Rege Bela in biennium induciæ, & soluta obsidio. Datum & hoc jugis obseruantiæ erga Romanum Præsulem pignus, satiùsque Veneto visum est, se pium, quàm triumphatorem exhibuisse.

Bellum Syriacum quartum.
MCXCII.

IN Syriacum, sacrumque bellum Veneti haud segniter jam quartò arma corripiunt. Et quia instructissimus debebat terra, marique deduci exercitus, ut Hierosolymæ è barbarorum manibus extorquerentur, ipsi, quam poterant, lectissimam classem appararunt. Hac per Syriaca devecti littora circa Ptolemaidem constitere: urbem Saladinus Aegypti Sultanus occupaverat, quam Veneti continuata unius anni obsidione, eximiaque virtute recuperarunt, atque rursus obtinuere sibi antea jure bellico acquisita privilegia. Recepta Ptolemaide, complura littorea oppida maritimis fatigata oppugnationibus Christianæ Reip. restituuntur. His tandem, præclarisque aliis in externa provincia perfuncta bellis, Veneta classis tertio pòst anno incolumis, ac ingentibus de profligatis Barbaris onusta spoliis ad urbem appulit.

Expeditio in Pisanos.
MCXCIII.

PIsani Syriacis quoque rebus auxiliati classe, non obscuram sibi famam gloriamque in maritimo bello pepererunt; verùm æmulatione imperii, atque invidia bellicæ laudis cum Venetis toto triennio decertarunt: hinc in apertas inimicitias ventum est. Cùm primùm enim Veneta classis reducta fuit, illi extemplò aperto marte Polam, tributariam Reip. urbem, oppressere, eo consilio, ut inibi, si per otium licuisset, hybernarent, sique se offerret occasio, è propinquo omnia Venetis infesta redderent. Exciti Patres insigni contumelia, navibus ad eam ulciscendam convolarunt. Propè Polam in pugnam vocatur hostis, conseritur utrinque audacter manus, victor Venetus oppidum recipit, & plures hosticas naves in portu deprimit, ac incendit, arcemque ne ulla deinceps inimicæ genti securitatis spes ibidem restaret, muris undequaque nudat. Verùm etiam ut toto pelago fœdifragum hostem pelleret, Methonem adnavigat, & alteram in itinere classem offendit quam repetito certamine denuò superat, cogitq; Adriatico sinu excedere. Tandem propriam causam in Veneta mansuetudine reponentes Pisani, honestissimam pacis conditionem impetravere.

Bellum Constantinopolitanum primum. Tergestum receptum. Iaderæ quinta defectio. Creta Veneti juris facta.
MCCII.

TUrcarum ferum genus adeò Christiano nomini fuit ab origine infestum, ut ad illius natum excidium, & ad hominum urbiumque stragem creditum sit. Hæc publica

blica Orbis lues à Scythia, quam Tartariam appellamus, effluxit, suaque multitudine ferox, universa Asia penè subacta, jam Syriæ, ipsisque Hierosolymis, quæ erant reliquæ, inconditis armis imminebat. Sub id tempus actum de ea provincia, ac de sancta urbe videbatur, nisi deprecante Innocentio Pontifice Balduinus Flandriæ Comes, & plerique alii vicinarum regionum Principes sacræ militiæ nomina dedissent. Innumerabiles itaque copiæ, toto ferme Occidente conscripto, in Barbaros moturæ erant: at non aliorum ope & auxilio faciliùs, quàm Venetorum traiici poterant in Asiam. Delati igitur primùm Venetias Francorum duces ad convectandum belli apparatum, quod maximè in votis sacro militi erat, promptum non solùm beneficio Senatum habuere, & magnificentia liberalem (condonata nimirùm ingentis pecuniarum summa, quas mutuò acceperant) sed etiam belli socium in ea expeditione, quæ tandem conversa est in Græcum imperium. Id unum intereà ab amica gente impetrare visum, ut paribus animis, armisque oppugnata Jadera, quæ per eos dies defecerat, Venetæ ditioni restitueretur. Firmatis hac lege fœderibus, jamque adventantibus ex Occidente copiis, Henricus Dandulus, quem ab Emanuele Græco Imperatore obcæcatum diximus, ut suos, si non manu, consilio saltem juvaret, classem CC ac XL navium ex quibus LX rostratæ, cum reliquis ductoribus conscendit. Conspectu numerosissimæ classis territi Histri, qui rapinis infestabant Adriaticum, annuo tributo Venetis iterùm se subdidere. Tergestum eosdem ob insultus vi petitum in Reipub. potestatem tum primùm venit. Post hæc in Jaderenses traductum. obsidio, quò longior, eò laboriosior fuit, quia Pannones acerrimè rebellem urbem armis protegebant. Forti tamen, & obstinata oppugnatione victa, Venetum imperium quartùm accepit. Hæc dum geruntur in Dalmatia, Alexius Angelus, assumpto Commeni nomine, Isaacium fra-

fratrem Orientalis Imperii administratione, oculisque privaverat, cujus filius fuga dilapsus in socialia nostrorum castra pervenit, opem in infelicis patris subsidium adversus tyrannum deprecaturus, utque magis Ducum moveret animos precibus ingentes addidit pollicitationes; Cretam per eos dies ab Insulanis sponte sibi oblatam, Bonifacio affini suo ex Montis-ferrati Marchionibus cessit. Lacrimis adolescentis, scelerisque indignitate permoti omnes è Dalmatia Constantinopolim solvunt, & ad continentem prosperè appulsi, exposito exercitu, paratisque bello navibus, terra Franci Belgæque, pelago Veneti urbem adoriuntur, perrupta catena, quam ad utrumque Bosphori caput imposuerat Tyrannus, ne in portum pateret aditus, primùm mari per nostros ex improvisò regia urbs invaditur, & hostiles aliquot biremes capiuntur: exinde faciliùs opera bellica mœnibus sunt admota, colligatisque simul antennis è corbibus in muros jacti pontes, e quibus nostri missilibus igneque in proxima tecta conjectis, hostem ita terruere, ut eodem trepidè se recipiente primi intra mœnia disilierint. hæc dum fierent à classiarijs, ab terrestribus copiis impigrè quoque res gesta, quippe plures erumpentium Græcorum turmas prostrarunt, fugentesque subinde insecuti urbem tumultuariò ingressi sunt. Adversis his rebus Constantinopolim tanta incessit consternatio, ut torpentibus civium animis post Alexii fugam, & desperationem, profugi, & ærumnosi principes à suis recepti, & imperatores denuò acclamati fuerint Isaacius, & Alexius filius, cum quo senex pater speciem retinuit pristinæ dignitatis. Sequenti anno, dum exigere satagunt, quæ auxiliariis exsolverent in obstricti animi significationem, temporarium civium suorum ingenium experiuntur. Coorto enim tumultu à Murtzuphlo uno è proceribus imperium affectante obtruncantur: contractoque seditiosorum agmine in fœderata castra fit irruptio. Sed Græca gens novandis rebus,

quàm

quàm gerendis aptior, à nostris facilè repellitur. Murtzuphlus igitur cùm fortunam sibi tanquam impio adversam cerneret, desperata venia, fugæ potiùs, quàm bello salutem commisit. Mortuis itaque ad quos legitimè spectabat imperium, exactoque tyranno, Franci, ac Veneti novis se devincientes fœderibus in hæc pacta ivere, ut quidquid esset sociis armis acquisitum, æquo jure divideretur. Hisce conditionibus iterùm Constantinopolis oppugnatur: atque eadem, quæ priùs emicuit Venetorum virtus, & robur. Priores enim pulsis è mœnibus Græcis, urbem intrant, portas confœderatis recludunt, exceptique in hunc modum utriusque exercitus ductores, triumphali prorsus acclamatione simul consalutantur; regiam urbem in jus ac ditionem recipiunt, anno suscepti belli tertio. Balduino Comiti Imperatoria dignitas communibus Ducum suffragiis defertur, Urbis verò Patriarchalis sedes Thomæ Mauroceno Veneto. Post hæc ex fœderum lege omnes Aegei, ac Ionii majores insulas sibi Resp. subjecit: Cretam quoque recepit, aliaque plura in se commoda ex hac Byzantina expeditione luculenter congessit. E minoribus autem, quæ iisdem in maribus erant, Insulæ, ut cuique occupanti cederent Senatus consulto permissum. Hoc ubi publicè indictum, Marcus Sanutus, aliisque ex primoribus, Danduli, Viari, externi quoque nonnulli victricia illis in locis arma circumferentes, omnia, quæ piratarum, latronumque antea fuerant, receptacula sibi subegerunt. magno id factum Reip. commodo, & ad vitanda publica dispendia, & ad certum incrementum, ut, cùm opus foret, suorum civium auxiliis, viribusque uti posset.

Ex-

Expeditio in piratas prima.
MCCV.

VEneti ut parta Constantinopolitano bello non tam ab domestica insulanorum temeritate, quàm ab externo hostium insultu tuta redderent, Petro Ciano Duce, unius & XXX expeditarum triremium classem per Hellespontum disponunt, ne publica ibidem viderentur deesse præsidia. Triremibus dantur præfecti Rainerius Dandulus, & Rogerius Permarenus viri ambo nauticæ artis militiæq; peritissimi. Hi ad commissum munus egressi obvias in Adriatico sinu nonnullas præsertim latrocinantium Ligurum naves habuere, quibus, ducente Vetrano, per maritimam nostrorum oram apertissimè deprædabantur. Cum his igitur tanto impetu congressi sunt Veneti Duces, ut Ligur eorum impressionem minimè sustinuerit, victusque cùm trepidè ex acie aufugeret, reliquerit in nostras manus Vetranum, prædonum caput. Hic Corcyram deportatus piraticum scelus capite luit. Post hæc ad evertenda reliqua piratarum latibula conversi, Methonem, Coronemque, iis inde ejectis expugnant, receptaque castra firmant præsidijs. Missa quoque in Corcyram insulam nostrorum colonia, tutum adversus indigenas, ac temerarios hostes munimentum.

Rebellantium in Creta tumultus sedati.
Bellum cum Genuensibus primum.
MCCVII.

PUrgato piraticis excursibus Adriatico, Veneti ductores in Aegeum nauigarunt, ut Cretam ab invidorum armis Reip. vindicarent. Stetit tamen cupiditas hæc opere non minimo: nec nisi post varios bellorum & casuum

eventus illa iterùm Veneto imperio se submisit. Pacatam Insulam primus omnium Cretici Ducis titulo Senatus decreto administrauit Jacobus Theupolus: Cui tamen non defuit hostis in ipsa Creta nutritus & multiplici seditione contumax. Ageostaphanitæ familiæ luxus, & ambitio, quæ Insulæ imperium affectans, Cretenses ad rebellandum incitaverat. Theupolus cognita re, Marci Sanuti, qui Naxo, ac reliquis Cycladibus imperitabat, auxilia imploravit. Inde castris receptis, quæ defecerant, turbarum auctores facilè depressi sunt. Sanutus ex successu Cretensium levitate ignaviaque deprehensa, quasi non patriæ, sed sibi vicisset, cupiditate insulæ accensus, eam sui juris facere conatus est. Damnato itaque Theupoli duro, & vecordi imperio ex levi quidem causa, annonæ ad usum publicum deficientis, tumultus excitat, fugatoque legitimo gubernatore, ipse Cydone, hodie Canea, primaria Insulæ urbe potitur. Hæc Venetijs certis rumoribus sparsa sollicitarunt auxilia, quibus Sanuti protervia castigaretur. Classe igitur secundis ventis in provinciam brevi delata, audentior Theupolus Themeno, quò confugerat, egressus, dum aliò iter fingit, noctu Cydonem devenit, observataque excubitorum desidia, mœnibus scalas admovit, & intromisso milite urbem ex improviso occupat. Hinc Sanutus consternatus ægrè suas in Aegeum sedes repetit: quibus sic præclarè gestis, Theupolo in patriam reversuro succedit Paulus Quirinus. Hoc rem Creticam gerente biennio pòst altera excitata seditio, cujus incendium ex scintillula adeò crevit, ut penè tota insula conflagrarit. Interceptos aliquot sibi equos ab arcis Bonreparitanæ præfecto Joannes Scordilius querebatur, homo summæ apud Græcos auctoritatis: unde factum, ut cùm opinione sua tardius jumentorum restitutio procederet; privatam injuriam publico scelere vindicandam ratus, exstimularet in defectionem Cretenses. Quirinus ad factiosos conatus coercendos destinavit

Joan-

Joannem Gritum: qui dum exercitum inexploratò ducit, necatur à rebellibus in Pituronensi saltu circumventus. cautiùs deinde progressus Quirinus tumultuantes magna strage afflixit, & penitus delevit. Subinde Genuenses tantæ insulæ accessione veriti, ne in suam perniciem Resp. nimiùm excresceret, summo studio Venetos ex ea depellere connixi sunt. Junctis igitur viribus cum Melitensium Comite, cui plurima cum Cretensibus privatim amicitia intercedebat, totam penè insulam, quà vi, quà fraude, à Veneti nominis devotione abalienarunt. Sed Rainerius Dandulus alter triremium Præfectus, hostium conatibus armata vi occurrens, fortiter juxta, ac fœliciter pugnando, quæ desciverant, oppida recuperavit: & sic bellico quoq; jure in ditionem Venetorum Creta redacta est. Verùm incolæ novum detrectantes imperium turbas rebellionesque concitarunt, ad quas etiam compescendas biennio pòst missus idem Dandulus, dum strenui ducis & militis obit munera, tela inter dimicandum conficitur: Patres sub hoc valdè anxii de retinenda insula, in eam prudenti consilio decernunt coloniam ex patricio plebejoque ordine: qua deducta postmodum tranquilliore illius Insulæ statu potiti sunt. Verùm tamen Genuenses recentis semper invidiæ causas nacti, sævis excursionibus maria navigantibus infesta reddebant. Joannes Trivisanus classis ductor hostium insolentiam reprimere aggressus, quamvis navium numero, & robore longè impar, animo tamen superior XX eorum insectatus rates non longè à Drepano Siciliæ promontorio XII cepit, & reliquas fugavit, atque ita dissipatis prædonibus Inferum Superumque mare nostris mercatoribus aperuit. Sed & hæc victoria pacem peperit, quam supplex petiit Genuensis, eam iterùm violaturus, ubi de gloria, ac potentia certamen cum Veneta Rep. suggessisset ambitio. Post hæc Cretensi Magistratu abeuntem Quirinum sequitur Joannes Storlatus. Turbavit, & hujus admini-

ministrationis quietem tertia à prima quartodecimo pòst anno nata rebellio. Excitatam legimus à Mellesinis turbidis civibus, & qui rapinis & cædibus eos multabant, qui in nefandi sceleris societatem nomen dare recusabant. Storlatus defectionis initiis maturè occurrendum ratus, extemporaneo collecto milite sceleratis hominibus ita sese opposuit, ut reportata insigni victoria eos in tantam rerum desperationem adduxerit, ut vocato Vatazo Lesbio Principe promissoque ei Cretæ regno, illam negligerent libertatem, qua sub mitissimo Reip. dominatu frui poterant. Vatazus haud ignorans levissimam occasionem, præter spem ad res maximas veluti sese ducem interdum præbere, XXX armatas naves traduxit in Insulam, quarum Navarchus arcium oppugnationi ea solertia incubuit, ut intra paucos dies Rhitymnam, Milopotamum, aliaque castra deditione obtineret. Dux Venetus, cui jam cum duplici hoste pugnandum erat, contra Vatazianam classem constituit primùm confligere, ut externo profligato, domesticus hostis omni ope destitutus faciliùs cederet. Quare comparato navali terrestrique robore, ut in conspectum hostilis classis venit, strenuam manu consilioque navavit operam, & ita suos in pugnam hortatus est, ut Vatazianos trepidantes fugarit ab Insula, & plures naves ceperit; nec ad integram victoriam ipsa defuere numina; quippe reliquas jam dispersas propè Cythera fœdissimum naufragium absorpsit. Sublato itaque insidiarum turbarumque fomite, fracti sunt seditiosorum animi, consumptæ vires, inque fidem reducta rebellia oppida. Hinc res Cretenses sine tumultibus aliquandiu fuerunt, quietumq; imperium Storlatus Bartholomæo Gradonico successori reliquit, atque hujus miti ingenio prudentique dexteritate factum est, ut parta tranquillitate diu insula frueretur. Tandem regente Andrea Zeno magnis irarum motibus iterùm concussa est Creta. Occiso Marco Slenza viro primario, Senatus in nocentes,

qui

qui aufugerant, exilii pœna animadvertit. Verùm quia fontes ad supplicium graviùs conquirendo, perperam Candacenses querebantur; aliis contrà in eos satis animadversum videretur; in diversa ex jurgiis studia, & motus distracta plebs crebris dimicationibus ex occursu partium se lacerabant: medio urbis foro civium spectabantur certamina, spreta Ducis majestate, ut nullibi fortassis lacrimabilior civitatis facies: pars illa, quæ domestico congressu inferior erat, tanquam si cum altera ipse Dux sentiret, potiùs quàm civi cedere, externo se dedere meditatur; hinc quartam in defectionem apertissimè discessum. Cæterùm, quæ per eos dies ab Italia venerant copiæ, ductore Zeno, civiles impetus sedarunt, & nutantem Insulam captis damnatisque flagitii auctoribus, in fide retinuerunt. Non tamen diu ab consuetis turbis respiravit Creta quintam passa seditionem post quinquennalem quietem. Quidam Cortatii fratres, natalibus, majorumque titulis elati, Venetum ab Insula magistratum, & ipsum quoque nomen deturbare conabantur. Perniciosa in primis scelestorum manu quædam nobiliora castra capta, occupatæ Desilomates angustiæ, è quibus perduelles sæpè exiliebant magno insulanorum incommodo. Marcus Gradonicus, iis occurrens dimicavit fœliciter, & rebellem turbam brevi prostravit. Ab insula demigrarunt Cortatii: asseclæ pro venia supplices impuniti ulrò etiam recessere. Sopitis in hunc modum tempestatibus, quæ viginti ac sex annos Cretam exagitaverant, optata demum tranquillitas affulsit.

Bel-

Bellum Patavinum tertium.
MCCXV.

QUo tempore in Creta tumultus exorti, tertiò cum Patavinis pugnatum est. Tarvisini per eos dies, nimio fortasse luxu dissoluti, ludos quosdam militares instituerant, ad quos confluebant vicini populi, non tam ut ea spectarent certamina, quàm ut rudimentis iis ad seria se exercerent. eò itaque Venetorum ac Patavinorum juvenum plurimi accesserant: cumque Venetis jam certaminis palmam spectatores deferrent, Patavini sola invidia moti, facto in Venerum signiferum impetu, vexillum, Marcia icone, & patrio numine venerandum turpi ac probrosa contumelia lacerarunt. Ex injuria continuò orta indignatio tempore adolevit, succrescentibus odiis, & invalescentibus factionibus. Patavini, tanquam ipsi eam vim, & convitia passi essent, indictis armis in nostros concurrère primi, suppeditantibus auxilia Tarvisinis, & dimisso exercitu Venetos agros populantes intravere, nec rapinis contenti, Bebianam turrim non procul à stagnis se demolituros, urbemque ipsam invasuros minitabantur. Ad coercendam igitur hostium audaciam milites subitò conscripti sunt, qui audacter progressi hostilia castra adorti grave circa turrim ineunt certamen, quo procedente, tantum pavoris Patavinis incussum est, ut panico veluti metu perculsi quà cuique patebat ad fugam via, dilaberentur. Nihil deinde à victoria temperatum: nostri, ad prædandum in agros effusi, opima de hostibus spolia retulere: & cùm ulteriùs ad municipiorum expugnationes properarent, revocati sunt ab Senatu, pro hostibus pacem exorante Patriarcha Aquilejensi Innocentii Pontificis Legato, quam utrique populo Senatus clementissimè concessit.

Bellum in Federicum II Imperatorem. MCCXXXVI.

SUb hæc tempora, Iacobo Theupolo Remp. moderante, in duas partes divisa est Italia, quarum uni, quæ Romano Pontifici studebat, Guelforum nomen inditum: Gibellinorum alteri, quæ Cæsarem sequebatur, intestinisque odiis ac factionibus miserè lacerabatur; hæcque infanda nomina, imperante Federico Secundo, ardentioribus propagata studiis civilem pestem, ac perniciem latè in Cisalpina Gallia sparsere. Tota hac provincia perstrepentibus Cæsarianis armis in apertum discrimen Pontificia quoque dignitas ruebat, ni Veneti ex veteri instituto eam tutati essent. Itaque contra Federicum Romanæ ditionis oppida turbantem ab Senatu valida ornatur classis, & Petro Joanni Theupolo in Apuliam ducenda traditur. In eam regionem Venetus ductor profectus Thermolas, & Bestricem, aliaq; complura castra Pontificiæ sedi rursus asseruit. His peractis à mari in continens bellum translatum, Petro Theupolo duce, tum à Mediolanensibus in Prætorem ascito, pugnatum est. Porrò non eadem ubique fortuna. Theupolus enim dum ad Cortem-novam parùm prosperè confligit, accepta clade captus, missusque in Apuliam, à furenti populo ibi discerpitur, quòd antea illius frater eam provinciam in summas difficultates redegisset. Hæc inter Cæsar nostris adhuc infensus, quia Pontifici favebant, suis militibus Bebianæ turris demolitionem aggreditur. Hostiumq; impressionibus proculdubio illa cessisset, nisi confestim magna navicularum copia in subsidium missa esset. hoc auxilio pulsis hostibus turris egregiè servatur.

Bel-

Bellum Constantinopolitanum secundum. MCCXXXVIII.

PRo amicorum securitate denuò Veneti ad arma revocantur. Vt primùm namque nunciatum est Constantinopolim à Joanne Vatazo Lesbi Principe, junctis cum Ponti Rege copiis obsideri, captamque iri, si tantillum amicorum auxilia tardarent. Senatus in subsidiariam expeditionem quinque ac viginti triremium classem ductoribus Leonardo Quirino, & Marco Gussonio decernit. Hæc in Hellespontum advecta hosticam in illius pelagi faucibus offendit, quæ ibi consultò morabatur, ut impediret suppetias. Commissa itaque pugna, pari utriusque constantia, dubium diu fecit belli eventum, sed tandem devicti, superatique hostes vaga fuga nostris reliquere locum, & victoriam. Soluta urbis obsidione, partoque triumpho insigni Venetias classis remeavit. Vatazus tamen, qui Constantinopolis potiundæ impotenti ardebat cupiditate, nostrorum cognito recessu, denuò rem navalem instaurat, & majore impetu repetit obsidium. Iterùm tamen à Venetis repellitur, urbique sua securitas confirmatur Joannis Michaelii solertia, qui pro Venetis incolis Byzantii tum Prætorem agens, paucis in Vatazum eductis triremibus, atque tentata veriùs, quàm inita pugna, obsidentem non sine memorabili clade fudit; ostenditque non multitudine militum, sed animorum virtute victoriam parari.

Ferraria Romano Pontifici servata. MCCXL.

FErrariam Federicus Imperator Romanæ Ecclesiæ ademerat. Veneti igitur, qui se suaque omnia summo Antistiti devoverant, adversus Cæsarem iterùm arma sumunt.

munt. Classis nempe sub Iacobi Theupoli auspiciis Padum ingreditur, quæ intereà secundo flumine invecta, dum terra Pontificius Legatus & Actio Atestinus urbem perstringere adnituntur, bellicarum machinarum robore disjecit mœnia, unde per ruinas introgressi nostri portas recluserunt terrestribus copiis, ducto in captivitatem Cæsaris Præfecto Salinguerra Taurelio. Ex hoc posteà tempore Ferrariæ libera administratio data est Atestinorum familiæ, quæ urbem à Pontificibus Marchionis primùm, deinde Ducis titulo acceptam jure hæreditario retinuit, ad nostram propè tempestatem. Atque hæc expeditio plurima Venetis privilegia peperit in ea civitate, quæ deinceps Venetum Prætorem sibi deligendum perpetuò statuit, tunc ad id munus electo Stephano Baduario, qui Pontificias turmas deduxerat.

Jaderæ sexta defectio.
MCCXLII.

Vix à Ferrariensi bello respiratum erat: & nondum arma deposita, cùm Jaderæ toties rebellantis alia defectio hæc excitasset, quæ nunc etiam, Veneto Magistratu repulso, Regis Pannonici gubernacula susceperat. Allati nuncii rumor, quò magis sua indignitate Patrum animos incendit, eò citiùs ad parandam ultioni classem impellit. Conscripto milite, imperatoque remige in expeditionem destinatur Rainerius Zenus. Is postquam Dalmatiæ applicuit, Jaderam, tum terrestri, tum maritima manu circumdedit, & duobus mensibus terra marique oppugnatam jam sextum Venetæ dominationi subjecit. Post hæc Patribus placuit legatos in Pannoniam mittere, Stephanum Justinianum, & Petrum Dandulum, eloquentia præstantes viros, qui publicam rem eo maximè nomine juvarent, quòd à Rege impetrassent eam opem & esse, & futuram rebellibus

ultimam; remisso etiam jure omni, quod sibi quoquomodo in ea urbe esse posset. Tandem civium Venetorum colonia Jaderam ad tempus traducta est: quippe urbes domesticæ fidei exemplo stabilire interdum non minùs est, quàm easdem armis acquirere.

Compressus Alexii Calergii tumultus in Creta. MCCXLVII.

NUlla est fides, nullumque tutum obsequium, ubi fines cupiditatis augeat innata ferè viris principibus ambitio. Alexius hic Calergio sanguine opibusque superbus non unius urbis, sed totius Cretæ imperium affectabat. Tantis ea propter incendiis, direptionibusque rebellis legio, cui ille præerat, universam fœdavit insulam, ut pro certo constaret nullius mali expertem esse provinciam, in qua vigerent seditiones, ac intestina bella. Pudet ejus temporis exsecranda scelera, impios ausus, scelestasque civium cædes hìc attexere. Cæterùm in Creta extremum subiisset excidium res Veneta, nisi Vitalis Michaelii Cretici Ducis prudentia, ac dexteritate pax cum Alexio firmata esset. Juvat quandoque pacisci cum subditis. Horum quippe exasperati animi non raro in audaciam & desperationem feruntur, non impetrata Principis clementia, qua opportunè adhibita populorum querimoniæ plerumque sedantur, ac rebellionum seditionumque fax, si qua est, consopitur.

Bellum in Actiolinum Tyrannum. MCCLVI.

GUbernante Remp. Rainerio Zeno, Actiolinus Patavinorum tyrannus, ex obscuris natalibus ad regiam propè majestatem evectus, universam penè Cisalpinam Galliam obtinebat, permittente Federico II Imperatore,

cujus ,

cujus partes, & nomen ille impigrè tuebatur. Impensè audax,& impius ita in humanum genus graſſatus eſt, ut ſupra triginta mortalium millia pro libidine ingenii ſui teterrimis ſuppliciis ſuſtuliſſe dicatur. Itaque ad evertendum hoc naturæ monſtrum acceſſit Venetias Alexandri IV Pontificis legatus, ut noſtri adverſus tyrannum, diris omnibus devotum, auxiliares manus conferrent. Pontificiis monitis, & vicinarum gentium calamitate permoti Patres, confeſtim delectum militum habent, imperantque navigia, quæ ex Bebiis in Meduacos amnes devecta exercitum tutiùs, celeriùsque exponerent. Copiæ Venetæ eo conſilio ductæ in hoſtiles agros, ut populationibus, & villarum incendiis hoſtem, mœnibus incluſum, in patentes campos elicerent. Nec ſecius res contigit. Anſedinum Actiolini nepotem, & Patavinæ urbis Præfectum ad Corregiolam obvium habuere. hìc ille metari ſtatuerat, & Venetos à prædis cohibere. Verùm ex conſerta acriter manu inde ſummotus eſt magna clade, & in Saccenſe oppidum fugatus. Inſequentibus autem noſtris inde etiam turpiter dilapſum tandem excepit Patauium. Inde tota circa eam urbem belli moles, quam admotis machinis noctu diuque Veneti oppugnare decreverunt, quoad, expulſis tyrannis, libertatem civibus procuraſſent. Laceſſiti primùm ſunt hoſtes ad Pontem-curvum, atque intra munitiones fœdiſſimè rejecti; deinde circa Altinatem portam, ſupervenientibus Pontificiis, atque Ateſtinorum copiis bellum recruduit, Anſedinoque fuſo, & in fugam acto urbs capta eſt. Actiolinus accepto amiſſi Patavii nuncio, properè motis caſtris à Mantuæ obſidione in illius conſpectum advolavit: ſed irruenti, provocantique in certamen tyranno nihil aliud reſponſum objectumque, quàm grandi vallo, & robuſtiſſimis defenſoribus munita mœnia, militariſq; conſtantia, quæ inaniter furentis impetum fregit, ac deluſit. Quare cùm recuperandæ urbis ſpe fruſtraretur, quaſi in ul-

tionem versus, quos ad XII millia suis in castris habebat, Patavinos, vario mortis genere ad unum necari jussit. Hac ne dum satiatus rabie Patavino agro decedens totam Insubriam immanissimis crudelitatibus replevit. Tanta ille sævitia socias omnes civitates in se commovit, atque demum has suorum scelerum vindices habuit. Quem itaque immaniter oderant, contracto ad Abduam numeroso exercitu subitò appetiere; Deoque justæ causæ favente, tandem Actiolinus vulnerato crure captus Soncinum perducitur, ubi furiis ultricibus agitatus, sibi ipsi mortem, tyranno dignam, conscivit. Hac victoria bellorum reliquias persecuti Veneti, Albericum Actiolini fratrem Tarvisio pulsum cum uxore, liberisque obtruncarunt, ne quisquam, aut ad scelus, aut ad vindictam ex tam nefaria domo superesset. Ita penitus Actiolina tyrannide extincta, exoptata rediit libertas, quæ totis triginta quatuor annis ab universa ferme Cisalpina Galia, totaque Venetia exulaverat.

Bellum cum Genuensibus secundum. MCCLVI.

CUm Genuensibus grave, & diuturnum Resp. bellum gessit, quo gens illa, armis ferox, Venetos ita exercuit, ut hi viderentur quasi suos habere Carthaginenses. Levis quidem ea causa, quæ duos potentissimos Italiæ populos funestissimis cladibus, parva interdum respirandi mora, commisit. Genuenses in simultates pertraxere Venetorum opes, & majestas: ex quibus invidia, & odium, ac publica demum diffidia originem duxerunt. Postquam enim Christianorum Principum armis Hierosolymæ, ac ferme tota Syria Barbaris erepta est, Veneti, ut diximus, in Ptolemaide Tyroque urbibus re præclarè gesta, juris dicundi suis facultatem obtinebant, ac proprias ædes, vias, forumque: Hæc eadem jura obtinuerant Genuenses, cùm ipsi quoque Syria-

cam

cam expeditionem collato auxilio juvissent. Nihil itaque utrique genti commune, præter sacra templa. Verùm cùm de cœnobio Sancti Sabbæ in ipsa Ptolemaide orta esset contentio, singulis illud sibi vindicare conantibus, lis ad Romanum Præsulem delata ita componitur, ut eo templo, ædibusque tam Veneti, quàm Genuenses communi jure uterentur. Hi Pontificio decreto haud acquiescentes sacra domo illos arcere, eamque in munitissimam arcem redigere non sunt veriti. Nostri, tam gravi injuria affecti, decreverunt armis sua jura tueri, & nefarios hostes etiam urbe ejicere. Eapropter, Rainerio Zeno Duce, XIII triremes eductæ è Tyri portu in Genuenses Ptolemaidem appulerunt, vehementique impresione omnes hostiles naves circa urbem hærentes, ferro, & igne oppressere. Oppidum ingresi, templum à Genuensibus naviter defensum obstinatisimè dimicando capiunt, magnaque ex parte demoliuntur. Prosecuturi totis animis inchoatum bellum adversus turbidum hostem, fœdus cum Siculo Rege constituunt, accersitaque majori classe, quam ducebat Laurentius Theupolus, illum toto pelago insectantur. Sed Ligur tum magis irritatus, quàm territus, non contemnendum triremium naviumque apparatum instruxit, & Venetis apud Tyrum certamen exhibuit. Mari itaque collata manus, magnisque viribus, sed majoribus odiis decertatum: cruenta fuit utrinque dimicatio, diuque anceps, ad Venetos tamen inclinavit victoria; & ex hostium XXV navibus, omnes aut captæ fuerunt, aut aquis mersæ. hæc clades hostem lacerum, imminutumque classe Tyrum redegit: Venetus Ptolemaidem victor, ac onustus spoliis admovit, ibiq; omnia Genuensium ædificia diruit, & eorum plurimos rapuit in captivitatem. Penitus autem integro duorum annorum spatio, quo pugnatum est, deletus esset hostis, nisi Senatus dicto parens Pontificis, pactis cum Ligure induciis, captivos restituisset.

Con-

Constantinopolis à Palæologis occupata.
MCCLIX.

LEsbi Princeps Theodorus Lascaris, morti jam proximus, filio impuberi Michaelem Palæologum, qui maternum ab Alexio Comneno trahebat genus, tutorem dedit, mandata eidem tantisper potentissimæ insulæ dominatione, quoad ille capax imperii adolesceret. Palæologus per occasionem tutelæ ad invadendum insulæ imperium animum adjecit. cùm igitur regnandi cupiditate nihil sit iniquius, quæ nec divinis, nec humanis coercetur legibus, ad infandam primò pueri cædem, mox ad Constantinopolitanum imperium, occupata Lesbo, sævos, impiosque conatus direxit. Sed quoniam ambitioni suæ adversum Achajæ Ducem opinabatur, hunc bello aggreditur, & opitulante plerumque scelestis fortuna, captum vinculis destinat, & Achajam sui juris facit. Prosperrimis his rerum successibus, acquisitoque regno superbiens, Balduinum, Byzantij Imperatorem, armis invadit, regiamque urbem terra marique infestat. Is ad inopinatum recentis hostis adventum terrestri manu raptim coacta strenuè in continenti se defendit: dum non minori virtute Marcus Gradonicus, pro Venetis in ea urbe Prætor, aliquot instructis navigiis Palæologam classem propulsaret. Porrò servata fuisset urbs, si per ea tempora Balduinus Græcis non imperasset. Hæc quippe gens sua in levitate constans, Gallicum exosa nomen, & administrationem, Palæologo spem dedit urbis recuperandæ, si cum validis turmis noctu ad mœnia tacitè constitisset. Ille itaque expeditissimo milite stipatus, prope unam urbis portam furtivè consedit: ubi cùm rei gerendæ tempus advenisset, dato signo, à proditoribus necantur vigiles, & novus Imperator cum suis intra muros admittitur. Exauditur confestim horribilis debacchantium

armo-

armorum fragor, & flebiles undique voces, captum esse Byzantium. Balduinus ad omnia pavidus cùm sibi nullam recipiendæ urbis spem superesse videret, instructo properè navigio, cum Veneto Prætore in Eubœam profugit: sicque per proditionem ad Græcos Constantinopolitanum rediit imperium anno octavo ac quinquagesimo, postquam illud Galli, Venetique conjunctim habuissent.

Bellum cum Genuensibus tertium. MCCLX.

CONstantinopolis per proditionem amissæ casus non levem Veneto Senatui curam intulit. At animo præsens XVIII triremes armat, quibus Marco Michaelio imperatum, ut non solùm adversus novos, si qui forent Palæologi insultus, rem Venetam servaret: sed etiam, si è re videretur, Constantinopolim ipsam oppugnaret, & hostium loca omnia bellicis calamitatibus infesta redderet. Michaelium satis constat eam operam navasse, qua fractus Palæologus, desperatisque rebus dubio procul urbe demigraturus crederetur, nisi Genuenses in nostræ partis invidiam, suæque spem, qua Peram, urbi contiguum oppidum, & Insulam Chium mercenariò captarant, laboranti Græco opem tulissent: unde geminato hoste, duplicatoque impetu confusa virtus, Venetumque robur, imparitate actum in fugam elanguit, postremisque fatis concessit Michaelius. Verùm cùm ad cohibendas inimicorum excursiones aliæ XXX rostratæ submissæ essent: Iacobus Delphinus hoc auxilio satis opportuno erectus Eubœam rebellantem adortus est, demissoque in continentem milite per singulas illius insulæ arces victricia signa circumtulit, nutantemque populum Venetis asseruit. Plures post hac ex vicinitate congressus habuit cum Ligure, tantoque hinc inde odio pugnatum, ut plures utrinque profligatæ naves, interceptæq;

dican-

dicantur, nihilque non actum, quod in alterius partis damnum cessurum videretur. Nullum sanè hostem experta est hucusque Resp. aut magis irrequietum, aut minùs placabilem ipso Ligure, cum quo multos annos, quasi de imperio, & de gloria decertavit, partim proprio, partim alieno marte. neque enim suum utrique populo studium deerat in Syria, dum Venetis Latini, Genuensibus Græci impensiùs faverent, unde ferè omnes illius regionis urbes, diversis discissæ factionibus, plerumque mutuis cladibus hauriebantur. Oppresserant hisce temporibus Genuenses nonnulla Venetorum navigia in Hellesponto, remiges, militesque barbarum in morem vel interfecerant, vel excœcarant. Nostri è contra, ut suis moribus domarentur hostes, non paucas eorum naves circa Aeginam in Saronico sinu deprædati sunt. Sed ut validiori apparatu res publica defenderetur, ac quinquaginta triremes adversus Genuenses sex eductæ, quæ primùm in Siciliam, tandem in Syriam ad inquirendas hosticas navigant. At iis nusquam occurrentibus, Tyri oppugnationem instituunt, quæ urbs per eos dies hosti se dederat. Quoniam verò in hac expeditione haud opus esset tantis viribus, cum triremium parte Jacobus Dandulus persequendo intra penates Liguri destinatur. Hic, accepto navium supplemento ex Creta, cum Marco Gradonico in Liguriam trajecit, ejusque oram hostiliter diripuit, multa præda, pluribusque adductis navigiis. Contumeliam ulturi Genuenses XXX rostratis Venetum persequuntur, correptumque in sinu Drepanitano adoriuntur haud segniter. Utraque classis pugnandi avida confestim atrox, spectantibus Siculis, miscet certamen, & tam ex propinquo conseruit, ut non missilibus ampliùs, verùm gladiis, propè collato pede, dimicaret. Fortuna, cùm in multas horas neutri victoriam adjudicasset, Veneto tandem adhæsit. Hostium triremes XX captæ, combustæ reliquæ, aut aquis, fervente bello, depressæ: remigum, militumque

tumque

tumque infinitus propè numerus in vincula protractus. Porrò nec nobis incruenta victoria, non paucis desideratis, quos mare, marsque absorpserat. Palæologus, audita Genuensi clade, de se sociisque actum timens, cum victore Veneto in quinquennium inducias, ipso excluso Ligure, paciscitur, qui in adversis ferocior factus, ad piraticam convertitur, navemque mercatoriam apud Cytheram prædatur, & Cydonem in Creta oppidum populatur, vastatque. Interim Senatus ne maritimam Græciæ oram sibi subjectam hostilis turbaret irruptio, imperat ad Methonem opportuna triremium præsidia: atque in hunc modum eam littoralem provinciam tutam multos annos retinuit.

Civilis tumultus ob tributum.

MCCLXV.

EXausto diuturnis bellorum impensis ærario, videbatur Respub. ampliùs non posse aut alere milites, aut classicos apparatus ita commodè instruere. Persuadendi erant idcircò cives popularesque, ut non tam rei propriæ, quàm communi saluti consultum vellent, qualiscunq; tributi collecta, quod mulctatitio ære secundùm noxas penderetur. At hoc publicè indictum, mirum quàm plebejos animos offenderit. Ex eo in apertam seditionem ventum est: directis in Curiam armis, ibi primò conjurationis fax eluxit, & in Principem Rainerium Zenum furibunda plebs lapides conjecit; mox plures patriciæ domus expilatæ, & Senatores ad necem sunt conquisiti. Apparebat tumultuantem ea tempestate Remp. pessum ituram. Porrò ab irato vulgo in Patres haud ultrà processum, postquam jurassent impositi tributi abrogationem. Ita seditiosæ turbæ pacatæ, & reddita mestæ urbi tranquillitas. In quædam tamen scelerum capita animadversum, habitaque de contumacibus quæstione, plures securi percussi sunt. cæteris exemplo, seditiones nunquam suis auctoribus cessisse feliciter.

Bellum cum Genuensibus quartum.
MCCLXVI.

NOndum exciderat Venetorum animis Cydonis in Creta oppidi exitium ab Genuensibus illatum, quod videbatur Reip. majestati grave, nisi acceptam injuriam vindicarent. His igitur pulsi adactique stimulis Jacobum Dandulum Ptolemaidem tendere jubent, & adversus perfidum hostem hostilia omnia moliri. Immissus Itaque Venetus Præfectus cum instructissima classe in Syriam inter Ptolemaidem, Tyrumque incidit in hostes. eique in pugnam soluto majores objecere vires Genuenses. At quia nostris potior in re navali ars, per medias acies præterlapsi, acriùs in obsistentes convertunt proras. in multum diem duravit contentio, quam tandem certa cum victoria pro Venetis fortuna diremit. Verùm inclinante ad vindictam hostium animo, cùm impetratam sibi ab Galliarum, Siciliæque Regibus pacem sprevissent; incassum etiam eam sollicitante Romano Antistite; quinquennales inducias libentiùs pacisci voluerunt, opportunum rati hoc temporis spatium restaurandis viribus, quibus tandem præsentem injuriam ulciscerentur.

Pugna cum Bononiensibus.
MCCLXXI.

POst incæptum cum Genuensibus bellum ita obsidebantur inimicis classibus maria, ut infida & periculosa nostris redderetur ad frumentationem in Apuliam, Siciliamque navigatio: nec poterat vel publica impensa altera parari classis, qua frumentatores ab hostili metu defenderentur. Hinc Veneta urbs sub Laurentii Theupoli Principatu in extremam annonæ penuriam incidit. Ad vicinas igitur

igitur gentes itum, quas ab Actiolini tyrannide ope sua paulò antè liberatas, Veneti, gratas, & beneficii memores arbitrabantur. sed contrà accidit. Ferrarienses enim, Tarvisini, & Patavini præsertim, non ære, non precibus flecti unquam potuere, ut liberam egenti civitati darent in ipsorum agris frumentandi licentiam: unde liquidò apparet nihil in populo fluxius esse, quàm accepti beneficii memoriam. Quoniam itaque finitimorum odia Venetos ad longinqua redigerunt auxilia, eaque parùm tuta ab audenti Reip. fortuna, civibus fame laborantibus prosperè consultum est, empto in Sicilia frumento, atque sine jactura in urbem invecto. Porrò in vindictam ingratorum Patres novam de portoriis legem promulgarunt, qua vectigalia solverent ii, qui cum mercibus intra Flanaticum sinum Padique ostia navigarent; & ne fraus intercederet, destinatæ sunt ad exactionem speculatoriæ naves. Bononienses id ægrè passi, legatione missa, se arma correpturos minitantur, nisi decretum vectigal Senatus quàm primùm tolleret, liberumque maris usum permitteret. Risit is insanientis populi minas, novemque armatis biremibus se illi ad Primarium ostendit. verùm in ulteriore Padi ripa erecto à Bononiensibus castello res Veneta graviter turbabatur. Nostri ad hostium vires sensim debilitandas bellum protraxere in triennium, quo exacto, Marcus Contarenus, jam fessis pacem largitur his conditionibus, ut extructam arcem diruerent, & immuni quarumdam mercium subvectatione, ostiorum Padi custodia penes Rempublicam esset.

Iustinopolis recepta.
MCCLXXVI.

VT nulla Reip. ab armis esset vacatio, non diu post Bononiensem pugnam nuncius affertur de Iustinopolis defectione. Illa, Veneto Prætore ejecto, specioso

libertatis titulo capta rebellarat. Ut in pristini officii leges traheretur, missus Andreas Basejus cum idoneo navium delectu. Is in provinciam delatus subita oppugnatione contumacem civitatem adeò deterruit, ut, venia suo sceleri desperata, maluerit Aquilejensis Patriarchæ subire servitium, quàm Venetæ benignitati obtemperare. Ille adipiscendæ urbis occasionem amplexus, cum armato milite præstò adfuit: sed bellum cupidiùs, quàm feliciùs gessit: quippe obsessis non solùm quidquam profuit, sed ipse primis congressionibus in fugam adactus Venetam de se victoriam magis auxit, & Justinopolis, turpiter abeunte defensore, citiùs recepta est.

In Anconitanos expeditio secunda.
MCCLXXVIII.

EAdem causa, quæ pridem Bononienses, in pugnam tunc traxit Anconitanos: de portoriis nempe lata lex: ea negabant pendere, quia id juris non esset Reipublicæ. Horum pervicaciam armis vindicare volentes Veneti, cum sex, ac viginti triremibus Anconam oppugnatum ivere. Classis ante inimicam urbem explicata ingenti pavore hostem affecit: & quia ea erat Romanæ Sedis tributaria, à Pontifice opem postulavit. Interim nostri obsidioni intenti, cùm nullam ibidem suis navibus haberent tutam stationem à fœdissima repentè tempestate jactantur, ac proximis Senogalliæ littoribus illisi triremes aliquot perdiderunt. Non tamen iniqua sors Venetos consternavit, quin aliis in supplementum acceptis Anconam iterum vexarent. Subinde fraudibus rem agentes Anconitani Venetas triremes omni bellico ornamento imitati, obvii procedunt, ac exhibito amicitiæ signo, duas è nostris confictо dolo incautas naves opprimunt. Hinc magis irritatis Patrum animis insedit sententia delendi hostem. Quare tandem horum con-

stantia

ſtantia territi Anconitani iterùm Pontificia auxilia implorant: at nihil profectum obſeſſis, qui in dies ad anguſtiores rerum anfractus redigebantur. Penè igitur deſperationi proximi pacem ſuppliciter exorarunt. Hæc denegata priùs, ut longiores audaciæ, ac temeritatis pœnas darent: poſtremò benigniter conceſſa ab Jacobo Contareno Principe ea lege, ne impoſitum onus exinde detrectarent.

Bellum Hiſtricum cum Aquilejenſibus primum. MCCLXXXIX.

ANconitanos Hiſtri exceperunt à Veneto deficientes: ad coercendos rebelles noſtri progreſſi ibidem in armis pro contumacibus conſpexere Patriarcham Aquilejenſem, qui valida Venetorum claſſe manuque appetitus, declinando pugnam, veluti ſubitaneo correptus metu in fugam dilabitur. Ex hoc Veneti faciliùs Hiſtros recepere. Cæterùm vix de recuperata Provincia fama Patribus innotuerat, cùm iterùm Aquilejenſis non tam ſuis inſtructus, quàm auctus Goritiani Comitis auxiliis ad ſpem melioris fortunæ revertitur. quare cùm terrorem tantarum virium latè circumtuliſſet, altera Hiſtriæ ſecuta eſt defectio, dum Reip. præſideret Joannes Dandulus. Nunciata ea Senatui, qui recentem ab urbe claſſem dimiſit, Tergeſtum in primis rebelle oppidum petitur: ſub mœnibus fruſtrà iterata certamina, crebròque promotæ bellicæ machinæ. nam in propugnatoribus ſingularis conſtantia, & eximia virtus apparuit. Longiori itaq; obſidione opus erat, ut contumax hoſtis domaretur: & adhibita quidem à Venetis ſolertia non parùm hoſtiles animos infregiſſet, niſi ad minora officia dilapſus cum maxima parte copiarum Joannes Dandulus animum feciſſet Tergeſtinis, qui nimbum priùs ſibi inſtantem in noſtros transfuderunt: hoc modo eluſa victoria, iræque in aliud tempus dilatæ Tergeſtum ſua obſidione liberarunt.

Res

Res in Syria malè gesta.
MCCXCI.

Gliscentibus in dies Venetorum, & Genuensium discordiis Christianæ res in Oriente miserandum in modum occidère. Primò quidem Venetæ ab Syriaca provincia divulsæ; Ligusticæ verò non tam inde, quàm à reliqua Græcia paulò pòst exterminatæ sunt. Christianis itaq; inter se diffidentibus Hierosolyma urbs antiqua nobilitate celebris, & Christi Dei natalibus, vita, morteque sanctissima in Barbarorum manus rediit, expugnata à Saladino Babiloniæ Rege. Is per eos dies non ultra progressus est, ne totam in se armaret Europam. utque domiti à se bello populi animos quoque captaret, firmaretque tracta ad tempus modestia, compositoque marte usus erga omnes esse fertur; unde etiam Ptolemaidi indulta quies, pactis cum Veneto induciis. Attamen, ut essent, qui grassantem hostem morarentur, Romanus Pontifex Christianos Principes excitare sedulò adnitebatur, & jam apud Venetos stabat in anchoris parata classis. Sed quid? dum ab reliquis socialia arma cunctantiùs parantur, induciarum tempus per summam Orbis Christiani socordiam elabitur. quam suis rebus occasionem nactus Sultanus, & Saladini; cui successerat, fortunam assecutus post Tyrum, Sidonem, Tripolim, Berythumque incensas, & solo æquatas urbes; Ptolemaidem, tamquam belli caput, aggressus est. Stetit hæc tamen aliquandiu sola Venetorum virtute, ac viribus; at innumeris penè cincta legionibus, nullisque ab Europa allatis suppetiis, corruit miseranda urbs, & ab imis fundamentis deleta est. Ita non sine infami Europæorum Principum nota, qui arma in pium bellum distringenda, tunc temporis ad se dilaniandos civili quadam rabie converterant, expulso è sacro solo divino cultu, atque Christiano

nomi-

nomine, amisimus monumenta pietatis, & tot victoriarum trophæa, quæ annorum ferme CC labore à majoribus nostris parta fuerant.

Bellum cum Genuensibus quintum.
MCCXCIV.

Amissa Ptolemaide non ampliùs cum Genuensibus dimicandum erat; quippe urbem illam, præteritorum bellorum facem, Sultanus jam extinxerat. hac tamen sublata odiorum causa, aliam livor, & ambitio prætexuere; maris nempe imperium, à Ligure sibi arrogatum. Ea propter rursus inter utramque gentem, repetitis sæpè congressibus, ita præliatum accepimus, ut non minùs victos quàm victores belli pœniteret. Cæterùm hoc ipsum bellum motum est in Genuenses, administrante Remp. Petro Gradonico, eò quòd illi Pisanos ad Lamellam insulam per summam injuriam offenderant. Sociis illatæ cladis ultio mandatur Rogerio Mauroceno, qui cum LX triremium classe devectus in Pontum, Peram, non procul à Byzantio, hostium receptaculum combussit; parique usus celeritate Folia-vetera oppidum injectis flammis solo æquavit. His gestis, domum evocato Mauroceno Joannes Superantius sufficitur. Sub nouo duce Caphata urbs, in qua Ligures negotiabantur, occupatur, diripiturque; inde progressum in Tauricam Chersonesum; ubi Veneti majorem suo nomini gloriam peperissent, nisi regio illa, perpetuis damnata frigoribus, nautas, & milites ultrà fidem debilitasset. Hæc inter hostes discursantes per nostra maria, in his omnia pro libidine agebant. classem LXX rostratarum Lampadius Auria ductabat, qui prædando, magno nominis armorumque terrore cuncta in vicinis littoribus perturbaverat. Depopulationes, metumque prohibiturus alias naves, triremesque comparavit Senatus, & quidem tumul-

tumultuariò; expletoque XC armatorum navigiorum numero in hostes delegit præstantissimum virum Carolum Dandulum. hic paribus armis, animisque bellum à Ligure oblatum suscepit, quo Corcyra in Illyrio non parùm nobilitata, invectusque in provocantem hostem, præteritarum victoriarum memoria. initum certamen in multas horas protraxit, toto pelago armorum fragore, & cadentium utrimque fremitibus inhorrescente: sed tandem fortuna instabilis, nostrisque adversa, Genuenses sequuta est, ibiq; deficere visa, ubi virtus eminebat. Nostrorum itaque profligata classe, Dandulus in hostium potestatem venit, eorum ornaturus triumphum nisi generosa morte ignominiæ se eripuisset. Cæterùm Veneti non inulti, neque hostibus incruento bello cecidere; quippe hi majora non ausi, fugientibus similes, Adriatico excessere. At mirum quantum infremuerit Civitas ad nuncium dissipatæ classis; haud tamen animo consternata recollegit vires, & XXV triremibus Marco Basejo Præfecto, hostibus in Hellesponto occurrit. verùm tunc quoque constitit, quamcumque rei militaris gloriam sæpiùs fortunæ, quàm virtutis esse beneficium. Obviàm eunti Veneto pugnam similiter indixere Genuenses, & navium numero, & recenti rerum gestarum recordatione freti. Hos Basejus cùm subito discessu eludere deliberaret, ita properare non potuit, quin circumveniretur: quoad suffecere vires fortiter præliatus est, labore tandem, ac robore impar victori cessit. Duplicato malo nec quidem prostrata Resp. persequendos hostes decrevit, qui libero mari vagantes in Cretam irruperunt direpta iterùm Cydone. Itaque tertiùm refectis grandi conatu viribus in Liguriam trajecit, ut ex impressione illi coacti ab Creta ad tutandam patriam revocarentur. Dominicus quidam Slavus vir præstans animi cum paucis aliquot navigiis universam ferme Ligusticam oram rapinis, incendiis, & vastationibus fœdè permiscuit, plures hostium biremes vi

cepit,

cepit, & in ipso quoque Genuæ portu egregia in oppidanorum contumeliam edidit facinora; inde postremò recedens duas Ligusticas triremes oppressit, quas suarum puppibus adligatas, triumphantis in morem, invexit in urbem. Tandem pacem necessariam magis, quàm voluntariam uterq; populus est amplexatus, cùm amborum vires continuatis cladibus fractæ, ac extremo penè excidio consumptæ essent.

Expeditio in Græcum Imperatorem.
MCCCII.

CUm Andronico Palæologo, quòd Venetæ Reip. vel ratum vectigal, vel acceptam mutuò pecuniam solvere recusasset, præliatum est. Missus Belletus Justinianus unà cum VII, ac XX triremibus, ut à Græco, quæ debebat, vi repeteret: enavigavit prospero cursu in Hellespontum, ac multis hostium depressis navibus, aperto mari divagatus, ferme omnes Constantinopolitani imperii maritimos tractus incendiis, & cædibus, quà potuit, desolavit. Qui capti sunt Græci ad unum laqueo spiritum reddidere, æquabili vindicta, quam distulerat, non abstulerat Venetus, memor fraudis, qua ipse Byzantio cum Balduino fuerat ejectus. Hoc metu Justinianus à Palæologo debitum æs extorsit, quod prædæ conjunctum insigni cum victoria patriæ intulit.

Bochoniana in urbe conspiratio.
MCCCII.

VIx libera externo bello Resp. quando ex privatis odiis in domesticum incidit, ob sceleratas quorundam civium conspirationes. Marinus Bochonius Petro Gradonico Duci infensus, eos in nefaria consilia compulit, qui

per eos dies adversus eundem Principem pari odio furebant: cum posthabito Jacobo Theupolo, quem popularis acclamatio ad supremum Magistratum expetebat, Gradonicum Patres extulissent: vel, quod nefas, quibus inhonora libertate potior tyrannis videbatur. Eo itaque auctore in Principem, quem unum Bochonius impensè oderat, & in optimates, si qui obsistere ausi essent, ad necem usque desævire constitutum erat. Dicta est sceleri dies, qua Comitia agerentur. Delata Patribus conjuratio in id omnium studia convertit, ut primo quoque tempore tanti criminis capita comprehenderentur. Favit autem publicis votis fortuna. Marinus enim ipse, & primores socii capti, civitasque ab imminenti incendio servata est, dum illi, flagitii convicti, capitali supplicio puniuntur.

Bellum Patavinum quartum.
MCCCIV.

PAtavini erecto castello, eique imposito præsidio non procul à stagnis, quibus Petabubulæ nomen, in arma Venetos provocarunt. Apparebat vel etiam invitis his, omnia ea loca, quæ inter Clodiam, & Albanum sita sunt, in salinarum usum per Patavinos fore redigenda, maximo Reip. detrimento; finitimæ gentis machinamenta cognovere Patres in publicam, privatamque perniciem tendere. Quamobrem immissus est miles, qui hostes ejiceret, arcem, munitionesque subverteret. Velitatum est sæpiùs cum præsidiariis. Patavini, qui ad subsidium venerant, arrepta fuga, sive impares viribus, sive rei malè gestæ pœnitentia, nihil deinceps tentare ausi sunt.

Bel-

Bellum Ferrarienſe primum.
MCCCVII.

NUlla generis religio, nullum nomen tam ſanctum, quod non regnandi cupiditate violetur. Friſcus Ateſtinus parricidiale bellum Diis penatibus intulit, ac in paterno ſanguine gladiatoriam immanitatem exercuit, impia parentis morte, quia Ferrariæ principatum ſcelere occupare maluit quàm ex tabulis expectare. Turbatæ eo facinore civitati Venetus aſſertor adfuit, vetere inſtituto, ne eadem ſcilicet fax, quæ domeſticos Ateſtinorum lares nuper cremaverat, ſociorum quoque urbem & domos per factiones ſuccenderet. præceps eſt enim ambitio, ubi aperto flagitio innotuit. Ferrarienſes itaque abominati tam crudele imperium, ſe Romano Pontifici dedunt: indignatus ſuorum defectione Friſcus, ultrà quàm credi poteſt, in eos qui dicebantur auctores, exquiſitiſſimis tormentis deſæviit. hinc deploratis noviſſimè rebus omnibus, ac tardante Pontificis ope, ſe Veneto Senatui committunt, quos ille in fidem receptos legitimo Domino ſervabat, firmata priùs urbe munitionibus, & Magiſtratu ſuo. Verùm Clemens Quintus, qui hos tumultus in Gallia perceperat, Veneto ſacris interdixit, eorumque bona, homineſque ubiq; locorum diripiendos permiſit, quòd urbem Romanæ ſedi ſubjectam contra jus, & fas occupaſſent. Accedit demum è Bononienſibus Pontificius legatus cum exercitu, unde recentibus furiis agitata civitas deſciſcit à Venetis, atque iterùm in Pontificia jura concedit. Tantæ levitatis pertæſi noſtri, ſecundo belli anno urbe cedunt, pacemque à Clemente, diu nequicquam petitam, nota tandem Franciſci Danduli moderatione & opera, impetrarunt.

Baiamontis Theupoli conjuratio. MCCCX.

SOlet familiæ præstantia, opum ubertas, ac morum licentia ambitiosos spiritus plerumque alere. inde toties expertæ sunt civitates inquietorum civium turbas. nam illi dum pares negligunt, vel superiores non admittunt, laxatis insolentiæ habenis in Patriæ ruinam procurrunt. Hæc omnia in uno Bajamonte Theupolo, ejusque asseclis penè omnibus patricii sanguinis vim tantam habuere, ut horum cæco furore Reip. imperium ferè cum ipsa libertate corruerit. Impulit in scelus non amor in patriam, sed simultas, indignatio, & odium in Dandulam familiam, & in ipsum Petrum Gradonicum Principem, qui nimio plus illi favere credebatur, quique Jacobo Theupolo, ejus patri, prælatus fuerat, frustra populo eundem in Principem deposcente. Sed ut plerumque privata odia in publica erumpunt incommoda, exsurgente rerum novarum cupiditate: ipso Theupolo duce in curiam primò statutum erat irrumpere, Principem cæterosque sibi invisos confodere, & si qua cederet, occupare imperium. Cùm instaret dies sceleris, densatis tenebris cœlum impium facinus exhorruisse dicitur, procelloso tonitruum gemitu, & crebra fulgurum coruscatione: at ea portenta contumaces nec terruere, nec postea ipsa fama patefactæ conspirationis. Hæc, ut Patribus opportunè detecta; ac jamjam immineret vis (id certè divini Numinis auxilium, ut furias in ipso jam successu securas subita ultio exciperet) repentina ad arma conclamatio eorum facta est, qui Remp. salvam vellent. Optimi quique inopinato exciti signo, ac tumultu ad publicam defensionem armati in curiam convolarunt: conjurati, quoque irrupere in Marcianum forum, & quasi versarentur in militaribus castris execrandum ibidem certamen orsi sunt. Hi sua

ſua fata urgebant, & ab illis urgebantur ſingularibus furoribus; ideò præcipites ruere in clades, quas ſibi noxiis conſiliis paraverant. Conſeritur civium manus; libertaſq; veluti in medio conſtituta videbatur à ſuis vel perdenda, vel conſervanda. Conſpiratorum impetum diu paludati Patres ſuſtinuere, deinde repulere certa victoria, qua paſſim conſternati, cæſique perduelles; ſuperſtites aut capitis, aut exilii pœnas cum ipſo criminis auctore luerunt. Memoriæ proditum eſt, nullam Ciſalpinæ Galliæ urbem, nullum oppidum extitiſſe Venetis extorribus vacuum. Cæterùm Theupolus jam publicis armis vix elapſus, muliercula manu concidiſſet, niſi alium mortario dejecto contriviſſet, quem caput ſceleris ex vexillo opinabatur. Extincta in hunc modum conjuratione, de proditoribus affatim habita eſt ultio: in quoſdam laqueo, in alios ſecuri eſt animadverſum: omnium gentilitia ſigna, & nomina ubique locorum expuncta, dirutæ ædes, & bona in publicum tranſlata. Laudatur civico illo conflictu ſupra cæteros Marci, atq; Vgolini Juſtinianorum virtus, & pietas. Sic antiqua Reip. reſtituta tranquillitas, plurimaque poſtmodum in ſtrenuos cives, ac de patria benemeritos, atque adeò in ipſam anum collata ſunt præmia. Receptæ, conſervatæque quietis, ac libertatis dies in Venetis faſtis viget, decreta quotannis ſupplicatione Diuo Vito, cuius feſto extinctam conſpirationem accepimus. In parricidam verò exulem, peſſimis artibus reditum in patriam rurſus molientem, rogata lex, iuſſumq; ut Franciſcus Dandulus, id temporis Venetorum Princeps, quovis ære proſcriptum interficiendum curaret.

Ia-

Jadera defectio septima.
MCCCXI.

E Vulgata Theupolæ conjurationis fama, quæ omnia in majus auget, Jaderenses pessumdatam Remp. sibi stultè suadentes, septimam ad Pannones moliti sunt defectionem. Populum ad rebelliones natum non tam pedestri, quàm navali militia domandum, ut aliàs, decretum est, sedente Marino Georgio Principe. Illa Dalmaso homini Hispano concreditur: hæc Philippo Bellegnio. Uterque mira celeritate in provinciam fertur, urbemque contumacem dispositis circùm castris acriter oppugnat. Jaderenses armis undiq; septi & auxiliorum inopes ad spretum olim imperium rediissent, nisi Dalmasus, auro polluta fide, in singulos dies nostram producendo victoriam se illis pacis intercessorem exhibuisset. Cognita viri fraude, nihil ab obsessis impetratum, proditor omnibus invisus clàm aufugit: cæterùm ulciscente Deo perfidiam, mari penè obrutus est, naufragio amissis donariis. Intereà non cessantibus Venetis ab oppugnatione, Jaderenses nulla in armis, dolisve reperta spe, à certamine ad preces se convertunt, factaq; deditione eas conditiones accepere, quibus provincialium levitatem à læso dominio cohiberi solitum est.

Expeditio in piratas secunda.
MCCCXXIII.

PErcrebuerat rumor quædam Ligurum piratarum navigia Venetis in Græcia rebus hostiliter nocuisse. quo Venetias tandem delato, Patres quamprimùm compescendam decernunt eorum audaciam, qui prædari semel edocti, injurii nunquam esse desinebant. Ea propter Justinianum ex Justinianis XL triremium classi præficiunt cum sum-

ſummo imperio. Vectus in Ponticum, aliquot prædonum naves, circa Thracium Boſphorum captas, incendit; inde converſus ad Peræ expugnationem, coegit oppidanos, ut illata ad eam uſque diem Venetis rebus damna perſolverent. His benè actis, Joanne Superantio Principe, Cretæ Dux renuntiatur, ut quoddam, quaſi debitum virtuti præmium conſequeretur.

Bellum Hiſtricum II cum Aquilejenſibus. MCCCXXVIII.

VAllenſes, & Polani, qui olim defecerant, experti quàm dura in ſe dominia exercerent Aquilejenſes, rurſus ad mitem Venetorum dominationem ultronea deditione rediere. Ejus temporis Patriarcha tranſitionem illam impotenti ferens animo, repentè in Hiſtriam cum exercitu profectus eſt, ut illam armis ad imperium ſuum reduceret, jamque ex agrorum populationibus ingentem incolis timorem attulerat. Cæterùm Veneti retinendis, confirmandiſque oppidis intenti Juſtinianum eiuſdem familiæ virum acrem in eam curam expediunt, qui cum hoſtibus ſemel congreſſus victoriam reportavit, fuditque Patriarcham, cujus in provinciam ingreſſus, non minùs fuit ipſi terribilis, quàm turpis & fœda fuerit ejus fuga.

Compreſſæ in Creta ſeditiones. MCCCXXX.

NOnaginta ferme annorum tranquillitatem in Creta turbavit neſcio quis Varda, homo turbidus & factioſus. occaſio furoris fuit denegatum tributum, quo naves in piratas armarentur à Rhitymnæ Quæſtoribus, in quos ille non tam verbis, quàm armis inſurrexerat. Adhæſere nefario complures. quare ab aucto, armatoq; perduellium

lium agmine haud parùm Cydone trepidatum eſt. nihil enim prætermiſſum ab rebellibus, quod igne, ferroq; non corrumperetur. Selini caſtrum expugnatum, Præfectus arcis Hermolaus Bellegnus vinculis addictus, commiſſæ cædes, aliaq; patrata facinora, quæ modò referre non libet. Primus in irrequietam turbam irruit Joannes Cornelius, qui integram, ipſo trucidato Varda, aſſecutus victoriam, omnia recepit oppida, quæ fidem, atque imperium nefariè excuſſerant. Porrò non diuturna pace Inſula quievit, ab Leone Calergio novis motibus concuſſa, qui Venetos dum inſula pellere conatur ingentem rerum tempeſtatem excitavit. Placuerat Nicolao Priolo duci deſperatis non offerre certamen, ſed eos blanditiis in obſequium trahere, eòque magis quòd Calergium ſuſcepti facinoris jam pœnitere ferebatur, quem etiam blandis litteris & humanitatis pleniſſimis ad integritatem veteris obedientiæ pellexit. Cùm verò per dolum, & occultas machinationes Smerilium Coſtam jam tumultuantem contrà jurisjurandi datam fidem concitaret, denuò manifeſti ſceleris reus, labem proditionis, & maculam fatalibus aquis eluere, Prioli ſententia, coactus eſt. Hujus evulgatum ſupplicium non modò extinxit ſubmerſas faces, ſed etiam majus rebellionis incendium ſuſcitavit, quo graſſante penitus exarſura Creta videbatur, niſi Priolus haud ignarus ſeditioſos inter ſe vix unquam ſtabili fide hærere, valida militum ſcripta turba perduelles inſequutus eſſet montiumque occupatis anguſtiis, ne intrà eorum latebras ullum illis pateret effugium, perquiſitos dediſſet in fugam, & palantes per campeſtria more pecudum ad internecionem uſque mactaſſet. Hac victoria, rebellique ſanguine expiata Creta ſumma in multos annos tranquillitate quievit.

Ex-

Expeditio in piratas tertia. MCCCXXXI.

PEr eadem tempora Thomas Viarus, infelici successu, cum piratis conflixit: dum enim sex eorum naves insectatur, alias, quæ Venetorum onerarias duas depredatæ fuerant, medio Adriatico offendit. Procedens igitur temerè in pugnam, promissa sibi ex validiore classe, qua fretus erat, victoria, à pirata Ligure ita excipitur, ut momento temporis ejus ferme omnes triremes aut laceratæ, aut captæ fuerint, omnesque milites cæsi, & ipse, vix parvum à bello nactus navigium, Venetias trepidè aufugerit. Cùm autem ejus prælii infelix exitus ex nimia Viari audacia Patribus innotuisset, ad perpetuos carceres illum condemnarunt, memorabili sanè ducibus exemplo, quo scirent, non tam speciosa, quàm necessaria in bellis consilia esse sequenda.

Bellum Turcicum primum. MCCCXXXII.

TUrcæ ad servitutem nati, sed Christianorum diffidiis evecti ad imperia, sub Amurathe in Europam, Ligurum ope, remigioque traducti jam Græcas provincias ceperant occupare, nostraque maria ita infesta reddere, ut in Orientem navigantibus nil tutum reliquum esset. Insolentis, audacisque hostis conatibus maturè occurrendum erat. quare Veneti extemplò legatos Romam, & in Galliam dimittunt, Pontificem, & Regem monituros, ne dilata virium conjunctione imminenti Barbaro subigenda Italia traderetur. Gallus cùm magis nomen ad præsidium sociorum, quàm vires attulisset, Pontifici, Venetoq; solis Italica salus, & libertas concreditur. horum Principum armis per ea tempora Turcarum insultus repressi sunt. Petrus

L enim

enim Zenus Venetarum triremium ductor hosticas in Ionio navigantes cecidit, & omnium primus de Turcis triumphavit. Cæterùm hos mari ſummoviſſe non contentus plura Græci littoris oppida barbarorum prædis referta populatur, ac evertit. Poſt hæc renovato cum Chriſtianis Principibus fœdere continuatis in aliquot annos victoriis cum tanto hoſte pugnavit. Tandem poſt purgata piraticis latrociniis maria gravi, & martia claſſe Smyrnam applicuit, aggreſſuſque urbis oppugnationem fœliciter confecit, fugatiſque barbaris illam recepit. Hinc celebriores triumphos ſibi pollicitus in Aſiæ Mediterranea deſcendit, ac fugitivos ubique perſecutus eſt. In ea provincia ut quidam habent annales, egregius imperator dum ſacris de more operam daret, à convolantibus undique agreſtibus interceptus in templo fœdè opprimitur, & cum tanti viri occaſu ſpes omnis melioris fortunæ evanuit.

FINIS LIBRI PRIMI.





IOANNIS BAPTISTÆ VERI

CANONICI PATAVINI

RERVM VENETARVM

LIBER SECVNDVS.

Bellum in Scaligeros Veronæ Principes Tarvisium obtentum.

MCCCXXXVII.



A ſemper fuit Venetorum pietas, ut vicinos juvarent auxiliis, quando à potentioribus contumelioſè vexarentur. Hinc obliti injuriarum, quibus Patavini eos toties affecerant, arma pro externis aris, focisque ſuſcipiunt adverſus Scaligeros, Veronæ Principes. Horum potentia, intra juſtas imperii metas neſcia conſiſtere, in licentiam quoque erupit offendendæ Reip. Quare, ut latiùs per opprobrium aliorum ſuos fines extenderent, arcem in ſtagnis propè Clodiam inſolenti milite communitam erexerunt, ac per Padum, Atheſimq;

navigantibus Venetias indixerunt portoria, neque alia in turbidis Principibus defuere facinora, quibus sensim res Veneta in perniciem traheretur, nisi quandoque tantis initiis maturè iretur obviàm. Interim Patres certi si nihil moverent, eam audaciam in speciem legitimi dominatus transituram, Scaligeros, legatione more patrio transmissa, priùs quàm arma arriperent, conati sunt ab injuriis revocare: cæterùm ea spreta, atque turpiter irrisa est. Hujus rei fama mirum, quàm magnis, propensisque studiis bellum in juris gentium violatores decretum sit. Primò igitur cum Florentinis percussum fœdus jam anteà Venetam opem in eosdem hostes implorantibus: mox evulgata expeditione complures Principes, quibus ea potentia suspecta erat, Vicecomites, Atestini, Gonzagæ, & ipse Bojemiæ Rex suos internuncios Venetias misere, quò junctis viribus Scaligerorum superbia retunderetur. Adfuisse una die in urbe sexaginta Europæorum Principum legatos, qui apud Senatum, tum de bello, tum de pace tractarent, produnt ejus temporis scriptores. Marsilius quoque Carrariensis vir inter Patavinos summæ auctoritatis, Scaligerorum causam iisdem diebus apud Patres fovebat, & pacis conditiones percontatus, has retulit. Patavino agro hostis decederet: Tarvisium Reip. esset: Rubeis Parma: & Florentinis Luca permitteretur. Verùm ut iniquæ rejectæ, & pax desperata, bellum utrinque maturarunt. Summa itaque cura miles conscriptus, comparatoque exercitui datus imperator Petrus Rubeus Parmensis, duobus additis rei bellicæ procuratoribus, Legatorum nomine, Marco Cornelio, & Andrea Mauroceno. Ille acceptis à Francisco Dandulo Principe sui muneris insignibus, copias in Mottensi agro recensitas, dispositasque in aciem ultra Plavim trajecit: inde in Patavinos itum, ubi Albertum Mastini tum Veronensium domini fratrem non parum territavit: ac per patens consternatæ regionis solum illatus, cùm nullus obex occur-

occurreret, agros passim vastavit, ingentique terrore latè circùm sparsa municipia pervasit. Saccense castrum, & Caputaggeris se dedidere. Marcus Lauretanus levioribus navigiis arcem in stagnis aggressus, eam deturbato præsidio exscidit: venere in fidem Cuneanenses: nec non maxima, eorum exemplo, secuta est oppidorum defectio. Itaque omnia hostibus infesta: nequicquam subinde è Germania conducto milite, quo Patavium oppresserant, non juverant, defectionem molientibus civibus, tyrannidis, bellique mole confecti sunt: Hæc inter Rubeus ad Ateste pugnabat, captivo hosti sat æquus, fama captandæ clementiæ, nam quos inter dimicandum ceperat, omnes libero jure dimisit. Postea ipsa rursus Patavinæ urbis mænia obequitans, concrematæ unius portæ incendium, quæ Sanctorum dicitur, agrorumque vastationes per contumeliam inclusis Scaligeris exprobravit: at ulteriùs non progressus, ne desperata spe veniæ pertinacia furor hostis accenderetur, in Tarvisinos concessit. Ea in provincia insperato fortunæ eventu injecto solo nomine metu Tarvisium occupavit, non ausum arma experiri. Mastinus ea propter versus in rabiem Patavio ad Bubulentam promovet, ibique stationaria aliquot nostrùm navigia oppressit, barbarum in morem cum nautis, custodibusque debacchatus. Quingenti etiam mercenarii milites circa Mestrium vicum Alberti dolo cecidere, deceptus in ipsa vindicta furentis animus, cùm eos Venetos omnes esse arbitraretur. Dum igitur in Patavinis, Tarvisinisque bellum ita alitur, Mastino nunciatur, Brixiam à Vicecomitibus obsideri. Ex hoc abeuntis Mastini recessu excitati Patavini à tyrannide se vindicant, auctore Marsilio Carrariense, qui tacitis nunciis accersitum Rubeum in urbem per Pontem-curvum recepit, Albertumque dedit in vincula, ut Venetias duceretur. In hunc modum sine sanguine occupatum servatumque Patavium, habita in seditiosos quosdam animadversione.

Quam-

Quamobrem Senatus commendata Carrarienſium fide in benemerentem familiam innumera contulit beneficia, quorum primum, & ſingulare illud fuit, libera Patavinæ urbis adminiſtratio. His geſtis, Rubeus ducta copiarum parte ad Montem-ſilicem oppugnandum, dum impigram & militis, & optimi ducis navat operam, inter confertiſſimos miſſilium jactus miſerè cadit: funus quidem tanti viri lacrymabile contigit, acceſſit demum dolori impetus, dum alter fraternæ virtutis egregius æmulator germanus in Gonzagiacis caſtris, Veronam tum obſidentibus, occubuiſſet. Alius è Rubeis ſupererat Rolandus nomine æquè clarus militia. Hic ſuſcepto copiarum imperio diſtulit per eos dies vindictam in Monte-ſilicenſes, & in Veronenſium fines populatum penetravit. Subinde Rubei necem ulciſcitur Vbertinus Carrarienſis, Montis-ſilicis potitur arce; hoſtemque terga dantem perſecutus profligat. Maſtinus, qui jam amiſſa Brixia redierat, aliquo minùs turpi facinore fugam honeſtaturus Montanianum caſtrum aggreditur, ſed irrito conatu. quippe obvium habuit Andreacium Maurocenum, quem licet ipſe Scaliger ignominiosè effugeret, ſat multos tamen ſuorum ad internecionem reliquit, præter captivos. Rolandus cùm jam nihil gloriæ deeſſe, nihil obſtare Venetæ virtuti videret, diviſis copiis, pluribus ſimul in locis victricia arma circumtulit, præcipuè in Vicentinos acer, quorum oppidum ea conſtantia fatigavit, vt inops animi Maſtinus pacem, quam antea ſpreverat, per Oratores ultra deprecatus ſit; datis prioribus conditionibus, acceptiſque Veneti quievere, ne Italica libertas continuatis bellorum fluctibus mergeretur. Ex hoc bello præter oppidula Venetæ Reip. acceſſit Taruiſium: deditum quoque erat Patavium, ſed, uti diximus, Carrarienſibus traditum, quò magis conſtaret Venetos arma in Scaligeros corripuiſſe non aliam ob cauſam, quàm, ut inter vicinos populos pax & ſecuritas vigeret.

Cre-

Cretensium defectio.
MCCCXLII.

EX Italia in Cretam, gubernante rem Venetam Bartholomæo Gradonico, bellum translatum est. Necesse erat inconstantissimæ gentis ingenium,& in dissidia proclive armis retundere. Quamobrem Patres robustissimas militum legiones in eam insulam destinarunt. Tripartito agmine terni Duces ex Faleria, Justinianæa, & Maurocenà familiis in rebellantes solverunt. His fortiter juxta, ac fœliciter dimicantibus secunda fortuna occurrit: nam perduellium munitiora castella vi ceperunt, & dirutis ex iis quibusdam, insessisque montium latibulis, ne receptaculo hostibus essent, circumlatoque passim bello, tantum illis terrorem incussere, ut brevi sedata defectione, sumpto de rebellibus supplicio, tota Insula intestinis purgata discordiis ad vetus imperium redierit.

Jaderæ defectio octava.
MCCCXLV.

IAderensium defectiones non semel depressæ, cæsique earum auctores, in alias, atque alias anniversario quodam furore pullulabant, veluti si de occisorum capitum sanguine renascerentur. Subiit confestim Patrum animos ex Principis Andreæ Danduli sententia, recepta diu cogitatio, non esse impunè relinquendum scelus, ne tota provincia conjuratione Jaderensium erecta, occasionem rebellandi susciperet. Navali ergo, terrestrique apparatu urbem oppugnaturi Petrum Canalium, & Marcum Justinianum eò imperant, ut alter mari, alter terra pugnam rebellibus inferret. Primo accessu Canalius Pagum cepit oppidum, ita & Justinianus subitaneis aggressionibus Jaderam rece-

recepisset, nisi Pannones victoriam remorati essent. Advenere è Pannonia cum ipso Rege expeditæ copiæ: his nostri haud territi obviàm procedentes bellum atrox committunt, quo plures hostium cæsi sunt. Verùm cùm illud magis recrudesceret, oppidani, qui subsidiariorum fugam turbatis ordinibus conspexerant, ut illis opitularentur è mænibus turmatim advolantes, fortunam, ad nostros jam inclinantem, prævertere; sed non multò pòst justam belli causam, Venetamque secuta illa virtutem, rediit: pedestres enim nostrorum copiæ à navalibus sociis opportunè adjutæ, magnam de hostibus stragem ediderunt, sed ea jactura, abundante hostium multitudine, inter damna haud numerata. Dum Jaderæ procedit oppugnatio, in regiis castris non mediocriter annona laboratum, quorum incommodis Venetorum fiducia crevit. Pannonesque rerum omnium egestate coacti bello excedere nostris victoriam relinquere. Hanc breui cumulavit ipsius rebellis urbis occupatio, quæ Venetum robur diu noctuque perpessa victori, ac domino se demum restituit subjecitque, impetrata à clementissimo Senatu scelerum venia, cùm è suis avelli sedibus, ne ampliùs fidem violaret, mereretur.

Bellum Histricum tertium.
MCCCXLVIII.

QUasi illud rebellionum, conspirationumque seculum esset, allatum de recepta Jadera nuncium, non tam immanis comitata est pestilentia, quàm certus rumor, Justinopolitanos defecisse. Illa, non priùs quàm expleta fati rabie, recessit; isti, antequam externarum gentium robora coirent, Marci Justiniani vigilantia in fidem retracti sunt. Per eos quoque dies, Albertus Carnorum Regulus universam penè Histriam cædibus, & latrociniis everterat. In eam provinciam exercitum, quo retunderetur

tur

tur illius temeritas, mittendum censuit Senatus: & cùm primùm armatum se ostendit, hostis perterrefactus, quasi manibus arma decidissent, per devia montium aufugit, nusquam ullo certo ordine, aut spe reliqua resistendi: dispersum palantemque insectatus Venetus malè mulctavit, cepit ducem, & cum eo captivo ad Senatum capta vexilla in victoriæ testimonium præmisit. Porrò Albertus audaciæ veniam obtinuit, & libertatem, data fide non ampliùs in Remp. dimicaturum, & aliquot suis in finibus oppida demoliturum, ne ulli in posterum tuti recessus piraticæ genti, ac latrocinantibus barbaris paterent.

Bellum cum Genuensibus sextum. MCCCL.

HUjus belli initium ab intercepta Venetis per mare Ponticum navigatione profectum. Versi primùm Genuenses in piraticam, mercatorias naves in Hellesponto prædati sunt. Rei novitas, violataque inde pax, hanc unam curam injecit Patribus, ut per Oratores ablata repeterentur, & nisi essent reddita, bellum denunciaretur. Non accepta legatione, sed elato animo repudiata ad arma properè concursum est, parataque præclara classis, quæ sub Marci Ruzini imperio temeratios & turbulentissimos hostes castigaret. Hic celeri cursu tendens in Græciam, à speculatoribus quatuordecim Ligusticas naves Carystium portum ingressas audit. Illarum perdendarum concepta spe Ruzinius suas non longè à portu disposuit: nam propiùs accedere obstabat illius vadosum ostium. Nihilominùs hostibus in difficilem eruptionem conjectis haud defuit animus. decreverunt enim ex illis angustiis intumescente mari egredi, etiam cum aperto discrimine; audentibusq; ac desperatis favisset sors, nisi Marcus Maurocenus Adriatici Præfectus ex transverso irruens hostiles triremes IV li-

berè jam egressas intercepisset. quo casu consternatæ reliquæ, circumventæque à tota classe vicinis littoribus illiduntur, nostrisque in direptionem concedunt. Captivi hostes Chalcidem ducuntur, iturque ad oppugnandam Peram Genuensium coloniam. At hoc nequicquam tentatum est. Idcircò Ligur animos, viresque sumens, Chalcidem appellit, omniaque replet vago tumultu, direptam succendit urbem, captivosque in servitutem abducit, reluctari hosti minimè auso Thoma Viaro Prætore, quoniam ubi intrat animum pavor id solùm metuit, quod formidat. His ultro, citroq; illatis cladibus apparebat bellum hoc diu inter utrumque populum duraturum, neque sine externa ope conficiendum esse. Ea propter Veneti cum Græcorum Imperatore, Aragonumque Rege icto fœdere validiores in pervicacissimam gentem procedunt, ac robustioris quàm antea classis moderatorem nominant Nicolaum Pisanum, qui continuò è Dalmatia solvens Pancratium Justinianum in Siciliam mittit, ut cum Aragoniis se consociaret. Nihilò segniores Genuenses aucta classe sub Pagani Auriæ auspiciis contendunt in Græciam, circumnavigataque Eubœa, quà potuere, hostili rabie, excursitarunt, præda Peram reducta. Interim Veneti cum Aragoniis è Sicilia in horridam (futuræ calamitatis omen) incidère tempestatem, qua tandem remittente, fracti penitus, dissolutique Methonem tenuere. Ibidem curato milite, refectisque navibus Peræ obsidium meditantur. Euntibus in expeditionem Genuenses maturè & fortiter occurrère in ipsis Bosphori faucibus, in his facilè excepturi nostros, quia intra eas angustias non poterat tanta classis commodè, unoque tempore tota in certamen explicari. Eo igitur loci necessariò concursum est, sed magnis viribus, iratisque animis: pugnam summo manè initam cadentes tenebræ dirimere non potuerunt, nec priùs cessatum ab armis, quàm lux altera redderetur, & una classium victoriam reportaret.

ret. Initio malè certavimus Græcorum auxiliis; illi namq; lingua, quàm manu promptiores, tentato, non commisso certamine, ad primas Genuensium impressiones proras suas averterunt: Aragonij, qui secundum in congressu locum sustinebant, sive hostis audacia, sive ignavo Græcorum metu exterriti, & ipsi se prælio subtraxere. Omnis itaque vis, & conatus in solos Venetos conversus continuataque cæco marte pugna tamdiu protracta, quoad fessi, nulloque recreati subsidio, cederent: obstinatè pugnatum, omnesq; victi à victoribus, ob belli pertinaciam, acceptaque damna iratis cæsi sunt. Occubuere eo prælio cum Justiniano complures patricii viri, perpetua tamen apud posteros victuri gloria, quòd fortiter pro patria pugnando mori maluerint, quàm turpiter fugiendo patriæ decus, & avitam nobilitatem fœdare. Iniqui successus fama, non tam timore, quàm pudore affecit Remp. quòd tot validissimarum classium hostis victor abivisset: sed mox erecta in vindictam jubet nulla mora alteras instrui triremes, veteres refici, & Pisanum iterùm expediri. Ille redintegrata, suppletaque classe propè Peram, usus meliore fato, hosticas aliquot dispersit:& cùm certa fama intellexisset ab Antonio Grimaldo rostratas suprà XXX Aragonias juxta Cyrnum perculsas esse, ita opportunè adfuit oppressis sociis, ut hos præter spem erigeret, hostesque inopinato accursu terreret, quos fugam jam meditantes harpagonibus remoratus eorum cæde, & plurimarum navium spoliis paulò ante acceptam cladem rependit, majoremque Patriæ ac sibi peperit triumphum. Laceri in hunc modum Genuenses neutiquam superbos animos ad pacem inflexerunt, sed ut magis nativum in Venetos odium testarentur, ipsa neglecta libertate, qua nihil dulcius, Joanni Vicecomiti Mediolanensium Duci urbem, se, suaque omnia spontè tradiderunt; ut ita quæsito ab invidia hoste reperiretur qui adversus Remp. decertaret. Vicecomes dulcedine oblatæ

M 2 urbis,

urbis, orantibus præstò fuit. Hinc Veneti, futurum sibi belli discrimen cum Insubre rati, confestim omnia in continenti oppida auctis præsidiis obfirmant, renovatisque fœderibus Scaligeros, Carrarienses, & Gonzagas, veteribus odiis infensos, illi opponunt: sic tutum terra imperium cùm videretur, omnis erat sollicitudo in augenda classe. Pisanum igitur tribus aliis, ac XX triremibus præfectum emittunt in Ligurem, qui per eos dies Corcyram nigram, & Phariam tentarat, animique potiùs desperatione, quàm virium robore audacissimè ruebat in omne facinus. Parentium, vi captum, subjecto igne demolitus est: piratarumque more Adriaticum vexat. Interim Pisanus universum classicum apparatum in ora Peloponnesi ad insulam Sphagiam, quæ hodie Sapientia est, retinebat. In libero portu, apertoq; facilè oppugnatum iri Venetum hostis sibi persuasit, & jam Vicecomitis ope contracta XL triremium classe, portum sine tumultu, perque tenebras, nihil tale nostris cogitantibus intrat, classiarios ignavissimo metu correptos occupat, celerique, & incruenta victoria navibus omnibus potitur unica excepta, quæ inter cæterarum trepidationem casu elapsa aufugit; Pisanus ipse cum quinque hominum millibus Genuam asportatus, hostis triumphum non parum nobilitavit. singulari hoc inexpectatę calamitatis eventu post integrum belli quadriennium concidisse videbatur Veneti imperii gloria, & vetustissima urbis libertas, si victor victoriam esset persequutus. Patres tamen inflictum vulnus cautè obtegentes non fortuna, at fraude se victos evulgant, quatuorque triremes privatis sumptibus illicò reparant, quæ à popularibus trierarchis ductæ in Tyrrhenum proveherentur. Sed ne quidquam ad hostium felicitatem deesse videretur, eam quoque interceperunt navem, quæ furtim à priore jactura evaserat: provectiq; Gradum, ingentem civitati incusserunt formidinem. Repressit tamen nonnihil hostiles in vicinia insultus Nicolaus Justinianus, tribusque longis navibus delatus

latus in Histriam, nutantem provinciam confirmavit. Cæterùm non defuere prodigia, quæ acceptas calamitates portenderunt: visi nempe sunt in aere clangentes corvi, atque inter se acerrimè pugnantes, guttæque sanguinis in Venetam classem decidere: conspecta etiam in portu immanis, & monstrosa bellua, quæ casu lapsum in mare hominem protinus voravit; successit demum teterrima pestis, urbisq; ultimum penè excidium, scelestissima ipsius Principis conspiratione.

Marini Falerii Principis conjuratio. MCCCLV.

MArinus Falerius Princeps, nondum peracto publicæ administrationis anno, ac propè sexagenarius, vel privatis odiis, vel immoderatæ ambitionis fluctibus agitatus, se Venetiarum tyrannum constituere, pluriumq; usurpare dominatum nefaria cogitatione decrevit. Itaque cùm publicam privatamque salutem negligeret in impii facinoris societatem trahit plures è vulgo, & veluti cæco quodam furore actus, ac sine consilio cum primoribus agit, ut simulato Ligusticæ classis propè urbem adventu rumores intempesta nocte spargerent de vicino hoste, & quasi repentino pavore conterriti voces ad arma alternarent; scelerique addit commentum, quo populare odium in optimates concitaret, nempe, ut confictis nobilium familiarum nominibus appareret alienas uxores, & filias ad stupra, atque adulteria per viros patricios rapi. Ita igitur evulgato hostium ingressu, sparsaque vanis rumoribus contumelia, condictum erat, ut primi omnium conjurati, veluti ad publicam defensionem, in Curiam properarent, cujus obsessis liminibus, unumquemq; patricii sanguinis interimerent. Sanè discrimini maximo tunc obiiciebatur res Veneta, nisi divinitùs servata fuisset. Quidam è conspiratorum ducibus,

Beltrandus nomine, Nicolao Leonio, quo viro utebatur familiarissimè, scelus aperit, docetque conjurationis capita sexdecim esse, singulos duces habere sub se milites sexaginta, & horum omnium antesignanum Principem Falerium. Leonius, promissa sceleris impunitate, amplaq; munerum largitione, nihil cunctando Patrum seniores adit, coactoq; concilio sub ejus noctis initium, quæ cædibus fuerat destinata, suadet tanto malo celeriter occurrendum, statimque mittendos lictores, qui conjuratos vincirent. Huic decreto patrocinata, ut sæpè in similibus, fortuna, captivos dedit perduelles, qui crimen confessi fractis cervicibus occultè necantur. Opprimitur deinde Falerius, detecti sceleris adhuc ignarus, exutusque publicis ornamentis in ipsa curia securi percutitur. Sub hæc quæsitum in reliquos. reperti quadringenti, & plures Falerianæ conspirationis conscii, atque singuli vel capite, vel exilio puniti.

Bellum Pannonicum secundum. MCCCLVI.

DOmesticos ulta Resp. hostes, cum externis etiam nempe Genuensibus, pacem composuit Bernardi Iustiniani opera, & virtute. Non diu tamen vel sub auspiciis fortunatissimi Principis Joannis Gradonici lætatus est Venetus conservata libertate partaque pace, quia altero anno certus rumor increbuit Ludovicum Pannoniæ Regem in Dalmatiam venisse, numerosissimo exercitu, quo uno eodem tempore Jaderam, Sicum, Spalatum, Tragurium, Enonamque obsedit: utque suum hostem diversis in locis variis bellorum tempestatibus jactaret, cum Francisco Carrariensi Patavinorum Principe clam fœdus percussit, jamque Cuneanum, Sacciliumque præter minora alia castra vi subacta fuerant. At nihil unquam tam acerbum obtigit, quod non patiens, & æquus ille Venetæ gentis animus

mus tolerando superaret, tum præsertim adhortante Joanne Delphino, qui in publica administratione Gradonico successerat. Obsessæ in Dalmatia urbes necessariis destitutæ auxiliis, quia universa belli rabies in Italia grassabatur, Pannonio se dediderunt: Enona diu Joannis Justiniani labore defensa, fame, non ferro, expugnatur: Jadera, arce pro Veneto stante, non militum vi, sed Carrariensis fraude succubuit. Hæc inter in Tarvisinis nostri ita strenuè dimicabant, ut ex hostibus vix ullus è castris erumperet, qui non saucius rediret: repulsus tandem ab urbis obsidione ipse Rex, cæsaque multa Pannonum millia. At jure in Carrarienses insurgendum videbatur, puniendumq; armis ingratum genus, sed tum placuit cum illis prohiberi commercia, & Marcum Maurocenum Patavinæ urbis prætorem Venetias evocari. Cæterùm, cùm integra periisset Dalmatia, Patres ut arduum, & difficile bellum evitarent, eam provinciam Regi, impetrata pace, concessere. Ita Reipublicæ optimè consultum, quæ viribus, opibusque exhausta, imperium alibi partum longis laboribus, aversa unius pugnæ fortuna deperdere potuisset.

Bellum Creticum in Colonos.
MCCCLXIV.

QUæ in Creta hac tempestate emersit defectio graviùs Patrum animos turbavit, quàm ulla alia, quòd à Venetis, eodem in coloniam deductis, emanasset. Hi obliti antiquæ patriæ, gentisque unde habuere initia, jam Græcam levitatem, & inconstantiam induerant, connixi in semetipsos à Rep. transferre Insulæ imperium. Defectionis causa ea ferebatur, quòd nullis vectigalibus Cretenses coloni essent obnoxii: & quòd, ita transactum cum majoribus, antequam in coloniam mitterentur. indignè quidem, ac impiè: ac si dominium Insulæ non ampliùs

ad

ad unam Remp.ſpectaret, nec deberent auxilia quandoque laboranti præſtare. Hinc cœperunt rebelles arma diſtringere, conjectiſque in vincula Venetis Præfectis, ipſi Cretam ſuo nutu regere, omniaque novatis pro libidine legibus ſusque deque miſcere:quodque turpius fuit, ut Inſulanorum animos faciliùs captarent, Græcus ubique ritus Latinæ & Catholicæ religioni ſubrogatur. Mutato itaque ſacrorum cultu, quæ fides ampliùs erga Rempub. ſperabatur? quippe rarò populus Principem fideliter amat, qui ab illius religione diſſentit. Revocandos à rebellione animos primùm cenſuit Senatus per Oratores, miſſo Andrea Contareno viro facundiſſimo, ut facinoroſos in antiquum obſequium reduceret, aut demum arma minaretur. At cùm obſtinatis nihil perſuaſiſſet, obtinuit poſtremò deſtinatus ad Europæos Principes legatus, ne Venetis in Creta rebellibus auxilia ſubminiſtrarent. His confirmatis cùm non in alios, quàm in Cretenſes bellum eſſet ſuſcipiendum, omne ſtudium in paranda claſſe locatur, fuit hæc XL longarum navium, præter onerarias, datuſque ei imperator Dominicus Michaelius. Verùm, & maritimo, & pedeſtri apparatu Creta petenda erat, ob id etiam validiſſimus conſcribitur exercitus, cui præficitur vir impiger Luchinus Vermius Veronenſis. Ubi comparata ſunt omnia, Veneti duces in Inſulam tranſvecti Cydonem rebellionis caput oppugnant. Cives continere ſe muris coacti, neque erumpere auſi, deſperata ſpe pacis, & veniæ, in nefaria conſilia ſe dant præcipites: horribili primùm feritate in eos, qui pro Venetis ſentirent debacchantur, deinceps oblata Genuenſibus Inſulæ dominatione, ad tutelam ſibi externam fidem ſubſidiaque depoſcunt. Genuenſes, pacis cum Rep. memores, remiſere legatos ſpe vacuos, qui, ad ſuos in Cretam remeantes, capti ſunt à noſtris & interfecti. Interim dum Michaelius maritimo apparatu Cydonis hæret excidio, pari ſtudio Vermius partes ſibi traditas obit in continenti. At

rebel-

rebelles in vicinis montibus latitantes, plerumque in parum cautos prosiliebant. Tandem Luchini constantia, atq; in præsens conficta quadam locorum ignorantia eos nihil minùs quàm insidias metuentes suis è latebris extraxit, insecutusque dispalatos insignem pro portis urbis stragem de hostibus habuit. Sic domiti Cydonii deditionis signa è mœnibus publicarunt, missisque qui veniam deprecarentur, eam, exceptis defectionis auctoribus, à clementissimo duce retulere: subdiderunt se, eo exemplo reliqua circùm municipia victricibus Venetorum armis. Porrò vetita deditæ urbis direptione exasperatur miles, excitatq; tumultum in castris: sed Luchinus dexteritate, non vi, leniq; oratione continuit tumultuantes. At postea ne talibus assuesceret exercitus, digna in sontes pœna animadvertit. Receptæ insulæ nuncius summa lætitia complevit Senatum: publicè Deo gratiæ actæ, atq; martiales ludi, nunquam aliàs visi, in Marciano foro commissi. Adversa tamen fortuna ejus victoriæ hilaritatem turbavit, cùm paulò pòst ipsamet Insula nova seditione agitari nunciaretur. Joannes Calergius, maximi apud suos nominis, se Cretenses in libertatem vindicaturũ profitebatur. Hoc nomine fuere plures, qui scelerata consilia, factaq; sequerentur, Calergio duce, quà vi, quà fraude, ubiq; grassabatur perduellium caterva, Rhithymnæ expugnatione, Venetisq; non uno loco fugatis Rectoribus, quidquid à Thallis ad Cyamum usq; promontorium protenditur à Reip. fide abalienatum est. In impium, rebellemq; civem Nicolaus Justinianus, & Dominicus Molinus, delecti vindices, cum selecta equitum, peditumq; manu procurrunt, & quidem opportunè repressere Calergii conatus. Sed ille in loca montium aspera delatus, valida suorum turba communivit juga itineri imminentia, à quibus sæpiùs subeuntes nostros, aut repressit, aut deturbavit. Intereà cùm tota in insula hinc inde furerent populationibus & incendiis fœda rei præsertim frumentariæ penuria exoritur. Hæc Lasythanos cum

primis,deinde omnem ferme Orientalem tractum compulit ad imperium Reip. Cæterùm contra Calergium adhuc obſtinatum ſequenti anno progreſſus idem Juſtinianus, ut bello finem daret ad Anopolim caſtrametatur. ibi tutum ob difficilem acceſſum ſe credebat hoſtis; at ubi occupato itinere, quod unicum erat ad arcem, omnia ſibi in dies arctiora fieri deprehendit, nota alia diverticula fruſtrà quæritabat; diſtracti in varia conſilia ſocii, dum per deditionem alii Venetam clementiam; extremam alii pugnæ aleam experiri mallent, quotidie magis in anguſtias adducti ſunt. poſtremò victi omnes, & cum ipſa arce capti. Illa æquata ſolo damnatiſque cum Calergio rebellibus capite, exilio, carceribus, univerſam Inſulam à turbis, ac ſeditionibus purgavit Juſtinianus. Integro quinquennio diſceptatum eſt, in primis Laurentio Celſo, deinde Marco Cornelio in urbe Principatum gerentibus. Juſtinianus in familiæ ſuæ decus, edomitæq; inſulæ memoriam ab Senatu accepit ut domeſtico ſtemmati, auream adderet Aquilam, quod Græci Imperii ſignum in vexillis pinxerat Calergius. Pax deniq; Cretæ ab hoc duce reddita ad hæc uſque tempora conſtantiſſimè perſeverat.

Tergeſtinorum defectio prima. MCCCLXVIII.

ANdrea Contareno Duce qui delatam ſibi omnium calculis adminiſtrationem invitus ſuſceperat, eò quòd funeſtas Patriæ calamitates præſagiret, Tergeſtini primùm defecere. Hi quadam rapti veſania naves Venetas in portu ſtantes diripiunt, diſcerpunt cuſtodes ad vectigalia per Hiſtriam excubantes, & pendentia è turribus Reip. ſigna per contumeliam evellunt. Nunciata defectio, pari mœrore, & vindictæ cupiditate Patres accendit: Quare maritimis, terreſtribuſque feſtinatis delectibus miſſi ſunt ad

coer-

coercendos rebelles Dominicus Michaelius, & Crœsus Molinus, qui postquam in provinciam venere, obsidione & munitionibus adeò circumvallaverunt & vexarunt hostes, ut succedentibus tandem Paulo Lauretano & Thaddæo Justiniano, novis ducibus, penitus debellarentur. Interim cùm se victos, veniaque indignos agnoscerent, Austriaco Principi se, suaque omnia dediderunt. Ille festinavit, veluti ad prædam, magno exercitu. Veneti vallorum fiducia hostiles copias aspernabantur; ut tamen ventum est ad certamen atrox ac miseranda ubique rerum facies vulneribus, cædibusque, jamque apparebant ingruentibus undiq; barbaris direpta, captaque Veneta castra. Porrò Justinianus accitis properè navalibus turmis, terrestres manus inter pugnæ, fugæque consilia hæsitantes confirmavit. Ita redintegrato meliore fortuna bello effectum, ut Austriacus ob acceptas clades de bono eventu desperaret. quamobrem, unde venerat, fugienti similis, revertitur. Exinde cæsis auxiliaribus, datisque in fugam, Venetus accessione virium robustior, Tergestum majore vi adoritur, quod cùm diu obsistere non posset, clementiam victoris, quàm iram experiri maluit. Pacem ergo, veniamque civitati rebelli dedere Veneti, non tam vindictæ appetentes, quàm gloriæ, quod etiam primoribus perduellium antesignanis saluti fuit.

Bellum Carrarienſe primum. MCCCLXXII.

AT quoniam ita comparatum est, ut crescentibus cumulatè beneficiis pro gratia odium reddatur; Franciscus, hoc nomine primus è Carrariensibus Patavinorum Princeps benemerentis Reip. hostis efficitur. Is haud suis contentus finibus Venetos attrectare primùm incepit; mox aucto sceleris pondere ipsius Venetæ Vrbis perniciem tentare ausus est. Misit enim facinorosos, qui puteos venenis

inficerent, certorum optimatum necem patrarent, aliosq; data pecunia corrumperent, ut ipsi sacrosancta Senatus arcana proderentur. Foris ergo arma, intus insidiæ ab ingrato parabantur. In domesticas fraudes, externis perniciosiores, avertendas cumprimis incubuere Patres, repertosq; secreta indagine maleficos opportunè mulctarunt: postremò ad persequendas hostiles injurias conversi, cùm frustrà de finibus anteà per vicinos Principes tractatum esset, undique contrahunt copias. Summa ducendi exercitus cura datur Rainerio Vaschio, qui cum legatis Andrea Zeno, & Thaddæo Justiniano omnia hosti turbulenta redderet. Ad Aponi balnea Vaschius castra posuit, sæpiusq; deducto milite Patavinos temerè lacessivit ad pugnam obequitando, provocandoque. Monitus à Legatis ne tantum periculi ingredi vellet, ne sibi demum cum desperatis bellandum esset, consilii impatiens, & ut erat elati spiritus, militaria insignia deposuit. Deserto ab Vaschio muneri Albertus Corregiensis sufficitur, vir æquè, & armis, & prudentia conspicuus. Interim legati, strenuè administrata re bellica, multa à Carrariensium fide oppida exemerunt: turbaruntque ita omnia hostiliter, ut Franciscus Pannoniæ Regem precibus fatigaret, quamprimùm sibi amico, & clienti prospiceret auxiliari manu, subitasq; mitteret suppetias: implorantem itaq; subsidia adiuvat Pannonius: nec multos post dies Rex ipse cum ingentibus copiis Tarvisinos fines ingreditur, magna nostrorum trepidatione. Irruenti hosti impigrè obiicitur Thaddæus Justinianus, qui propter Plavis ripas prælium iniens de pedestri hostium legione integram tulit victoriam, sed mox ab equitatu circumventus pugnamq; redintegrare coactus, profligatur, cæditurq; & ipse vivus in hostiles manus venit, Tarvisium tandem dissipati exercitus reliquias excepit. Post hæc ad Bassianum Patavini agri consedere Pannones. Exinde illos repellere conatus est Michael Delphinus; jamq; ei prospera cuncta successerant, cùm Carrarien-

rarienſis inopinantem adoritur. quare cùm viribus inferior eſſet, fuga ſibi conſulere maluit, quàm reluctando certum periculum ſubire. Hæc inter alibi feliciùs pugnatum cum Stephano Pannonici equitatus ductore. Is enim pertæſus ſuæ veluti ſocordiæ, quòd nunquam provocatus è caſtris ſat dignum pulverem vidiſſet, aut non niſi levibus congreſſibus tumultuaretur magis, quàm decertaret, in apertum martem ciere noſtros eſt auſus. Itaq; cum hoſte, pugnandi cupido, Albertus, qui, Legatorum conſilio, repellere bellum, non inferre ſtatuerat, manus viriliter in Tarviſinis conſeruit. Diu æqua ſorte, & multa hinc inde cæde dimicatum eſt. Tandem Albertus cùm ampliùs effrenem hoſtem ſuſtinere haud poſſet, ac in ſolicitudinem vertere fiduciam pedeſtres milites ſuſpicaretur, juſſit ab equis cataphractos deſcendere, atque unà ſecum pedibus, manibuſque bellum proſequi. Hoc illuſtri facto, præeunteque duce, tam acriter certatum accepimus, ut hoſtes ad ſatietatem necati ſint, captus ipſe imperator, rapta ferme omnia inſignia, & præ magnitudine cladis Patavium nunciatum, non eſſe cur alia ſperaret ab inermi Rege auxilia. Sed qui triſtis pugnæ eventus ſuperbum, atque implacabilem Franciſci animum non fregit, ad ultimum proſtravit orta in ipſum civium conſpiratio. Ut itaque tutò ſe eriperet à proditoribus, cum quibus difficilior dimicatio, ſupplex pacem petiit, datamq; juxta victoris arbitrium, accepit.

Bellum Auſtriacum primum.
MCCCLXXIV.

FAma eſt Leopoldum Auſtriæ Ducem in Venetos ab Carrarienſibus excitatum. Armorum hoſtilis impetus Tarviſinos primùm corripuit, lataque agri vaſtatione proximis quibuſque oppidis injecit metum: ipſas quoque Venetias Auſtriacus hic terror afflavit. Invicti tamen & hac tem-

tempestate Veneti, comparato exercitu ruentem ulterius hostem pari violentia excipiunt. Ille tum sese obiicere parato timuit, declinavitque in Belunenses, quo in itinere populationibus ac incendiis nihil reliquum fecit. Hanc ob causam Senatus Germanos mercatores Veneta sub ditione degentes carceribus destinavit, & publicatis singulorum bonis damna passis restituit. Intereà totius belli administratio Iacobo Caballo Veronensi mandatur. Is Tarvisio egressus hostes ad Unigum cæcìdit repulitque, ac fugientibus semper inhærens Feltriæ inclusos obsedit. Suorum periculo, ac propria dignitate excitus Leopoldus, non jam prædatoria manu, sed serio ac magno bello obviandum infestæ potentiæ ratus, omnique opere, & opera decus & famam redempturus, acerrimè in nostros revertitur: quibus cùm tutiora magis, quàm furens Germanorum atrocitas, placerent, direptis oppidi suburbiis, incolumes Tarvisium regressi sunt. Ex ea fuga Austriacus dolens sibi interceptam vindictam, prædamque, in Bebianam turrim desæviit, trucidatis ad unum præsidiariis. Cæterùm, ne hæc arma diutiùs obstreperent, consulente Ludovico Pannoniæ Rege, pactæ sunt in biennium induciæ; deinde firmata pax, apud Venetos in diem duratùra, renascente cum Genuensibus bello, quod tamen variante diu fortuna, magnaq; gestum virtute, Reipublicæ cessit feliciter.

Bellum cum Genuensibus septimum, Clodianum. MCCCLXXVII.

TEnedus maris Aegei insula Veneti juris facta bellum hoc, quatuor annis continuatum, cum Genuensibus promovit, cæteris tum rerum gestarum magnitudine, tum fortunæ varietate memorabilius. Metuebant illi Reip. potentiam, quam nova imperii accessione crescere iniquè ferebant. Inde odium & invidia, quæ feros animos in

ejus

ejus ruinam extimulabat. Venetis eam insulam donaverat Calojoannes Græcorum imperator (non inutili nostrorum opera usus in Andronicum filium, regni competitorem) ut beneficii gratiam rependeret. Eandem ipsius Andronici munere sibi Genuenses vindicare conabantur, quod ut quoquomodo assererent, cum filio rebelle societatem, fœdusque jungunt, Venetumque tota Græcia pellere constituunt. Magnum facinus magno firmandum conatu: unde in belli consortium pelliciunt Pannoniæ Regem, Austriæ Ducem, Aquilejæ Antistitem, & Franciscum Carrariensem, ut tot Principum conspiratione nemo rem Venetam, utcumque stabilem, non collapsuram putaret. Erumpunt primi Genuenses furtim Tenedum aggressuri XI triremibus; sed mox recedunt, territi Venetarum navium robore, & numero, quæ in illos audacissimè processerant. Hæc inter Byzantii ab Andronico sævitum in Venetos mercatores inaudita, & corporum, & rerum clade: coactusque Imperator benevolentiam Venetorum Genuensi admetiri. Sed hæc omnia vix è Græcia innotuere, cùm alius rumor insonuit: à finitimis nempe Patavinorum, & Aquilejensium Principibus Venetos fines igne ferroque lacessiri. Tanta rerum discrimina nostrorum animos haud territarunt, qui locata in sola virtute fiducia, spretoque armorum undequaque furentium strepitu, fortiter, & propriis se viribus tutati sunt. Quoniam igitur maritimum bellum in dies magis, & fama, & periculo crescebat, Victorem Pisanum in Ligusticam oram expediunt Patres. Ille ejus prætervavigato littore plura dissipavit navigia; & conserto apud Antium marte, hostilis belli ducem Ludovicum Fliscum in captivitatem adduxit. eo tamen loci major cum pelago, quàm cum Ligure dimicatio fuit, quæ verò victoria tempestati, & naufragio superfuit, ea pro Victore stetit. Sed illius quasi altera spolia repoposcerat, cùm paulò pòst ex Eubœa in Ligusticum tractum denuò reversus est: popula-

pulatus circùm omnia cum opima præda suos deinde in Histriæ hyberna deduxit. Hinc alibi apud hostem summè trepidatum; quippe Venetæ triremes, quæ novam sponsam Bernabovis Insubrum Ducis filiam Cyprio Regi erant tradu&cturæ, opem quoque videri poterant ferre in recuperanda Tamasso, illi jam antea per vim extorta. Neque id perperam. Nam ut nostri Cyprum appulere regiis precibus animati, in eam expeditionem quinque triremes dimittunt. sed harum opera eadem fuit, quæ regiarum copiarum. nam illas Ligur oculis, animoque jam tum sibi præsens, ut vidit, sic profligavit. Meliùs, relicta Cypro, ad Ascrivium Pisanus rem egit, ubi & mœnia civitatis, & civium animos eadem consternatione protrivit, captivorum præda militibus,ut promissa,sic data, ulterioris audaciæ futura cos. Ab Ascriuii Pannonici oppidi eversione in Calabriam transfretavit: audierat in Tarentino sinu stare inimicam classem, cujus oppugnandæ cupidus, omnia maria, & littora vestigabat; sed hæc Venetum adventare monita, extracta in tempus pugna, tamdiu morata est persequentem, quousque se frustrà adniti Pisanus agnovit, Jaderamque cursu tenuit, ubi cùm nullus portus, nec statio ulla tuta Veneto esset, necessariò, quò venerat, redeundum, fuit. Hæc dum mari fiunt: in Tarvisinos agros, vicosque diris procurrebat vastationibus Carrariensis: sollicitatum ad deditionem Mestrium Francisci Delphini vigilantia in obsequio retinuit. Verùm Pisanus in Dalmatiam regressus domuit Sicum, militique concessit diripiendum: mox Tragurium conversus, in portum, cui hostiles naves incubabant, non semel tentavit irrumpere, sed inde ab Genuensi præsidio compulsus abscedere, Histriam in hyberna divertit:ubi quantum hìc aeris inclementia, ac pestilens cœli plaga classem confecerit, exeunte hyeme, argumento fuit, quòd ex triginta selectarum triremium, remige, ac milite vix duodecim restaurarit; missum igitur ab urbe imminutæ

classi

classi supplementum, mandatumque Pisano, ut in Cretam navigaret. Sed jam iter parantem triste fatum excepit, certumque venturæ calamitatis augurium. Refectam enim classem, apparatumque belli omnem in mari aggressa tempestas tam fœda strage laceravit, ut hostilis belli effigiem præberet, planè quasi Genuenses quoddam cum fluctibus, procellisque fœdus adversus Venetum iniissent. Duæ, quas ex onerariis in portum Anconitanum incolumes æstus explicuerat, scelere oppidanorum Liguri proditæ sunt: reliquas à pacato mari recollegit Pisanus, opportunè instruxit, iisque est usus dexterrimè. nam quindecim hostium rostratas fugavit, quibus illi profecti in Adriaticum omnia turbabant. In Aegeo mari graviora damna Genuensibus inferebat Carolus Zenus, vnoque propè tempore omnibus locis adesse videbatur. Vsus est fraude sub hæc vafer hostis. Nam audito Pisani trajectu ad Polam, ab averso portui promontorio decem majores naves in insidijs collocavit, totidemque Venetum insecutus est. Victor, harum ducem Lucianum Auriam, ex insolito certaminis appetentem ut vidit, in audacia fraudem suspicatus, prælium recusavit. Propterea à suis timoris incusatus, demum ad pugnam provocanti occurrit, jussis stare in portu quinque triremibus, quæ tempestiuè succederent, ubi necessitas postulasset. Pugnatum accepimus ita, ut classis utraque aciem terrestri similem instruxerit. Pisanus fatorum violentia raptus in fallacias ac medius inter hosticas dimicare coactus, victoriam tandem circumfuso Liguri reliquit, nullis subsidiariis, ut credebatur, in usum prodeuntibus. Hujus adversæ cladis rumor in urbe evulgatus, incredibile, quo mœrore omnium animos perturbarit. Illius primùm auctor Pisanus, quòd pugnasset temerè, poscitur; inde perduellionis damnati, qui ducis imperio non paruerant, omnes simul condi carcere Senatus jubet. Hosti, quo ple-

nissimè triumpharet, nihil deerat, præter ipsam urbem. Idcircò, Petro Auria ducente, solvit ab Jaderensi littore, ac more ignis obvia quæque depopulatus, Gradum, Comaclum, Caprulas incendit: propiùsque ferens hostilia arma, diripit Palestrinam, inde Clodiam mouens omnia circùm evertit, repletque tumultibus. Verùm in unam oppugnandam Clodiam totis animis, viribusque fœderati omnes suas acies direxerunt: quippe ea capta imperii finem, occasumque urbis dominæ certò sperabant. Maxima itaque vi summoque apparatu premi Clodienses cœpti sunt: aggeribus, munitionibusque oppidum quà terra, quà mari circumseptum, curante sedulò legiones commeatusque Carrariense. Restitit supra vires Petrus Hemus Prætor, elusitque plures dies hostium territamenta, sed tandem, desperato subsidio, fame, ac machinis expugnato defensore, cessit oppidum hostibus, qui immani sævitia tum finem cædibus dedere, cùm deficerent, qui cæderentur. Sex mortalium millia periere, ingens captivorum fuit numerus. Ad nuncium perditæ Clodiæ, publicè statim comploratum est: ob id à Patribus, undique ope destitutis, missi illico Oratores, qui integram tantùm libertatem à Carrariense, & à Ligure quibuscumque legibus impetrarent. At ille pervicaci odio, hic præsenti victoria efferus, eam pacis spem Venetis reliquam proponebant, ut victi libero jure victoribus subderentur. Indignitatis plena responsio ultimæ libertatis admonuit Venetum, in libertate natum, pariterque victurum, atque ut quàm maximè vegeti solent esse impetus pro vita dimicantium, sic plus animi sumptum à populo quasi morituro, itumque in omnem reliquæ fortunæ spiritum, conclamatumque ad arma classico populi, reposcentis una voce Pisanum belli ducem. Huic publicæ acclamationi assensum, tanquam arcanæ divinationi, eductusque è custodia Victor, totius belli administrationi, ceu alter Marius, præficitur. Sic civitatis studium fortiter insurrexit, affectante ultrò militiam plebe, ac in

usum

usum præsentem nonnullis sumptus præbentibus, & navigia privata stipe. At hostes quoque rem suam agebant foris. Methamaucum usque provecti è propinquo ultimam cladem non se dedentibus minitabantur. Pisanus recenti classe, & urbanis copiis instructa, moturus in Genuenses, proximum littus munit excubiis, duasque ante portus fauces protendit ferreas catenas, & aliquot ad Popiliam mergit navigia lapidibus plena: ut ita occluderetur libera in urbis aquas navigatio. Sed interim non deerant audentiores, qui minoribus cimbis Clodiam prædatum usque procurrerent. Thaddæus Justinianus ex hostium vinculis elapsus hostilia rostra juxta Brundulum acriter divexabat: pari successu Jacobus Caballus lacessebat in littore Carrariensem peditatum. Hæc in futuram spem prosperè in salo patrabantur; in solo turbulentiùs, cùm in lassos, atque districtos gravis alter belli turbo infremuisset. Pannonum arma per eos dies, instigante Patavino, sensere Tarvisini, & de eorum incursionibus fidelissima urbs querebatur. Senatus, qui uno tempore tot bellis sufficere non poterat, per legatos ab Rege pacem petit: at quia iniquæ proponebantur conditiones, rejecta est. Ita ex desperatione crescebant animi. & quoniam supremi Ducis præsentia in bello, veluti numen quoddam est, à quo milites alacres, ferocesque spiritus hauriunt, Patres in eam sententiam ivere, ut penes Andream Contarenum Principem universi exercitus regendi esset imperium: & in patriciorum album redigerentur ii, qui tum privatis impendiis juvissent rem publicam. His prudenter decretis cœpit fortunam pœnitere inflictarum cladium. Præeunte ergo Contareno, nostri visi sunt fortiùs, alacriùsque bellare: vulnera sine mœrore accipere, mortem intrepidi oppetere, & illius majestate, qui corpus annis quamvis grave, ingenium tamen prudentia vegetum bello afferebat, nemo militum mandata ducum detrectare. Igitur singuli nauium moderatores pari animorum impe-

tu implacabilem asperrimumque hostem aggressi sunt : Joannes Barbadicus ex Albani fossa Ligustica præsidia dispulit : Thaddæus Justinianus quotidie magis redeuntis, & reviviscentis imperii spem virtute, manuque dabat : nec hisce, aut cæteris inferior Pisanus in ipsis æstuariis infensissimi exercitus molem mira felicitate sustentabat, nulla non die victor præda, aut incendiis hosticarum navium : Carolus Zenus Ligurem toto Adriatico classe vagum nullibi in tuto consistere patiebatur. Prosperis hisce placatæ fortis præludiis non levis metus invasit hostem, qui omnia in peius sibi ominari, castris non amplius egredi, sua ipsa consilia, conatus, impetus formidare : ita ut desertor ipse suarum munitionum, operumque pavidus, ac tremens Clodia sese clauderet. Illum mœnibus obseratum repentina adoriri oppugnatione à nostris decretum est; idque per principem Contarenum adeò festinatum, vt ante Clodiæ portum priùs constiterit, quàm de accessu quicquam ad Ligurem perveniret. Ad Venetæ classis conspectum, ac si ultima necessitas, solidum ad magna, & fortia incitamentum Genuenses in furorem verteret, vehementi impulsu suis triremibus nostras naves urgent, initoque acri certamine onerarias, quæ magno erant usui, superant, perforatasque incendunt, ac reliqua classe fugata, tantum terrorem nostris incutiunt, ut apud consternatos jam pro certo periisse libertas videretur. Omnium tamen animos voce, vultuque recreavit Contarenus, ac ostendit calamitosæ virtuti fortunam haud defuturam, vanosque esse eos metus; cùm certam de hostibus victoriam promitteret. Jussit itaque intempesta nocte mergi duas ex semiambustis onerariis in portu, eodemque astu Brundulum occludi, & reliquos impediri aditus, ne qua hostica classis exiret, atque ita obsideretur. Cognito Venetorum reditu, Ligur priori impetu ad pristinam victoriam in nostros rapitur : sed sensit dolos, cùm in ipsas

ſas obrutas naves incidiſſet, incuſavitque Auriam, qui ſuo muneri defuiſſet, neglecta portus cuſtodia. Acrior itaque è vicinia redditus utrinque hoſtis mutuum cruorem quotidianis dimicationibus hauriebat, ingens ubique ſtrages, ac ferè æqualis, niſi quòd Ligurem fouebant ſociorum auxilia, proinde à Clodia ſummoueri non niſi multa vi poſſe videbatur. Magnam intereà ad victoriam ſpem, & momentum attulit Joannes Barbadicus, qui omnium primus horribile & admirandum in aquis ſpecimen belligerandi exhibuit æneis tormentis, quas vulgò bombardas dicunt. Eorum uſus jam antea repertus ad tutanda, quantiendave ignitis glandibus mœnia, plurimùm tunc Venetos juvit. Ille ſingulos lembos, atque triremes novis iis machinis armatas Genuenſium pectoribus objecit: quorum ictibus inſolitis, & inevitabilibus miſerè diſcerpebantur. Sub hæc è Græcia cum XIV. roſtratis acceſſit Zenus; quarum aliquot Brundulum tranſmiſſæ ad Piſanum ventorum vi abreptæ, (ſic belli aleam alternante fortuna) vicinis littoribus alliduntur, at laceræ, planeque inutiles fiunt hoſtium præda. Læti eo facto, veluti ſi pro illorum cauſa pelagus, venti, cælum dimicaret, duplicem moliuntur eruptionem, alteram ad Lupam, alteram ad Brundulum, vtrobique tamen cum clade repulſi: propterea aliam effugii viam tentarunt. ex tranſverſo enim littoris, quà in mare proſpicit alterum veluti portum ſibi fodere parant magno ſanè labore, non tam fugæ deſtinatum iter, quàm in obſidentes noſtros viam. Maturè eam molem detexit Venetus, certuſque terreſtri manu poſſe diſſolvi, è navalibus copiis expeditum legit militem, qui ſub Caroli Zeni auſpicijs in continentem proſiliret. Ille utraque diſciplina pari laude conſpicuus, pedeſtre bellum ſuſcepit; infeſſamque ab hoſtibus medio littore turrim ſubvertit: & dum victor ulteriùs procedit, diſturbato opere, armatas offendit acies, quæ turmatim incondi-

toque

toque clamore Brundulo, Clodiaque in Venetos irruebant. In confertissimos hostium cuneos penetrat Zenus, nec ducis minùs virtute, quàm militis ardore Brundulanas primùm copias in turpissimam vertit fugam; mox Clodienses, occiso Auria, insequitur usque ad pontem, quo in alteram ripam Clodiam versus trajicitur. Pons à fugatis ex acie, atq; à transmissis ab oppido in subsidium, occupatus ruinam traxit præ pondere, in subjectasque aquas mortalium plures dimisit, ac retinuit Venetum, ne tum Clodia potiretur. Ea prælii calamitas, fractiq; pontis jactura tanta fuit, ut ad tria millia hostium interiisse dicantur, & capti ferè sexcenti. Post hæc dedente se Brunduli castro, Clodia terra simul, marique obsideri potuit. Inclusi intra mœnia, non armis, non commeatibus egentes, quæ largus omnia suppeditarat Carrariensis, decrevere novo vincendi genere, scilicet non pugnando, superare, rati Venetam virtutem, ac patientiam mora, tædioq; consenescere. At Zenum nulla securitas post victoriam, neq; ulla segnities incesserat. Quare à Clodiæ portu circùm ipsam urbem castrametatus, illam vallo, fossa, inductoq; mari, castellisq; circumdatam subjugare non ferro, sed fame statuit. tanta usus vigilantia, ut procedente obsidione obsessi confœderatorū suppetias frustrà implorarent. Genuam subinde it nuncius, qui classem Clodiano portu retentam, speratā excidisse victoriam referret, & alterum navalem apparatum instruendum, quo mœsti cives urgenti ac miseranda calamitate eriperentur. Ea propter ad liberandos obsessos Matthæus Marussius in Adriaticum tredecim triremibus navigavit. sed metu Venetæ classis, dum suam Clodia procul ductaret, in Thaddæum Justinianum incidit ex Apuliæ frumentatione redeuntem. Hic conspecto hoste in Sipontinum portum deflectit, quem insectatus Ligur viribus disparem oppugnat, comprehendit, atque iterùm in captivitatem abducit. Secunda hac pugna Clodiam appellit, ut, si quà posset, obsessis subveniret, atq; ob id etiam

nostros

nostros importunis clamoribus provocabat. Pisano immodestæ temeritatis, castigatio commissa, cujus nomine vix audito convitiantes turpi fuga, se ejus furori subduxerunt. Cedentes in Dalmatiam Pisanus insequi noluit. cæterùm qui obsidebantur, percepto amicæ classis adventu in usum novorum lintrium tecta, parietesque resciderant, quibus per internas aquas clanculum delati in mare ad suos profugerent: & effugissent quidem, si Zenum hostile opus, vafrumque ingenium latuisset. Is extemplò ad mare accessum prohibuit parvis myoparonibus, invectusque in fugam molientes, omnes in oppidum rursus compulit, succensis naviculis. Ad ultimum extrema defatigati inedia, & ad obscœnos quoque cibos redacti, non priùs de se dedendis cœpere consilia, quàm auro tentata aliquot Venetorum ducum pro effugio fide. pervenit & hoc scelus opportunè ad Zeni aures, qui in delatos reos sub hostium oculis animadvertit, atque exinde majori studio continuata est obsidio. hac demum domiti Genuenses misere legatos, qui nudis tantùm corporibus liberam abeundi facultatem deprecarentur: sed rejecti, repulsique invalescente rerum penuria coguntur sese victorum arbitrio & potestati permittere. Decimo itaque obsidionis mense, non tam armis, quàm, turpe nihil non experti, fame devicti easdem conditiones à victore Veneto accipere coacti sunt, quas illi antea victo obtulerant. haud levi temperandæ victoriæ documento. Capta Clodia, quatuor hostium millia in publicas custodias data sunt: unde viginti triremes captæ: & biduo integro facta prædæ licitatio. Quoniam verò nunquam Veneti domitis hostibus victoriam exprobrarunt, qui, nec si vincerentur frangi animo, nec si vincerent, secundis rebus insolescere consueverunt, ideò publicè, privatimque singulari lenitatis exemplo ita habiti sunt captivi, ut non facilè crederes, eum esse Genuensem, qui Venetam libertatem non ita pridem opprimere studuisset.

Ter

Tergestinorum defectio secunda. Justinopolis iterùm recepta. MCCCLXXXI.

NOn quievere Clodiana clade pervicacissimi Ligures, ne tam virtute, quàm fortuna superati viderentur. Prompti igitur ad vindictam XX rostratarum classe non multò pòst Genua egressi Histriam, & Dalmatiam sollicitant, atque in primis retrahunt à Reip. obsequio Tergestinos. Prona in scelus gens hæc fidem deserit, conjectoque in vincula Donato Throno Prætore fugat ex utraque arce præsidium. Eadem vesania furit Iustinopolis, sed arx Veneto firmiùs adhæsit. Auctis denique viribus hostis prope ipsa æstuaria rursus stare visus. Quocircà Zenus aduersus denuò insultantem immissus, reddito priùs securo ab incursibus mari, in hostile delatus solum, oppida vicosque secundùm Lunæ portum evertit, in eumdem invectus paulò pòst Pisanus illum Pirano dispulit in Dalmatiam, ubi diu inter scopulos latuit. Verùm ut partæ de Genuensibus victoriæ nihil superesset, Tergestum, ac Justinopolis rebelles urbes in obsequium erant reducendæ. Decretum itaque primùm Justinopolitanam moliri oppugnationem, qua peracta prosperè, sperabatur ultrò se Tergestum dediturum. Pisano hæc una commendatur expeditio, qui jam hosti terrori erat. Igitur classe optimè instructa in provinciam delatus, speculatorias, lectasque turmas præmisit, quæ nocturno descensu pontem rescinderent, qui Justinopolim jungit continenti, ut ab ea parte rebellibus externa auxilia retardarentur, & summo manè tanta celeritate ad inimicum littus appulit, ut Justinopolitani, quem venire non senserant, videre se vix crederent. confestim circùm jacentes agros vicosque fœdat incendiis in obsessorum metum; denique urbis mænia omni telorum, pilarumque genere adeò quassavit, ut,

tandem

tandem oppidani consternati animo iterùm in potestatem venerint. Post domitam Justinopolim Pisanus Liguſticæ classis reliquias insectatus, eas in Pelignis littoribus fœdissimè laceravit, sumpta de Polæ, Arbæque vastatione, & de abducto in captivitatem Ludovico Contareno, vindicta. His gestis, Jaderam tenuit; pòst apud Sipontum correptus lethali morbo interiit, universis meritò fortissimi viri sortem collacrimantibus. Sed postquam privato, publicoque dolori indultum est, Patres maritimis rebus summa cum administratione præficiunt Carolum Zenum. Intereà Aloysius Lauretanus apud Curictam hostes dedit in fugam, eosque toto postea pelago Zenus exterminavit, compressa quoque illorum audacia, qui circà Anconam in Venetos negotiatores piraticè incursabant. Ad hæc, modò Inferum mare, modò Superum perlustrando recentem Liguris classem quæritabat, quam per eos dies VII ac XX triremium Genua prodiisse audierat. Nec vanus rumor, nam illa repentino appulsu Justinopolim denuò subjugarat. Carolus non alia vi, quàm facta in hostilem provinciam irruptione, abducendum hostem ratus, & pari exemplo Histriæ clades in Liguria vindicandas, illuc tota mole conversus, maritimam oram tantis calamitatibus infestavit, ut inhærentem, atque incubantem alienis rebus militari hac arte retraheret. Ita bis continuato bello Justinopolis amissa, bis recuperata. Cum irrequieto sanè, vehementique hoste pugnatum, qui fortunæ judicium pati insolens, repetitis excursibus, à Pisauro Clodiam usque, mare quasi tempestate dennò præcluserat. hinc à nostris circa urbis portum aliæ erectæ munitiones, dispositi in littore milites, imperatæque naves, quibus per occasionem quæcumque hostilis audacia comprimeretur.

Bellum secundum Carrarienſe. MCCCLXXXII.

VIx ſedata maritimi belli procella, altera tempeſtas ab Carrarienſibus aliundè mota perſtrepuit, eodem tempore, quo periculoſiſſimis bellorum curis implicabatur Reſp. Tarviſium illi affectabant, quamobrem cepere vaſtatis in conſinio agris, poſitis ad mœnia caſtris, extructiſque turribus, quæ murorum pinnis imminerent, urbem diu noctuque fatigare. Et ut brevi illius abſoluerent oppugnationem interceptis commeatibus, Silim fluvium in diverſa diduxerant. Tarviſina præſidia non tam hoſtium metus, quàm rerum omnium penuria inceſſit, quare ut animis conſternatis noſtri ſuccurrerent, armatis quibuſdam lintribus ſibi aperire conantur infeſſas aquas, Marci Caravelli ingenio. Is hoſtiles machinas ab amne revellere aggreſſus, ab incepto opere à Carrarienſibus deturbatur, incaſſum è fluminis ripa opem afferente Saraceno Dandulo. Acriùs exindè oppugnatum Tarviſium, circumlatiſque hoſtium magno terrore ſignis, Caſtrum-francum, munitioraque alia circùm municipia Patavinis tradita ſunt. Quare cùm ſpes omnis retinendi Tarviſii cecidiſſet, viſum eſt Senatui eam urbem Leopoldo Auſtriaco Duci tradere, in contumeliam inviſæ gentis, & ut Reſp. liberata domeſtico bello, tota in Liguſticum inſurgeret, quod fama erat magis, quàm antea erupturum. Carrarienſes de Veneti Legati profectione ad Auſtriacum certiores facti, in Tarviſinos majori rabie concitantur, utque majorem obſeſſis metum incuterent alienis calamitatibus, Noalium evertunt, Acelum ſolo æquant, Serravallium, & Cuneanam arcem deditione capiunt. Adventantis hæc inter Leopoldi ad recipiendum Tarviſium fama cum valido exercitu Carrarienſium copiarum ductor Arcuanus Buzzacarenus exterritus Patavium feſtinata fuga receſſit, rever-

reverſurus ubi juviſſet. At vix Leopoldus, nullo obſtante Plavim tranſmiſerat, intraque urbem feſtis acclamationibus erat exceptus, cùm hoſtes recollectis in unum copiis ipſum ſecurum inopinato armorum ſtrepitu turbavere. Pavidum, necdum auxiliis confirmatum ingentibus promiſſis expugnant, ut Carrarienſibus quod ferro aſſequi nequiverant, auro concederet. quæ omnia priùs perfecta, pactaque fuerunt, quàm quidquam eorum geri Venetias nunciaretur. Indignum id facinus noſtrorum animis altiùs inſediſſet, niſi per eos dies pax inita cum Genuenſibus, in quam utrumque populum, ac fœderatos Principes ſollicitarat Aimon Allobrogum Dux, tanta lætitia Senatum cumulaſſet, ut tum aduerſa hæc non ſentirentur.

Fœdus cum Mediolanenſium Duce in Carrarienſes. MCCCLXXXVIII.

NOndum elapſo pacis ſeptennio redit ad arma Franciſcus Carrarienſis, præſidente Reipub. Antonio Venerio: neque aliam ob cauſam, quàm quia quietis impatiens, & alieni imperii cupidus. Inierunt Veneti cum Galeatio Vicecomite Mediolanenſium Duce fœdera adverſus turbidum Principem, vt illo diviſim oppugnato, faciliùs à ſe propulſarent injurias. Quare à continenti progreſſus in arma Vicecomes Patavinæ urbis exitium omni tormentorum genere proſperè molitus eſt. Franciſcus ut ambitionis, ruptæque pacis daret pœnas captus in Inſubriam deducitur, clauditurque anguſto carcere, qui paulò antea amplo, & opulento oppido vix capiebatur. Noſtri comparata aliunde plurium navigiorum claſſe ad oppugnandas hoſtiles in ſtagnis, ac in fluvialibus oſtiis erectas munitiones progrediuntur, Franciſco Delphino præfecto. Poſt arces, caſtraque occupata everſaque, ab aquis in ſolum translato bello, Tarviſinam expeditionem ſuſcipiunt: & quamvis jam fuſi, & ſau-

cii hostis reliquias adorirentur: non faciliùs tamen domuere,quàm integri, & recentis. Itaque inter varia armorum discrimina Tarvisini Venetæ clementiæ memores sese fidei,obsequioque Reip. alacres tradidere expulsis Carrariensibus: tantaque constantia, ut nec fidelior in posterum reperta gens ulla sit, in summa etiam Venetarum rerum desperatione.

Bellum sociale in Galeatium Vicecomitem Mediolani Ducem.

MCCCXCVII.

GAleatius, præclarissimarum urbium accessione, quippe qui Patavium jam occuparat, jamque Veronam, ac Vicentiam, expulsis Scaligeris,invaserat, tumidus, & ferox dum integras provincias suo addere imperio connititur,sibi finitimorum Principum invidiam conciliavit. Inde odium, & reprimendæ cupiditatis consensus, eo præcipuè tempore, quo ille cum Bononiensibus, ac Florentinis præliabatur. Ejus belli incendium cùm per viciniam timeretur grassaturum, universi propemodum Italiæ Principes ad id restinguendum sancitis fœderibus,sociatisque armis conjurarunt. Veneti classe per Padum in Mincium traducunt, quia hostis in Mantuanum socium primò moturus credebatur,& audacissimè Vicecomitem adorti unica dimicatione classicum ejus apparatum profligant,gloriamque confecti belli,servata Mantua,reportant. Huic victoriæ alterum non minùs illustre facinus adjungitur.Galeatius Patavium, uti diximus, sui juris fecerat, fuga, cæde, captivitate Carrariensium.Evaserat Franciscus,junior appellatus,atque tamdiu apud Bavariæ Ducem latuerat, donec sibi recuperandæ paternæ urbis occasionem virtus,aut casus dedisset.Accepta itaque Italica conspiratione in Vicecomites, ignoto habitu Venetias venit, exorataque Senatus clementia, Patriæ, ac

urbis

urbis administrationi restitui impetravit. Beneficio igitur, armisque Reipublicæ iterùm Carrariensium familia Patavio potitur, ejusque imperium Franciscus recipit Senatus Veneti munificentia. quæ cùm barbaros & immites quoque animos conciliet, quis credat in Rempublicam arma denuò sumpturos Carrarienses?

Bellum cum Genuensibus Octauum.
MCCCCI.

PRæerat urbi Michael Stenus, cùm Genuenses rupto fœdere, violataque pace alterum ex præsenti tranquillitate belli turbinem excitarunt, non irritati, sed ipso, quo antea invidiæ æstu, aut morbo dominationis: quasi cum Venetis naturale haberent dissidium. Buccicardus quidam Gallus per ea tempora rem Genuensem administrabat. Hic cum tribus ac viginti triremibus Tamassum, Cypri urbem, adnavigavit, ut inde, si daretur occasio, in Syria novi aliquid tentaret. primò igitur Berutum oppidum prædabundus aggreditur, ingentes ex eo prædas agit, infestus etiam onerariis, quæ Venetorum merces vectabant; nec privatis contentus, fur publicus haberi voluit: ausus etiam Reip. classem apud Methonem populari, quasi certus victoriæ ex sociorum piratarum numero. Cæterùm Carolus Zenus Genuenses vincere assuetus in temerarium hostem strenuè, suoque more detonuit; consilio manuque acris per prætoriam discurrens illud sæpiùs suis repetebat, non multitudine ac ferocia, sed virtute militum ac prudentia Ducum constare victoriam. At dum quoque de triumpho hæsitaret fortuna, Hermolai Lombardi adventus rem Venetam undecim rostratis ægrè defensam, penèque expugnatam erexit astu. Is cùm plenis velis in hostilem classem, duabus triremibus, impressionem fecisset, jamque inimicas contingeret, jussit momento velorum funes incidi,

cidi,quæ ventorum vi raptæ unius hostilium nauigiorũ milites retis instar involvit,ut omnes ad unum incruento marte cæciderit,& aliud infesto ictu percussum cum propugnatoribus demerserit. His auspiciis restaurata quasi de integro pugna,Zenus Buccicaldum ita oppressit,ut, quamvis duplici vulnere saucius non priùs ex acie recesserit , quàm victum hostem , omnique penè apparatu exutum in fugam conjecerit. Parta victoria Venetus ad suos lætus revertitur, cuius magnitudine , quantus Genuensibus incussus fuerit metus, vel ex eo constat, quòd nulla in posterum ab ipsis Reipublicæ vis illata.

Bellum Carrarienſe tertium.

MCCCCIII.

MAjores suos imitatus Franciscus junior Carrariensis, atque hæres paternæ ambitionis, dum per omne nefas imperium proferre studet, contumacem se quoque, & ingratum adversus Remp. declaravit. Primùm itaque cùm,sublatis veneno Scaligeris, Veronam occupasset,cæpit armis urgere Vincentiam. Cives tyranni mores detestantes vltrò se Veneto Senatui dedidere. His in patrocinium ac fidem susceptis, ad Franciscum missus nuncius, ut desisteret Vincentinos injuriis lacessere;& nisi temperaret,bellum indiceret. Ille acceptorum beneficiorum immemor,non modò Venetorum postulatis acquievit,sed legatum per obscœnam turpemque contumeliam violatum, & irrisum remisit. Quare haud cunctanter in arma conclamatum, præfectis terrestrium copiarum Paulo Sabellio , bellique socio Francisco Gonzaga Mantuano ; navalium Marco Grimano,ut non tam terra, quàm aquis sacrilegi hostis temeritatem,ac perfidiam retunderent,& castigarent. Grimanus armatis lintribus in Meduacum illatus ex omnibus ferme locis munitiones & Carrariensis præsidia deturbat: Gonzaga cum

cum Sabellio Patavinum agrum ingressus eadem fortuna circùm omnia subvertit, atque crebris vastationibus, & incendiis quotidie trepidantis civitatis oculos fumo, ac pulvere implebat. Verùm quia faciliùs cessurus videbatur Carrariensis, si divisis armis peteretur, jussus est Gonzaga bellum in Veronensibus administrare, qui ea arte, & solertia arma moderatus est, ut interclusis undequaque subsidiis, ipsa penè, qua cœpta est obsideri die Verona capi potuerit: sed nihil æquè, atque invisa Carrariensium dominatio, odiumque ob interfectos Scaligeros deditionem maturavit. Nostri urbem adepti, hostium obtruncant præsidia, insecutique Jacobum Francisci filium clàm aufugientem prope Hostiliam capiunt, ac Venetias vinctum mittunt. Hæc inter Franciscus cùm diu labantes in præceps res suas sustinere non posset, ad externa conversus auxilia, Albertum Atestinum Ferrariensium Ducem in Remp. concitavit. At Senatus ut certum, iratumque hostem cum Alberto committeret, illi fratrem Actium exulem opponit duplici injuria metuendum; & libertatem, & Polynesum jure sibi repetentem. Hic effusus cum Venetis turmis in Ferrarienses agros nihil cui ferro, & igne noceri poterat, non fœdissimè vastat. traducta etiam classis per Joannem Barbum, utrique Padi ripæ adeò se præbet infestam, ut Ferraria ex metu nutaret. Quare cùm se inexplicabilibus malis oppressum iri cerneret Albertus, positis armis, à fratre, jussu Senatus acceptis conditionibus, pacem redemit. Sedato hoc motu bellum validiùs in Carrariensem recruduit, ductore Galeatio Grumello, qui mortuo Sabellio suffectus, ut in hostile solum pervenit, arces & vicos terrore, colles & agros populationibus complevit. Patavium tandem promotis castris, cùm aliquot dies machinarum impetu primum illius, & sequentem murum prostrasset; scalis deinde, & irruptione ad portam Sanctæ Crucis peregit excidium. Fugatur in arcem Franciscus, qui, velut in altero oppido victori diu restitit. hìc acriter obsessus, &

prope

prope expugnatus hostis,ferociter pro se pacis leges agebat, veluti re integra,ac in ipso interitu superbissimus. Cæterùm Patavini non tam fessi fame & bello, quàm domini pertæsi contumaciam, versa in rabiem fide, Principem in Venetorum manus dederunt. Hunc in modum recipitur arx, ipseque captivus Venetias ductus, digna ingratis pæna, jugulatur. Hoc Patris, & Aui fatum quinquennio pòst subivit etiam Marsilius,ausus res novas moliri,in quo omne Carrariensis familiæ genus extinctum accepimus,ut nullus remaneret, qui tantorum facinorum capesseret successionem. Ex hoc trium annorum bello accessere Veneto imperio Vicentia, Verona, Patavium, aliaque complura clarissima oppida,ii nempe solent clementiæ Principum esse fructus: tyrannis autem non diuturni obsequii magistra est.

Bellum cum Sigismundo Imperatore. MCCCCIX.

TAndem Jadera non armis, sed auro Venetæ ditioni debebat accedere cum universo agro, suisque à mari limitibus.Hanc Ladislaus Pannoniæ Rex in Neapolitanum Regnum, quod nuper obtinuerat, profecturus, Reipubl. vendidit centum millibus nummùm.Ita Venetus, per vicinas, remotioresque gentes, jam manuducente fortuna, diffusus,justis armis, honestissimisque titulis suum imperium auxit,& propagavit.Interim tamen Sicum, Sebenicum vulgò,plurimùm civili discordia vexabatur,quippe dominante plebe ac Sigismundi Imperatoris studiis animata, nobilium hominum ordo in exilium actus fuerat. hic adversus sordidum vulgus Reip.auxilium impetravit, & eò promptiùs, quòd si negaretur, rebellionis periculum, quadam veluti contagione, in finitimos erat promanaturum. Confestim igitur expedita classis, ad Sicensem oppugnationem traducitur, subitaque aggressione tentatur oppidum. at propugnato-

gnatoribus impigrè erumpentibus diu in obsidione laboratum est. Porrò finem hujus belli urgente Senatu, classico apparatui juncta est etiam terrestris manus sub Ludovico Buzzacareno. Hic hostem jam terra marique circumsessum brevì ad extrema usque compulit, sed dum ille segniter rem bellicam administrat, ac sine sanguine triumphare studet, obsidionem in alterum annum protrahit, & Sigismundum Imperatorem suis sedibus evocat, qui deditæ sibi plebis causæ patrocinaturus magno equitatu Venetos fines ingressus inopina irruptione terrorem longè lateque omnibus incutit, & expulsis Savornianis, potitur Utino, adimitque Reipubl. Belunium, Serravallium, & Feltriam oppida, non indecora Carrariensis belli spolia. Tarvisium erat reliquum, cujus tum agrum hostis miserrimè prædabatur. Tanti belli incendium furtim enatum repressuri Veneti, tumultuario milite occurrunt. Sed, ne latiùs vagaretur, effecit Carolus Malatesta, dum cunctando magis, quàm dimicando, superbientem rapinis hostem integro fermè triennio in Tarvisinis remoratus est. Tandem diuturni belli calamitate utrinque fatigati animi nihil magis exoptabant, quàm pacem. Sed hujus improbatis hinc inde conditionibus, quinque annorum induciæ pactæ sunt, conventumque ut interim de Sicensibus Romanus Pontifex arbitraretur.

Utinum cum Foro-julio receptum.
MCCCCXX.

ELapsis cum Sigismundo Imperatore induciis, repetendi quæ superiori bello erant amissa, opportunam Venetis occasionem dedere Utinensium discordiæ. Utino, uti diximus, Sigismundus expulerat Savornianos: hos sibi populares reposcebant: restitui obstabat Ludovicus Tecchius Patriarcha Aquilejensis. Ita in partes discissa urbs Ve-

Q netos

netos in ſpem erexit imperii. Profecti itaque in Fori-julii expeditionem Sacilium primò vi, Cividatenſium deinde oppidum voluntaria deditione recepere. Hinc bellum ortum cum Tecchio, Cividatenſibus irato, quia ſe dedidiſſent. Ille ſuo, & Cæſariano milite innixus, oppidum, veluti rebelle, ſumma contentione oppugnat. Veneto tamen recepto præſidio reluctatur intrepidè, protrahitque Tecchium, ut non tam obſeſſorum virtute, quàm ſuperveniente hyemis aſperitate obſidium intra quintumdecimum diem ſolvere coactus ſit. Veneti ea inter Feltriam, Belunium, cæteraque caſtra hoſti antea tradita priſtinæ addunt ditioni. His geſtis, Foro-julienſis Patriæ ingreſſi fines, ſubruta ejus nominis arce, propè Vtinum caſtrametantur. Ea in urbe domeſtica protinus arma quievere, ut, de Venetis fama innotuit, in libertatem eos vindicaturis, qui per injuriam opprimerentur. Hæc una moderatio in bello maximum momentum habuit, & hæc Vtinenſes Reip. nulla vi obnoxios reddidit tanta Patrum lætitia, ut miſſa ad illos populos ſit legatio, & impetrata Savornianis, cæteriſque extorribus patriæ jura, & libertas. Vtinum ſecuta univerſa Fori-julii Provincia, ſpontè Venetam adminiſtrationem, Thoma Mocenico Principe, ſuſcepit.

Dalmatia recepta.
MCCCCXXIII.

SVb hæc etiam tempora flante à mari proſpera fortunæ aura, ſelectiſſima claſſis Adriaticum navigavit, quæ, Petro Lauretano ductore, cùm totam Dalmatiam perluſtraſſet tanta incolas affecit formidine, ut univerſa ea Regio non armorum impetu, ſed ſpontanea deditione Pannonico jugo excuſſo rurſus Reipublicæ dominationem ſuſceperit, anno quinquageſimo octavo poſtquam vi barbaræ genti paruiſſet. Rebus ita feliciter comparatis è Dalmatia fortunatiſ-

natissimus Imperator in Hellespontum trajecit, atq; cũ Turcicis piratis prosperè conflixit, illosq; ad Callipolim memorabili pugna, ac totius penè classis captivitate debellavit.

Bellum Insubricum primum cum Philippo Vicecomite Mediolanensium Duce. MCCCCXXVI.

NEc minori secundarum rerum eventu Franciscus Fuscarus præfuit Reip. Sub hoc Duce, qui omnia fortunæ incrementa propriæ virtuti debebat, mirum quàm latè se protulerint Veneti limites; & præcipuè eo bello, quod adversus Philippum Vicecomitem Mediolanensium Ducem gestum legimus. Cùm enim ille Florentinos armis fatigaret in immodica affectantis imperia suspicionem venit. Oppresi nostra implorant auxilia: & placuit Senatui opem tantis ferre supplicibus, ac Vicecomiti bellum indicere, quoniam neglectis spretisque legationibus, in eam rem missis, haud cessaret ab injuriis. Declarato hosti junctum cum reliquis Italiæ Principibus fœdus primò objectum est; deinde arma intentata. Exercitus, quem propriis sumptibus Veneti compararant, & in quo tum XVI equitum millia, peditum VIII fuisse perhibentur, uni Francisco Carmignolæ, viro strenuo committitur, qui Philippi superbos mores perosus ab eo desciverat, Venetorumque stipendia sequebatur. Ille itaque susceptam expeditionem aliquo egregio facinore auspicaturus, Brixiam aggreditur, quam tamen non vi, sed Avogadræ gentis in Rempub. propenso studio, obtinet, excepta arce. Recuperatum venit amissam urbem Franciscus Sfortia; verùm insultanti circa mœnia, omniaque more ignis corripienti strenuè sese opposuit Venetus imperator, hostemque fuga dilapsum debellasset, nisi illi corporis ægritudo moram injecisset. Interim absente Carmignola universæ militiæ præponitur

Franciscus Gonzaga. Hujus dexteritate, Victoris Barbari solertia, & Nicolai Ateſtini virtute effectum, ut interclusis aditibus nullus in Brixienses hostilibus copiis ingressus pateret: neque iis, quas Angelus Pergulanus ab Hetruria deducebat: quamvis ausus (tantùm temeritatis, ex parva nostrorum dolo fugata manu, conceperat) oppugnare castra: sed exitus incœpto defuit: nam restituto saluti Carmignola, Brixiensis arcis obsidio efferbuit ita, ut se deditarum præsidium proclamaverit, nisi in decimum diem venirent subsidia. hæc ne accederent, repetitis non semel certaminibus, impigrè distinuit dux Venetus, cui tandem facta est arcis deditio. Hinc ad reliqua circùm oppida recipienda pari felicitate festinatum est. Hæc inter ad pacem hortabatur dissidentes Martinus Pontifex. Verùm dum ægrè patitur Vicecomes à Veneto sibi leges præscribi, recentes utrinque copiæ veteribus additæ sunt: terrestrique militiæ adjuncta maritima, ut aquis terraque bellum aleretur. Hostis sub hæc adornata apud Cremonam classe Casale-majus in Padi ripa vi obtinet, aliaque Mantuani agri municipia. Porrò quæ occupaverat vix ad famam retinuit. Quippe ea subitò Franciscus Bembus, & Stephanus Contarenus Padanæ Classis Præfecti recepere tanta vicinarum gentium consternatione, ut inde Cremonæ summè trepidatum sit. Hæc urbs incolarum fuga deserta tum primùm Reip. patuisset, nisi effusi avidè ad prædas nostri milites in agris subsidissent. Sed mox incuriæ pœnam dedere. nam ab irruente hoste vagi dispalatique magna cæde prosternuntur: Carmignolam interim, Brixiæ conservandæ intentum, crebris incursionibus territabat Philippus, quem tamen reciprocante industriæ, armorumque æstu ita elidebat Petrus Lauretanus, ut facilem Cremonæ aditum Veneto Imperatori se iterùm aperire confideret. Hostis, ubique præsens, juxta Octolengum parat insidias transeunti Veneto, eoque loci varium iter, multusque labos

mili-

militum, commoda belli momenta Philippo exhibuit, internecione attritis eo modo nostris, ut vix ullus à ferro liber superfuisset, nisi Carmignola, ejulatibus oppressorum excitus, adproperasset subsidio, reductisque ad signa fugientibus grassantem hostem invicta prope fortitudine repulisset. Olio amne deinde ponte superato secus Padi ripas haud longè Cremona metatus est. Ob exercitus viciniam maxima rursum finitimis incussa formido, ac si omnes uno impetu Venetis armis exscinderentur. Ipse quoque Philippus trepidare visus est, cùm publicè indixisset, ut qui proprias fortunas, resque Principis salvas vellent, ipsum armati sequerentur. Sic innumeras collegit copias, Venetumque aggredi statuit ad Summum Cremonensium vicum: & ambigua capiundi belli consultatio ferociæ cessit Francisci Sfortiæ. Hic gloriæ avidus in Veneta castra promptissimus irrupit, pugnavitque tam strenuè, ut ob id solùm opportuno præsidio Cremona munita sit. Nostri tandem è munitionibus egressi Maclodium ivere, quo loci sub hostium oculis Veneta signa in Vicecomitum dedecus extulerunt. Hanc ignominiæ maculam Veneto sanguine eluendam conclamabat idem Sfortia, & Nicolaus Picininus. Quamobrem Carolus Malatesta, cui per eos dies sui exercitus curam Philippus detulerat, in Venetas acies utrumque ducem à fronte præmisit, ipse à tergo in easdem furtim erupturus. Hostilem fraudem pari studio elusit Carmignola. Nicolaum enim Tollentinatem cum parte exercitus ad Terentianas paludes insidere jubet, & inde non priùs exilire in hostium latera quàm ipse cum reliquis copiis Malatestam à Pompejano castro venientem in pugnam evocasset. Hoc modo conseritur utrinque atrox prælium, & postquam ad integram agminum decertationem, ex qua omnia pendebant, perventum est, Tollentinas acri impressione excepit incautos. Ita igitur cùm diu acies æquo marte occiderent, atque occiderentur,

in

in medio pugnantium ardore stetere immotæ, quasi inter se convenissent: sed interim deliberabat fortuna quid ageret; repetitis tandem congressibus Venetorum victoria fuit. Maclodium, ignobilis antea Cremonensis agri vicus, tum nobilitatur magnitudine cladis, quæ quanta fuerit, hostium captivitas declarat, quorum millia octo, cum ipso Malatesta, censa sunt, præter bellica omnia impedimenta, quæ in prædam venere. Tanta denique consternatione affectos fuisse constat, ut si quemadmodum Venetus imperator vicerat, victoria uti scivisset, ejicere principatu Philippum eo die facilè potuisset. Sed plerumque victori mentem adimunt læti successus. Quare Carmignola, & integrum neglexit triumphum, & quod est absurdius, Malatestam cum captivis ad unum, inconsulto Senatu, libertati restituit. Hæc propter illius suspecta primùm fides apud Venetos. Philippus interim coactus quamcunque pacem præsenti calamitati præferre, in eas conditiones descendit, quibus Venetæ Reip. Brixia, Bergomum, aliaque omnia in Cremonensibus occupata oppida jure belli concederentur. Atque ita in continenti Venetæ dominationis termini latiore gloria dilatari cœperunt.

Expeditio in piratas quarta.

MCCCCXXX.

Ardebat cum Vicecomitibus bellum, quando de expugnata à Turcis Thessalonica in Macedonia relatum est. Etsi verò Patres in Italia gravissimarum rerum serie implicarentur, hanc tamen alteram ineunt expeditionem sub Petri Michaelii ductu in piratas. Libero enim maris usui maximum inesse momentum nostris semper est visum, tum ad commeatus in Urbem invehendos, tum ad convectandos subsidio milites, quibus ea tempestate Resp. maximè indigebat. Classis itaque Præfectus maritima ora per-

perlustrata, munitissima castra Crysopolim, & Cassandrum in Asiæ littoribus eripuit Barbaris, purgatoque mari his infensis prædonibus, Ponti aditum, Venetis antea clausum, aperuit. Post hæc reparatæ auctæque classis Andreas Mocenicus curam suscepit, imperante Senatu, ut Chium Ligurum piratarum nidum, terra marique obsideret: quoniam verò bellicas machinas munitum oppidum eludebat, prædabundus in proxima littora discurrit miles, omniaque incendiis cædibusque terret, vastatque. Postremò delegatus in provinciam Silvester Maurocenus infestos prædones debellavit. ille cœptæ expeditioni instans assidua navigatione, & indagine omnes portus, omnesque tum Adriatici, tum Aegei sinus, eò ampliùs exploravit, ut brevi utrumq; mare ab Turcarum, Ligurumque direptionibus tutum, secura pace, reddiderit.

Bellum Insubricum secundum. MCCCCXXXI.

NOn poterat pax cum Philippo esse diuturna, quia solitus jam vivere bello, & aliena concupiscere, iterùm arma in Florentinos, Reip. socios, converterat. Hanc ob causam terrestres, & navales copiæ ab Senatu imperatæ, ut amicis opitularentur. Clasis in Padum agenda Nicolao Trivisano traditur, Carmignolæ pedestris militiæ imperium, atque utrique mandata hostis vindicta, seu solo, seu flumine bellum exposceret. At Carmignolam, cui fervida magis consilia, quàm cauta ex ratione Senatus, placebant, ex levi concepta spe occupandæ Soncinæ arcis insidiis circumventum, ac ferè captum accepimus. Interim Philippus ab Genuensi Rep. subsidiarias naves, & clasici apparatus ducem Grimaldum impetraverat: hisque auxiliis (quæ Senatum in Genuenses, ceu pacis violatores postmodum commovere) instructus Philippus cataphracto milite insolita

lita in eum diem disciplina naves armat ac secundo amne noctuque in nostras agit, tam audacter, ut ex metu gravissima consternatione perculsæ fuerint. Trivisanus eam belligerandi novitatem ac monstrum miratus, haud procul agentem Carmignolam monuit certissimum imminere periculum, ni celeri ope levaretur. Hic illius ignaviam ridens suppetias negat. interim igitur magis atque magis ab utraque Padi ripa Sfortia, & Picinino pedestri robore urgentibus Veneta navigia multiplici impetu dissipantur, tanta strage & jactura, ut suo naufragio totum Padum cooperuerint. Vix quinque biremes fuga evasere ipso Trivisano incolume: occisa, & aquis obruta VI. hominum millia, nullo aut saltem exiguo Insubrum damno. Ex illata clade iterùm proditionis nomine arguitur Carmignola, cui quoque per id tempus tertiò nocuit non recepta Cremona. Denegato auxilio Cavalcabovis strenuo militi, cùm parva manu se unam urbis portam insedisse illi per nuncios significasset. Ex his ab Senatu perduellionis reus judicatus, Venetias per speciem de belli ratione consulendi accitur: ubi venit, obligatur vinculis, & cùm in quæstionem postulatus objectum crimen, redintegratæ cum hoste amicitiæ, fateretur, pœnas perfidiæ capitali supplicio dedit. Vir multis victoriis clarus, & cum primis Maclodiensi certamine, nisi postremò suam gloriam tanto scelere fœdasset. Eo extincto penes Joannem Franciscum Gonzagam, Mantuanorum Principem Venetarum copiarum cura, & imperium fuit. In hoc statu res erant, tum Venetorum Reipub. tum Mediolanensium Ducis, quando de pace agi cœptum est. Hæc utrisque perquàm necessaria gravi, longoque bello attritis, & facilis, & diuturna sperabatur: at nondum Italia Principum in se delirantium iras, & odia concoxerat.

Bellum

Bellum cum Genuensibus Nonum.
MCCCCXXXII.

QUoniam violata pace favissent Philippo Genuenses, placuit Senatui injuriam armis vindicare. Viginti itaque & plurium triremium classe Petrus Lauretanus bellum Genuensibus invexit. Naviganti in Ligusticum mare totidem rostratæ ex adverso ad sinum Repalitanum, ducente Francisco Spinula, obviæ occurrunt paribus in certamen armis, odiisque. In ipso autem navalis congressus momento Lauretanus militarem astum commentus, fugam simulare cepit, qua credulus hostis in altum, ut contigit, protractus, nostris apertiorem ad ictus viam fecit. Pleno namque ventorum afflatu inter medios Genuenses ita impellitur Venetus, ut tota classis hostilis post brevem pugnam conciderit. Ingens ex hoc certamine gloria Lauretano magni nominis duci parta est. Quippe multæ Ligurum naves cum ipso Spinula fuere interceptæ, multæ depressæ, exiguo ac prope nullo nostrorum dispendio.

Bellum Valli Tellinæ illatum.
MCCCCXXXIII.

DUm latiùs serperet bellum cum Vicecomite, Vallis Tellinæ populi armis petiti sunt, & eorum vallis occupata Georgii Cornelii virtute. Sed quæ pugnæ initia nostris prospera fuerunt; eadem exitii mox causa. Nicolaus Picininus hostium ductor supra Soricum, ubi lacus angustior est, fabricato ponte munivit utramque ripam, & ignorantibus Venetis, in vallem suas copias traduxit. Cornelius de ingressu monitus, quà fluit Abdua in Larium, Picininum cum suis ducta fossa circumdedit, atque ita inclusum hostem aggressus oppugnavit, fugato duce, qui flu-

vium, & fossam parva rate trajecit. Secundo hoc pugnæ eventu nostri, quasi nullum ampliùs negotium ad integram victoriam superesset, fluminis, & fossæ custodiam neglexere, quod non leve mox eis attulit incommodum. Id enim cùm Picinino innotuisset, contracta Vallis incolarum manu, qui Veneto nomini infensi erant, eodem in loco nostros obsedit, & nihil tale metuentes aggressus fudit. Occubuit Cornelius, & ex tribus armatorum millibus vix trecenti per saltus evasere. Ara erecta non procul à Dalebio pago Philippus eam victoriam posteritati consecravit, minùs pium Christiani Principis trophæum. Interim ad Padum Legati manibus parentatur Casalis, & Brixili munitissimarum arcium eversionibus.

Bellum Insubricum tertium. MCCCCXXXIV.

TErtiò adversus Philippum Veneti rursus arma moverunt: quibus tam pronum semper fuit ingenium ad tuendos oppressos, quàm ille ad turbas ex turbis serendas & aliorum exagitandas fortunas. Cùm igitur Eugenio Pontifici, atque Florentinis iterùm hostiliter insultaret, extincta paulò ante bellorum incendia majore flamma erupere. Fœdera quippe ab hoste toties violata impulerunt Venetos, ut ope egentibus auxilio essent. Erasmus Narniensis, à versutia militari Catæ Mellitæ cognomentum sortitus, Pontifici patrocinaturus in Aemiliam transit, ubi ab Nicolao Tollentinate Florentinorum auctus viribus prope Imolam cum Picinino conflixit, infelici tamen eventu. capto enim socio ipse cum paucis in eam provinciam reversus est. Initiis parùm prosperis Veneta constantia opposuit Franciscum Gonzagam Principem Mantuanum. Hic jussus per omnem militarem licentiam fines Mediolanenses invadere nulla avitæ virtutis, justique adversus communem

munem hostem odii protulit experimenta. quare ob clandestinam propensionem in Vicecomitem Senatus jure diffisus Principis fide, primùm Federico Contareno Legato, deinde Erasmo summam belli detulit, cùm hic quotidie magis militari disciplina non minùs, quàm singulari in Remp. studio notior evaderet. Opportunè igitur suffectus non levibus Insubrem damnis affecit, multisque pagis in agro Bergomensi exuit, & per Cremonensem Brixiam iturus Picinini technas diligenti cautione vitavit. Sed nec hostis intereà segnior Veronensem agrum rapinis & incendiis vastabat, domitis quoque Lacus Benaci accolis: promotumque post hæc in Brixienses, & sub ipsam urbem cum Picinino copias jungit Gonzaga. Mellita sibi, & rei præsens adventu suo Brixiam confirmat: quam occasionem in victoriæ spem traducens Picininus in Camonicam vallem ducit, ubi tamen fidum, valensque nostrorum præsidium derisit appropinquantem, fugavitque: hanc ille noxam ulturus Rhoadum obsedit, eousque in incœpto duraturus, donec rumor Mellitam Brixia evocaret. Cæterùm, neque locum habuere fraudes structæ nostris, per angustum iter à montibus in planitiem descendentibus. Patuit astus Veneti ducis calliditati, & ipse prior in agmine sibi insidiantibus offert, vertitq; in eorum capita artes, cùm eos tacito, improvisoque congressu consternasset, aperto sibi reditu in Brixienses. Sed cùm non posset ubique sese opponere Picinino penè volanti, omnia circùm oppida hostis occupat, cujus consilium erat, ut Venetæ copiæ circà unam tuendam Brixiam diù morantes, fame tandem conficerentur. Ille, ne ita obsideretur, quà esset opus, ferro sibi viam aperiens, Veronam cogitabat, sed Mincii amnis tumidi frustrà tentato vado in montana conscendit, in quibus efferam incolarum rabiem expertus est. Porrò fatis iter desperato Duci molientibus Petrensis arcis præsidia conficta fuga in se pertraxit. ubi enim illam propugnatoribus vacuam con-

ſpexit in ſequentes converſus inopinata audacia omnes proſtravit, atque ſic per vetitum iter nulla ferme ſuorum jactura Veronam tenuit. Attamen ſimulac illum Brixia diſceſſiſſe nunciatum eſt, Picininus totam belli molem in ejus urbis expugnationem tranſtulit. Illa civium ſuorum fide, qua nullum fortius propugnaculum, & invicto Franciſci Barbari animo, ac tolerantia, tres menſes eluſit obſidentium impetus, cùm interim duplici & inteſtino hoſte fame nimirum & peſtilentia crudeliter vexaretur. Barbarus laboris ultra fidem patiens, tectum, dapes, omniaque cum milite priſca frugalitate, communia habebat, raro noſtri ævi exemplo. At Picininus in diſtrahendo obſeſſis commeatu eò ampliùs in Reip. amicos ferus, Paridem Ludronii Comitem debellat, quem tamen pro viribus ulciſcitur Gerardus Dandulus, occiſis aliquot Inſubrum turmis. Navibus novo ingenio ex Atheſi Benacum traductis ſubinde Brixiæ penuria ſummè laboranti ſuccurritur. Præſenti quoque rerum anguſtiæ benigni ſideris inſtar affulſit Franciſcus Sfortia à Vicecomite diviſus, & per Florentinos ad Reip. ſtipendia tranſmiſſus. Hic ſexdecim armatorum millibus procurrens in hoſticum, Philippi duces è Veronenſi agro exegit, ac Picininum fugienti ſimilem in Mantuanos abire compulit. Sparſo cladis rumore paululùm reſpiravit Brixia; pluraque ex hoſtium manibus caſtra in Venetam poteſtatem reducta. At malè in Benaco pugnatum eſt. Brixia enim egreſſus Barbarus cum claſſiario duce conſilium init de comburendis in lacu Philippi navibus; ſed intercepto nuncio tempus facinori deſtinatum innotuit. Quare Picininus, & Gonzaga ad aſſuetos dolos animati, alter à continenti, alter à lacu noſtros improviſò adorti facilè oppreſſerunt, capto Petro Zeno Præfecto, univerſaque lacerata claſſe, antequam Barbarus quidquam ſciret. conſequitur triſte infortunium Madernæ quoque arcis deditio. Veneti Patres ſolita æquanimitate alteram è veſtigio claſſem in Benaco

parant

parant, auſpiciis Stephani Contareni, quam ut pedeſtri cohorte defenderet, ſelectus Mellita. Hæc inter Sfortiæ, per Tridentinos ſaltus, Brixiæ ſuppetias laturo, occurrunt Picininus & Gonzaga; conſertaque acriter manu non leve hinc inde diſcrimen ſubiere duces, poſtremò tamen fuſus & profligatus hoſtis illatam antea Venetis in lacu cladem ex æquo rependit. Non priùs enim dirempta pugna eſt, quàm univerſis penè copiis nudarentur Picininus, & Gonzaga, qui dum ſocium captivum liberare nititur, ipſe noſtrorum fit præda. Illuxit adverſus hoſtes Joannis Pompeii fortitudo, & fides in Rempublicam, cùm Picinini, Gonzagæque turmas è Vicentino in Veronenſem agrum irrupturas parva ex indigenis manu diſtinuiſſet. Non impar ejuſdem gentis enata ſoboles Franciſcus inimicas alibi ſuſtinuit impreſſiones. Atqui nec tanta jactura Picinini ferociam repreſſit, quin inſtauratis viribus Veronam celeri, ac inopinata impreſſione occuparit. Cujus rei Sfortia certior factus, aliquandiu ſtupore defixus hæſit, tandem & ipſe pari celeritate uſus promotis è Brixienſi agro antelucano tempore caſtris opportunè acceſſit, ingreſſuſque per munimenta Sancti Felicis, & Caſtri-veteris horriſono clamorum, armorumque fragore irruit in hoſtes, ſibique illuſtrem egregia virtute paravit victoriam biduò poſt quàm ab ipſis urbs capta eſſet. Rebus proſperè fluentibus acceſſit Contareni triumphus de univerſa Philippi claſſe profligata; maturatiſque Ripæ, Gardæ, & Salodii oppugnationibus; & direpta paulò pòſt per ipſum Sfortiam hoſtium ſtatione ad Vrceos-novos. Hinc magis irritatus, quàm domitus Philippi animus, nil niſi bellorum æſtus concipiebat. Partas eo tempore victorias Senatui gratulatum venit Sfortia, cùm Picininus ex occaſione illius abſentiæ, haud ignarus fama licet falſa occiſi Imperatoris terreri poſſe exercitum, de Sfortiæ nece mendaces rumores ſpargit, magnumque ob id tumultum excitat in Brixienſibus. Interim ille per viciniam graſ-

ſatus,

ſatus, cuncta ferro flammiſque permiſcuit. Fraudis hujus commonitus Sfortia in provinciam revertitur quàm celerrimè, & debellato apud Tignanum vicum Picinino, ſe ſupereſſe, & arma adhuc tractare omnibus oſtendit. Philippus novis ſemper gliſcentibus incommodis oppreſſum ſe tandem iri veritus, ad pacem proſtratum animum inclinavit, anno quinto ab incœpto bello, iiſdem quibus olim conditionibus, retentis potiſſimùm à Veneto Verona, Brixia, Bergomo. Et quia tunc avidiùs fortaſſis, quàm ante, pacis ante commoda expetebat, Franciſcum Sfortiam ex hoſte ſibi generum adſcivit, tradita ei filia ſpuria Blanca, dataque nomine dotis Cremona. Eodem ferme tempore morbo interiit Cata Mellita Senatui mirè commendatus, quòd prudenter potiùs quàm audacter arma tractaret. Per eos quoque dies Ravennates pulſo Hoſtaſio Polentone tyranno, & Cervienſes vltrò in Venetam adminiſtrationem venere. Tanta nempe fuit apud omnes Reipublicæ exiſtimatio, & legum æquitas, ut etiam ſpontè populi longè remoti illius fidei, ac imperio ſeſe ſubmiſerint.

Expeditio in piratas quinta. MCCCCXLIII.

Bella cum Vicecomite ſæpiùs repetita, & veluti continuata expeditiones maritimæ exceperunt. Primum in Cathelanos piratas eſt deſtinata claſſis, at non priùs quàm veteri majorum religione, delata non ſemel eſſet ad Alphonſum Regem Neapolitanum querela, & additæ preces, ut ab Apuliæ, & Calabriæ portubus exturbaret prædones. cùm autem nihil profectum eſſet, exiere in ultionem Antonius Diedus, & Franciſcus Quirinus Scodræ Præfectus. Horum alter protinus debellavit vagos homines, & dum Iſtonium in Ferentanorum ora rapaciſſimæ gentis aſylum omni vi conatur expugnare, exorta repente procella horribili, fœda-

fœdaque cum tota classe hostico littori alliditur, fitque miserabile latronum spolium. verùm jussu Alphonsi cum triremibus libertate donatur. Alter conuersis proris in Turcas Antibarim, Epyri urbem, commisso non levi conflictu è barbarorum manibus extorsit & Reipub. addixit. Renascentis inde perfidię pęnas sumpsit Philippus Cornelius. Hic tanta felicitate pugnavit, ut brevi non solùm omne illud piraticum genus longè à mari profligarit, sed & plura eorum subverterit receptacula. Postremò aliæ in prædatorias Turcarum naves instructæ triremes sunt, quibus, auxiliantibus Pontificiis, Aloysius Lauretanus graui bello Amurathem implicuit, ea ipsa tempestate, qua contra Barbarum Ladislaus Poloniæ Rex arma sumserat. Coniunctis viribus dimicatum accepimus ad ostia Danubii, sed incerta victoria, quamvis referant annales, duo de quadraginta Turcarum millia eo certamine interfecta.

Bellum Insubricum quartum. MCCCCXLVII.

SFortia, celebratis nuptiis, ad recipienda, quæ sibi oppida hereditario jure obtigerant, in Vmbriam profecturus, Cremonam, urbem dotis nomine acceptam, Venetorum tutelæ commendavit. Philippus ob id more sui ingenii paci, ac vicinorum quieti gravis arma corripuit, indignatus se à genero contemni, agrumque Cremonensem fœdè diripuit. Nostri quid Sfortiæ deberent, non immemores illi ultrica arma denunciant, nisi alienis rebus parceret, sed cùm vix audita fuisset legatio, declarato copiarum duce Michaele Attendulo, susceptum est bellum, commissumque cum Vicecomite tanto impetu, ut post brevem, at cruentissimam pugnam, castris exutus, desideratisque quatuor equitum millibus, intra oppidorum munitiones repulsus fuerit, nullumque in ea provincia castrum ipsi relictum, præter

Lau-

Laudem-pompejam. Auctus subinde Ludovici Gonzagæ copiis Attendulus Abduam traiicit, atque altera ibidem cum hoste inita pugna, victor iterùm recessit. Duplici clarus triumpho majora moliturus, Mediolanum, Ticinumque infestavit excursibus, & Abduam Comumque interjacentia castra vicosque Reip. subjecit ea fatorum prosperitate, ut aversa Philippo numina crederentur. Et sanè procedente bello apparebat toto imperio spoliatum iri, nisi Sfortia improbè Philippi partibus se addixisset, Eugenij Pontificis, & Alphonsi Neapolitani Regis consilio, quibus prosperi Venetorum successus invisi erant.

Bellum Neapolitanum primum. MCCCCXLVIII.

PHilippus Vicecomes Mediolanensium Dux, vir acer bellique cupidus, hoc anno moritur, scripto ditionum suarum herede Francisco Sfortia. Evulgato illius obitu, Alphonsus Rex Neapolitanus, tanquam extinctæ Vicecomitum familiæ successor, Mediolanense dominium postulabat. At cùm propriis viribus non posset vindicare sibi hereditatem, in Venetos opem denegantes irrupit; cùmque armis incassum laboraret, rabiem odiumque evomere voluit promulgato edicto, ut omnes, qui in Regno suo Venetæ gentis forent intra præscriptum diem excederent. Improbi huius facinoris ultor Aloysius Lauretanus electus est. Sed vindictam dies aliquot retardavit de pace missa ab Alphonso legatio. irritatis tamen semel animis bellum nihilò intermissiùs susceptum, mox à Victore Capellio, qui Adriatico sinui præerat in Neapolitanam oram delatum est. Is plura hostis navigia oppressit, Orthonem usque insectatus, injectoque igne urbis navale penitus absumpsit, & vicinos pagos populatus est. Neque his satur Senatus Lauretanum in Siciliam destinavit. Ille Messanam vi petiit concremata in portu

portu excubitorum navi, quæ regia ob magnitudinem nuncupabatur; parte demum classis relicta ad urbis obsidium,cætera totius insulæ maritima loca cùm perlustrasset, quinquaginta, & plures Alphonsi naviculas vel pessumdedit,vel igne vastavit. intereà Messanenses juxta portum validas munitiones erexerant, quibus Veneti ulteriùs navigare impedirentur. Porrò nostri, dum ipsa propugnacula destruere conantur, navale certamen propugnatoribus indicunt, quod à temerario Siculo acceptatum est, conscensisque navibus in pugnam itum, sic tamen ut ad prima tantùm signa ille concurreret, Victoria tandem sagaci Lauretani consilio stetit. Ingens hic navigium sarmentis, ac tormentario pulvere plenum immisit in hostilem apparatum, quod ubi ignem concepisset, flante vento in portum immissum est, ruptisque repagulis, insequenti Veneto viam stravit. Instabat extremum Messanæ urbis fatum, sed Patres,qualicunque vindicta contenti, Lauretanum in Adriaticum revocant, nec multos post dies firmatur pax cum Alphonso, bellumque à Tyrrheno pelago in Cisalpinam provinciam reducitur.

Bellum Insubricum quintum.
MCCCCL.

PErvaserat jam antea proximas, remotasque provincias, quàm singularis esset Venetæ Reip. humanitas, & æqua imperii moderatio, ut propterea plurimi Italiæ populi mitissimum ejus imperium subire certatim contenderent. Laudenses in primis, ac Placentini ultrò in fidem venere: pari exemplo Ancona Veneto paruit. Cæterùm Mediolanenses inchoatum à Vicecomite bellum se prosecuturos Senatui denunciant, nisi capta oppida,& urbes restitueret.Remissi sunt hoc responso Legati,Venetum se tum omnia redditurum, cùm sibi illud auri pondus persolveretur,

quod ipsorum Vicecomitum superbia, & rei alienæ cupiditas ærario extorserat. Quare Mediolanenses evocato ad opem Sfortiæ, mercedem navandæ operæ, Principatum promittunt. Dives stipendium extemplò hominem armat in Placentiæ ruinam, cujus præda militem onustum trahit ad Laudem-pompejam, sed dispari exitu. Venetus ea inter circa agrum Cremonensem sub Attendulo luctabatur, magis profecturus subsidio classis, quam iisdem diebus Andreas Quirinus, & Georgius Lauretanus Legati Pado advexerant: documentum, vt credo, Sfortiæ; nam ille quoque navibus vires suas obfirmavit. Sic res terra, aquisque paribus hinc inde artibus stetit, quousque Sfortia suppositis per utramq; Padi ripam æneis tormentis & milite, nostrã ex insidiis pressit, fugauitq; ad Casale-majus, ubi nec ulla reliquæ classi futura securitas supererat, nisi injectis facibus consumpta fuisset, ne audacissimo persecutori cederet. Post hæc in Abduæ Glarea ad Caravagium posita sunt castra: cui oppido si vim hostis parasset, subsidio erat Attendulus circumquaque disposita manu, qua interdum hostibus terrorem, ac damna non levia inferebat. Cæterùm Sfortiæ Padana victoria elato terrestris altera accessit. Nam cum Attendulo inito certamine, post integri diei prælium, nostros loco cedere coegit, conjectosque in viarum anfractus, & angustias ingenti occisione debellavit. Fama est, præter eos, qui in acie cæsi quinque millia fuisse captivorum, cum quibus ille ante Brixiæ mœnia comparuit, ut oppidani audita clade, visaque suorum captivitate deditionem facerent. Non hæc tamen victrix Sfortiæ fortuna Patrum animos fregit, memores brevissimo sæpè momento res penitus collapsas in integrum rursus restitui. Ad festinandos militum delectus Veronam accessere Legati, qui paucos intra dies majorem exercitum largo stipendio collegerunt. Verùm quia Sfortia se demum quietè toti Insubriæ credidit imperaturum, socio, amicoque Veneto, Mediolanenses incusare non servati

pro-

promissi, imminutæ bellicæ administrationis, nihilque sibi spei ampliùs in Principatu. At reverà detersit pudorem imperii libido, cùm ad Venetos his conditionibus defecerit, ut, quidquid ultrà Abduam, Padumque caperetur, ipse haberet: quidquid citrà, ipsi tenerent. Consociatis in hęc fœdera armis, breui sequentibus se victoriis Mediolanensium oppida, & urbes penè omnes in deditionem receptæ sunt. Intervenerat pro Insubribus Allobrogum Dux. Hunc tantisper morantem victorias Bartholomæus Coleonius juxta Sicidium amnem profligavit: atque ita summoto auxiliario Mediolanum obsideri cœptum. Jamque portis hærebat Sfortia, cùm Veneti Patres suspicati unius ambitione Italicam libertatem posse pessumdari, injecta pacis mentione, conantur Sfortiam conciliare Mediolanensibus: sed quia potens, ac suave est ad excelsa incitamentum felicitas, eam ille rejecit. Senatus ob id in obsessorum auxilia exercitu commeatuq; immisso res eorum sibi curæ fore declaravit. Vano tamen eventu omnia cecidere: vir enim ille, cujus virtutem sors comitabatur; non tanti fecit frequentes erumpentium oppidanorum injurias, quàm Sigismundi Malatestæ, Veneti imperatoris, crebra in apertum bellum irritamenta, tutiùs fore putans, continere se castris, nec alia vi urbem expugnare, quàm constantissima obsidione. Porrò & illi pronior fortuna præter opinionem fuit. Etenim Mediolanenses turbidè rem suam administrantes, atque in ipsos auxiliarios Venetos contumeliis, ac cædibus feroces, opinione citiùs in Francisci Sfortiæ potestatem venere. Sub hæc, vel metus crescentis potentiæ, vel invidia Alphonsum Regem Neapolitanum, Ludovicum Ducem Allobrogum, & Guilielmum Montis-ferrati Marchionem adversus novum Mediolani Principem armavit. Verùm dum singuli per se vicino, & fortissimo hosti videntur impares, in unum socia arma contrahunt: & quia adhuc suffecturo etiam conjunctis, & affectanti adhuc alienas ditiones longè maxi-

mis viribus obviàm eundum ducebant, Venetos iteratis ſæpè legationibus in eamdem expeditionem ſollicitant. Itaque adhæſerunt ſocietati, ut bellum Italicæ pacis cauſa gereretur: primique omnium adverſus Sfortiam inſurrexere. Hic Florentinorum opibus, & Mantuanorum amicitia ſubnixus ad arma conclamata ſe vertit intrepidè, & ubicumque ea perſtreperent audacter ſeſe expediit. Soncinum intereà oppidum, quia noſtris diu reſtiterat, mulctatur mœnibus. Noxam ulturus Sfortia in apertam cum Veneto concertationem procurrit, ubi æquo exitu, parique clade pugnatum eſt. Inde hoſtis ad tutelam Cremonæ converſo agmine, cauti potiùs militis, quàm pugnacis famæ in poſterum ſtuduit. Crebriores ſub hoc tempus fuere inteſtini conflictus, quàm caſtrenſes, oppidanis, populiſque, qui intereà fœdis ſeſe factionibus polluebant, in Venetas, aut Sfortianas partes diſtractis. Mantuani etiam irruptionibus à Venetis hoc ipſo tempore caſtigati, quòd Sfortiæ adhærerent. A majoribus tandem cladibus temperatum, quaſi conſtituta pace ad perceptam Conſtantinopolitanæ urbis everſionem. Illuc vires ducendæ omnium Chriſtianorum Principum videbantur, ne calamitas ea totius Orientis imperium Turcico Regi Mehemeto brevi ſubderet.

Bellum Conſtantinopolitanum tertium.
MCCCCLIII.

CONſtantinopolis Orientalis caput Imperii, & ſedes poſtquam à Conſtantino Magno conſtituta ſtetiſſet annis MCXXII à Mehemeto Turcarum Rege alteri Conſtantino eripitur. Cùm itaque fama vulgaſſet Conſtantinopolim Turcicis armis oppugnandam eſſe, jamque barbarum Regem formidandis terra, marique viribus applicuiſſe, Veneti proprio & totius Chriſtiani orbis periculo moniti, confeſtim diſperſa alibi arma contrahunt in hanc

per-

perquàm necessariam expeditionem, quia Turcarum avaritia, non uno satura imperio, toti Europæ inhiabat. Quamobrem nec minor cura sollicitabat reliquos Italiæ populos, qui primi hostis injuriæ erant obnoxii, Romani, Genuenses, & Neapolitani. Interim adversus Mehemetum Regiam urbem obsidentem, viginti rostratarum classem traducunt Veneti: quibus totidem onerarias adjungunt confœderati. Totius rei maritimæ imperium Jacobus Lauretanus omnium consensu accepit: in altum provectus naves præmisit, quæ urbis portum defenderent: ipse cum reliquo navium apparatu in hostilem incidit ad Hellesponticas fauces: aggreditur audacissimè, oppugnat, turbatque barbaros: sed integram nostro duci victoriam intercepit subita illorum fuga. Palæologus ad hanc famam, cùm nimis properè vellet hostium trepidationem in sequentis victoriæ omen convertere, dato terrestris eruptionis signo, Turcarum invadit stationes. Sed suo tandem fato experitur, non ubique locorum eandem stare fortunam. Incredibile dictu, quibus copiis terra consederit Mehemetus; CCC armatorum millibus urbem vallaverat, eamque jam irrequieta LX dierum oppugnatione fatigarat. Hic hostis cunctatione erat vincendus, ut immane corpus sua ipsius mole concideret. Sed quo tempore Palæologus è continenti raptus est in hostes, nostri mari eosdem insectabantur. pugnatum iterùm strenuè fuit. at postremò justa causa malignæ sortis arbitrio succubuit. Fortuna quippe in imperia idem habet jus, quòd adversus imperantes, fatalesque sunt rerum humanarum interitus. Victis igitur profligatisque fœderatis, Constantinus ut honestiùs occumberet, claroque exitu vitam cum imperio clauderet, inter confertissimos hostes dimicando cæditur. Capta Constantinopoli, Turcæ, Regio neglecto titulo, in posterum dici Imperatores voluerunt. Quadraginta mortalium millia è nostris periisse fama est: innumeros fuisse

fuisse captivos, eosque inter septem ac quinquaginta patricios Venetos. Ad hos redimendos legati nomine Mehemetum adiit Bartholomæus Marcellus : hic ab Turca præter captivorum corpora , eorum quoque bona humanissimè recepit, tulitque pacem. Verùm huic non acquievit Senatus, turpe se facturum existimans, si cum hoste haberet amicitias, cum quo necessariò depugnandum, ne religio, quam ille persequitur, unà cum fortunæ bonis profanum servitium patiatur.


Bellum Insubricum sextum.
MCCCCLIV.

PRivata Principum Christianorum odia Mehemetum Constantinopolitana victoria ferociorem reddidere, ac si non timeret Italiam, quòd inter Italiæ Proceres vigerent perpetuæ lites, & concertationes. Spes erat communi omnium conspiratione ingens bellum Turcis inferendum: sed magis per ea tempora in Cisalpinis invaluerant irarum discordiæ. Qua occasione Turcæ, non tam sua virtute, quàm nostra æmulatione vastum illud Orientis imperium sibi compararunt. Sfortia, tanti mali fomes, oppida, arcesque Brigantinorum montium Veneto erepturus, Abduæ transitu, rescisso ponte, illum prohibere conatus est. Ex his facilè perspiciens Senatus quorsum tenderent hostis machinamenta, cùm etiam per eos dies Rhoadum, & Vrceos expugnasset, bellum totis animis arripuit, brevique temporis momento Gentili Leonesio duce sub signis XX armatorum millia recensuit. Pro Insubre stetere in armis Florentini, & Renatus ex Aragonia familia, ut Veneto peracto bello, Neapolitanum Regnum, adscititia ope, sibi ex Alphonsi obitu jungeret. Horum auxiliis hostis Brixienses, ac Bergomates agros vastavit, sparsaque circùm castra partim vi, partim deditione subegit. Veneti retinendis urbibus occu-

pati

pati, postquam illas præsidiis confirmassent, more velitum nulli hostium rei parcentes, hinc inde excurrendo militari licentia omnia rapinis, cædibusque miscebant. Mediolanum, cujus crebrò ad portas procursum erat, ea formido pavorque invaserat, ut in anceps adductum periculum aliquandiu in Sfortiana fide nutaret. Tandem iratos animos opportunè Christianæ tranquillitati conciliat Nicolaus Pontifex, qui duos hosce potentissimos Italiæ Principes adversus Turcam armari optabat. Pacis conditiones pro Venetis eæ fuere, ut, præter Abduæ Glaream, redderentur quæcumque oppida in Brixiensibus, ac Bergomatibus Sfortia cœpisset. Hæc denique pax, ut Divino Numini, placuit, diu firma, ac stabilis perduravit: Mediolani imperium longa posterorum serie propagatum Sfortia retinuit.

FINIS LIBRI SECVNDI.



IOAN-



IOANNIS BAPTISTÆ
V E R I
CANONICI PATAVINI
RERVM VENETARVM
LIBER TERTIVS.

Bellum Turcicum secundum.
MCCCCLXIII.



Partam terrestri bello quietem navalis in Turcas turbavit expeditio, altero Christophori Mauri Principis anno. Tunc in Peloponnesum descenderat Mehemetus Secundus Turcarum Imperator, totamque penè provinciam sui juris fecerat, fraterno in illa regnantium dissidio. Contendebant inter se de finibus Thomas,& Demetrius fratres Palæologi: & dum alter succumbere alterius viribus timet, tyrannum sibi auxiliarium deposcit, impetratque. Turca instructo exercitu ad prædam,non ad opem supervenit, atque utrumque more latronis regno exuit: expulso Thoma,Demetrium redegit in servi-

servitutem: atque sic tum primùm, & per scelus Othomannicæ tyrannidi cessit Peloponnesus. Veneti circa littora præclara quædam oppida retinebant, quibus dum etiam inhiat Barbarus, ex Senatus consulto robustissimæ octoginta navium classi datur Præfectus Victor Capellius. Hic, obsecundante pelago, provectus Isthmum, in quo bimaris Corinthus, opportunis firmat munitionibus, & porrecto muro in utrumque fretum, ne Turcæ ab Achaja irrumperent: nihil interim movet armis, donec etiam ad opem accederent pedestres copiæ. Intereà hostis, quæ in Isthmo erant, munitiones subruere connixus est, sed magna strage repellitur: terga danti insistunt nostri, & dum ille in tutiora dilabitur, Spartam celebrem olim urbem rebus pace, belloq; gestis, occupant. Verùm non multò pòst apud Corinthum accepta calamitas illam nobis victoriam imminuit: tanta quippe, ex conserta pugna, nostrorum fuit clades, Bertoldique Atestini, peditum summi ductoris cæde in primis conspicua, ut ex tribus armatorum millibus vix unus superstes profligati exercitus nuncium afferre potuerit. Hinc à classiariis terrestris suscepta expeditio. Argos vetustissimum oppidum diripitur, in penitiora Peloponnesi procurritur, obvia quæque vastantur: subinde à Turcis circumventi Naupliam repelluntur. Refectis postremò viribus in bellum rursus redire placuit: reperti sunt hostes, quasi planè vicissent, lætabundi, incompositi, prædæque intenti; quare ex inopinato petiti maxima sternuntur clade, fuganturque Methonem usque ubi ab erumpentibus oppidanis penitus deleti sunt. Variis hisce eventibus veluti de industria spectante, ludenteque fortuna pugnabatur. Interim in Coroneum agrum effusi Barbari tantis illum direptionibus, & incendiis fœdarunt, ut nihil residuum crudelitati fuerit, quacumque hostilis illa tempestas intonuit. Igne, ferroq; vastatam, deprædatamq; Peloponnesum reliquit tandem immanissima gens, quando scilicet non habuit unde ampliùs

cupiditatem, atque iram saturaret. Juncum arx, à nostris munita præsidio, restitit oppugnantibus; sua tamen prædia, circumque patentes agros direptos, inflammatosque miserrimè prospexit. Post hæc Veneti per Arcadiam liberè decurrentes ipso Turcarum more desævierunt. hosti enim molestissima quæque vis inferenda est (non tamen perfidia, & dati jurisjurandi violatione) ut ita tuis animos addas, illi detrahas.

Tergestini debellati.
MCCCCLXIV.

SAtis constat, quàm invicta semper, & maximè in adversis constans fuerit Venetorum fiducia, & animus. Gravem belli molem in potentem, ac asperrimum hostem Turcam susceperant, cùm tamen ausi in diversa prospicere, & vires suas aliò convertere. Justinopolitani per ea tempora querebantur de Tergestinorum injuriis. Hi, permittente Federico Imperatore, ad nundinas suam in urbem Germanos negotiatores alliciebant, ut ita Tergestum totius Histriæ emporium esset. Quoniam verò hujusmodi antiquum jus servandum erat Justinopolitanis, ex decreto Senatus processere armati in Tergestinos Sanctes Gavardus, & Antonius Martianus, de injurioso populo vindicias exacturi: alter proximos à mari agros rapinis exhausit, & hostium plures confodit: alter, ubi copias Utino deductas circa mœnia disposuit, tripartito agmine molitus est oppidi expugnationem. Ab hac ut deterrerent oppidani, crebrò turmatim in castra fecere impetum: sed illam animantibus legatis Vitali Lando, & Jacobo Antonio Marcello, tanta milites incesserat obstinatio, vt tandiu circa urbem hærere decreverint, donec, si non machinis, saltem annonæ inopia hostes caderent. Ita sanè contigit; debellatique sunt Tergestini. his tamen extremas merentibus pœnas

data

data pax est, precibus Pii Secundi Pontificis, qui Episcopus Tergesto olim præfuerat, ea lege, ut nihil novi deinceps in Iustinopolitanorum fraudem molirentur.

Bellum Turcicum tertium. MCCCCLXVI.

ITerùm Turca per Peloponnesum volitabat infestis agminibus, compluribusque fortunatis congressibus nonnullas Græcorum, nostrorumque copias deleverat, suis & numero, & audacia impares: neque ulla jam urbs, aut castrum à barbara sævitie immune, præter Methonem, quæ diu Venetæ fidei adhæsit. Hexamilum murum, ut vocant, in Isthmo, à nostris magno sumptu, longoque labore refectum Turca à fundamentis destruxit. Ut verò aliquam hostilibus victoriis remoram injicerent, Sigismundus Malatesta milite stipatus eò appulit, moxque cum classe Aloysius Lauretanus, post servatam Lemnum, quam Veneto subjecerat Cominius Princeps, tentatamque Mitylenem per Ursatum Justinianum. Hic prænavigare jussus audacter portum intrat, & permisso classiariorum descensu totam insulam, & ejus nominis oppidum aggreditur, ita ut brevi appareret obsessos, aut deditione, aut vi ac impetu in nostrorum manus casuros. Verùm contra Venetos pugnabat fatum urbium, & insularum oræ illius. à superveniente enim barbaro perturbatur obsidium, atque ex eis ad tria millia cæduntur. Non perterruit hæc clades virum magni animi Ursatum, qui restauratis viribus utroque marte Mitylenem invadit, attamen nihilo meliorem expertus fortunam cum cæde rursus repellitur: sed neque terga vertisset, nisi vocatus in Eubœam adversus Othomannicam classem, quam prosperè, retenta, munitaque insula, disjecit. delatus posteà Methonem, ibi præ animi mœrore occubuit, dum secum plus nimio conquereretur de tristi apud

Mitylenen eventu. Defuncto subrogatus Iacobus Lauretanus, cui in Græciam naviganti occurrit nuncius, & acceptæ cladis ab Andrea Dandulo juxta Mantiniam Arcadiæ, & Rhodiorum in nonnulla nostrorum navigia insultus. quare ab his primùm decrevit illata damna reposcere, mox per Hellespontum in Callipolis oram irrumpere. Utrumque peregit feliciter. Interim Malatesta repetiit Italiam, postquam multa virtutis militaris exempla in Græcia reliquisset. Spartam ab hostium manibus eripuit, ac deinde sæpiùs prœlia detrectando summa dexteritate, & ingenio, quàm dimicando barbarorum conatus, viresque infregit; suo exemplo reliquos docens exultantem ac ferocientem hostem non audacia, nec viribus, sed consilio, & cunctatione plerumque vinci. Ad hæc maritimis rebus iterùm præficitur Victor Capellius. Accepta classe in Eubœam ex Methoneo littore defertur, inde in hostes, à quibus Aulidem recepit: ad Pireum appulsus Athenas Græcarum urbium antiquitate, & doctrina quondam celebres impetu facto capit spoliatque, divisa militibus præda: postremò Corinthiacum sinum emensus, Patras oppugnat: sed in expositos milites Turca victor irruit, dum illi agrum populantes dispersi vagantur. Non hostium virtuti, sed suorum temeritati jure eam stragem adscripsit Capellius: at cùm in ipsam quoque expeditionem alios immitteret, eandem patitur sortem. Patræ nihilominùs audacissimè sunt expugnatæ, & cum Turcis dimicatum sæpiùs. Porrò dum aliæ insuper, & aliæ penè innumerabiles superveniunt hostium legiones, sternuntur ingenti occisione Veneti. Capellius, re malè gesta, Chalcidem Eubœæ, hodie Negropontum, tenuit; ibique pari cum Justiniani fato, præteritarum cladium, atque bellicorum eventuum infelici memoria expiravit.

Aenum

Aenum à Venetis captum: Chalcis à Turcis expugnata.

MCCCCLXIX.

PIus Secundus Romanus, à pio bello pontificatum exorsus, Mantuæ conventum indixerat, ubi fermè tota confluente Europa de profectione in Turcas actum, proposito periculo, quod Christianorum cervicibus imminebat. verùm, Deo ita volente, quicquid Catholicus Orbis in communem hostem paraverat, id brevi pòst evanuit; Pontificis obitu, qui Anconæ contigit paulò antequàm Christophorus Maurus Princeps in piam expeditionem evocatus ad eam urbem cum instructissima classe appulisset. Una Venetorum Resp. tantam belli molem non abjecit, transmisso Nicolao Canalio in Eubœam, ut ejus auspicio classis regeretur. Ubi appulit, cum viginti triremibus præternavigata insula Thermaycum ingreditur sinum, factaque descensione in Thessalonicensem agrum, continuò vastat omnia, fugat ubique Turcas, & Aeni munitissimi Thraciæ castri oppugnationem molitur. Summo manè in oppidi conspectum totam classem exposuit, admotisq; repentè scalis intrò militem iussit descendere, tantoq; silentio, ut priùs perfractæ portæ essent, cæsique vigiles, quàm sentirent oppidani, se in manus hostium venisse. Incruenta quidem & insignis fuit victoria, sed ultrà jus victoriæ sævitum legimus, plusquàm Turcica barbarie, quod scelus Chalcidis expugnatio, & Veneti imperatoris exilium expiarunt. Direpto, combustoque Aeno in Lemnum navigat Canalius, quo tempore hostica classis ab Tenedo in Eubœam promoverat; jamque expositis turmis ad fatale Chalcidis excidium constiterat. Trecentarum navium apparatui terrestre robur par erat: viginti quippe hominum millibus mœnia circumsepserat Othomannus, ut nulla deinceps esset reliqua obsessis annonæ, & auxilii spes.

Chal-

Chalcis, Eubœæ præcipua urbs ab Aulide, Beotiæ portu, euripo dividitur: hujus angustias tenebat Canalius; crebrò per occasionem lacessebat hostilia castra; atque ita impigrè tractabat rem bellicam, ut sua, & erumpentium oppidanorum virtute territus Othomannus non semel de tollenda obsidione cogitarit. Hæc tamen stetit fatorum obstinatione, adhortanteque Asiaticæ oræ Præfecto, ut per noctem terra marique totisque simul viribus obsessi, nulla quietis mora, vexarentur. Adeò nihil tam arduum, quod patientia non superet. Igitur Chalcidenses oppugnabantur acerrimè, & Canalius ad subsidia pervicaci supersedit animo, consulentibus respondens, tum certa se in hostes victoria iturum, quando altera classis appelleret, decreta ab Senatu, ad quem jam illius urbis necessitas perlata erat. Ita quasi plus in imperio esset, quàm in victoria, omnem rei benè gerendæ occasionem rejecit Canalius. Hæc propter obsessi omni desperato subsidio post irrequietam sexaginta dierum oppugnationem in barbarorum prædam, & captivitatem venere, vulneribus, inedia, pervigilioque adeò confecti, ut in miserandas corporum reliquias nemo, præter Turcam, desævisset. Canalius, ut se negligentia purgaret, Othomannicam classem Chium navigantem insequitur, sed iterùm ab egregio facinore illum invida, vel potiùs ludibunda fortuna avertit, oblata recipiendæ Chalcidis spe. Conversis itaque proris in Eubœam redit, illudente à tergo hoste, se satis hospitaliter à Veneto acceptum eo in itinere; ac terrestri, maritimoque aggressu, unaque simul impressione oppidum tentat; sed quoniam à pedestribus copiis nimis properanter in expeditionem proceditur, in destitutas à reliquis erumpentium Turcarum fit impetus, & cædes tanta, ut consternatæ navales manus trepidè in proximam Aulidem confugerint. Ad novam expugnatæ Chalcidis famam lacrimabilis mœror Venetiis oboritur, & acris indignatio adversus Canalium, qui maritimo exutus imperio

perio confestim in perpetuum exilium amandatur. Per eos quoque dies Turca ad pacem inclinabat, ne ob illatam nostris cladem in se armaret Europam; sed cùm Venetis legatis Nicolao Cauco, & Francisco Capellio eæ dicerentur conditiones, quæ minimè è Reip. dignitate essent, à Patribus repudiantur, ultima pati potiùs cupientibus, quàm antiquum decus, & Veneti nominis existimationem alicujus turpissimæ pacis nota commaculare.

Socialis expeditio in Turcas.
MCCCCLXX.

CHalcidis Turcico imperio subactæ fama, atque constans cum Veneta Rep. bellum, cæteros Italiæ Principes, & in primis Sixtum Quartum Pontificem summè commovit, concussitque Neapolis Regem Ferdinandum, quia Apuliæ, & Calabriæ maritima ora insaturabili hosti nimiùm exponebatur. Hi ergo communi consilio, & ope parandam cum Venetis classem decernunt. Pontifex viginti quatuor triremes in bellum contulit: totidem Rex: quinquaginta Veneti, sub quorum auspiciis cæteri succurrerent. Dum à sociis complentur promissa, mittitur in Persidem Catharinus Zenus ad Vsumcassanum Regem orator, ut impio Turcæ hostis etiam extra maria quæreretur: & Canalii dignitas Petro Mocenico defertur. Hic Cyprii Regis, & Rhodiorum comparatis auxiliis in Aegeum navigat primùm: mox per retentas in fide minores insulas transit in Ioniam, & Passagium oppidum, Orientalis negotiationis emporium diripit. Relata in naves opima spolia, delataque sunt innumera Turcarum capita, pro quorum singulis totidem aureos nummos receperunt interfectores ex imperatoris classici decreto. Ab hoste recedens classis Gnidum Cariæ appellit, prædatum immittit equites, & everso eo oppido, contenta Methonem navigat, ut

ut ibidem opperiretur Pontificiæ classis ductores. Horum demum adventu in majorem rei benè gerendæ spem erectus Mocenicus Athaliam Pamphiliæ urbem adoriri deliberat. factus est omnium Ducum in eam sententiam concursus, atque illicò missus cum decem rostratis Victor Superantius, qui portum occuparet. ita contigit, parique eventu Stephanus Maripetrus cum terrestri manu in hostium loca penetravit. Non tamen oppidum simul oppugnaturis eadem fortuna arrisit: duplici quamvis muro potiti in internas tamen munitiones descendere prohibentur, quia scalarum, quoniam illæ breves, nullus fuit usus, & irrita quoque murorum demolitio subterraneis dolis. Quoniam igitur obsidioni parùm tuta erat scopulosæ Pamphiliæ ora, conclamatis vasis, Rhodum petit Mocenicus. Utinam in mari ea facinora gessissent fœderati, quæ in continenti Rex Persicus; quippe erepta Turcis Armenia, præclara legatione universos Christianos Principes in Othomannum animare studuit: proh dedecus! cùm nullo sollicitante nos plusquàm satis adversus Barbarum deberent impellere & acceptæ clades, & adempta regna, & quod profitemur, nomen, ac religio. Hinc fortasse aliquo affectæ pudore Veneta, & Pontificia classes, quòd nihil adhuc præclarè gessissent, Smyrnam invadere decrevere. quo autem animi ardore in expeditionem se contulerint, id facilè indicat, quòd unica impressione munitissimam illam arcem ceperint, & expugnarint, deletis propugnatoribus, ingentique abducta præda. Inde majores de barbaro hoste victorias animo concipiebant; verùm ille nunquam ex Bosphoro in Aegeum prodire ausus est. Post hæc Pontificii in Italica hyberna recessere, Veneti in Peloponnesiaca, quo tempore venerunt è Perside legati ad Nicolaum Thronum Principem, quibus Vsumcassanus bellica tormenta, atque alias id genus postulabat machinas, in Turcam exercendas. Regi perhumaniter satisfactum, & cum armis illustria dona transmissa, erga

illum

illum amicitiam, & munificentiam cum primis Venetæ Reip. testantia.

Bellum in Cilicia.
MCCCCLXXI.

VEneti, ne Ciliciæ Reguli inopia, auxiliorumq; cunctatione ad Turcas deficere cogerentur, Mocenico imperant, ut in subsidium transfretaret, maritimaque Ciliciæ, nunc Caramaniæ, oppida hosti eriperet. Profectus cum classe dux Venetus, Corycum æneis machinis prostratum, Seleuciamque urbem, suo fatis conditore illustrem à Turcarum manibus extorquet. Hanc natura, & opere probè munitam Nasambegus Bassa regebat. Sed ut Mocenico constitit à meticuloso præside gubernari, caduceatorem præmittit, qui oppidanis, nisi se dedissent, vincula, cædes, extremaque omnia denunciaret. sed cùm eos à deditione alienos esse intellexisset, castra circùm disposuit, Orontem fluvium classe obsedit, atque ad primos tormentorum ictus nudavit defensoribus mœnia. Tunc machinarum strepitu territus Nasambegus, urbem tradit oppugnantibus: sicque integra Cilicia suis dominis restituitur. Mocenicus acceptis à grata Principum manu muneribus, proras in Cyprum direxit.

Bellum in Lycia.
MCCCCLXXII.

VErùm ne in pacifica Cypri statione torperet otio miles, adhuc bello intactam Lyciam petere voluit. Naviganti in eam provinciam Mycra munita arx primùm occurrit: ut cæteris Venetæ virtutis daret experimentum: ita si hæc caperetur, cùm sufficere ad reliquarum deditionem speraret Mocenicus, repentina terra marique aggressione eam vexat, tormentis quatit, & proxima quæq; loca

 deurit,

deurit, ut pejora timerent obſeſsi, niſi ſeſe traderent. Egregiè tamen reſtitit Mycra, fiduciamque oppidanis fecerat nuncius, haud procul inde abeſſe Ajasbegum validi exercitus ductorem. Venienti reverà hoſti obvius it Peloponneſiacus eques, initaque manu certamen miſcet, quod diu de victoria utrimque duces habuit ſollicitos: porrò cadente Turca, projectoque in Mycræ muros occiſi Ajasbegi capite, in voluntariam deditionem confeſtim venere cives, hoſtiumque præſidia: attamen ad exemplum, direptionibus, ac flammis vovetur arx. Dum interim continua felicitate per alia Lyciæ caſtra Mocenicus victricia arma fulminat, in Ciliciam litteris Catharini Zeni apud Perſas legati vocatur: ſiquidem in minorem Aſiam ſuas copias traducere Vſumcaſſanus adverſus communem hoſtem cogitabat. Attigit ob id iterùm Cilicum littus, & Mirenæos agros populatus, inde Turcas expulit. Sed cùm nondum pro certo conſtaret de Regii exercitus adventu, ex ea provincia minùs tuta noſtris placuit recedere.

Scodra, & Naupactus Turcica obſidione liberata. MCCCCLXXIII.

SCodra non ignobile quondam Liburniæ oppidum, Scutara recentioribus, in arduo monte collocatum à natura munitiſsimum habebatur. Eo diruto Othomannus ad occupandam Epirum, Illyricumque nobiles provincias facilem ſibi aditum aperiebat: quare illius expugnationem centum armatorum millibus aggreſſus eſt. Mocenicus ad famam properè converſus è Peloponneſo Corcyram venit, conſuluitque de movendis illicò in hoſtem armis. Concutiebantur ſubinde Scodrenſes muri jugi machinarum verberatione; & per Antonii Lauretani Præfecti virtutem, ac vigilantiam nihil intereà artis, aut induſtriæ omittebatur, quin diruta mœnia ſtatim reficerentur, &

de-

defenderetur Scodra impigrè. Ex alia parte classiarii, ascito in belli societatem Illyrico Principe, quinque rostratis Drilonem fluvium, Lyssamque Scodræ proximam arcem munivere. Ex his crebra fuere cum hoste certamina, & in primis singularis ea pugna, ad Bolianam commissa, qua Turca multa clade fusus, fugatusque est. Cæterùm adhuc fatigabatur oppugnatione oppidum, dirutisque propugnaculis, muri quoque planè conciderant, Turcæque per ruinas tentabant irrumpere: at oppressi, audaciam spiritusque ex periculo sumentes, duce Lauretano, barbaris ingruentibus opposuerunt corpora tanta pertinacia, ut obstupesceret Othomannus, quòd sibi non minùs negotii videret cum semidiruta Scodra, quàm fuerit cum integra. Strenuè quoque navales turmæ adoriebantur aliquando Turcicas stationes. Verùm hæc inter Resp. à Mathia Pannoniæ Rege fœdera impetravit & auxilia, quæ per annua stipendia magno usui fuere. Igitur cùm primùm Rex in Thraciam auxiliares copias immisit, Scodra liberatur, tertio, postquam obsessa fuerat, mense, duobus oppidanorum millibus amissis. Abiit inde Othomannus ne dum uni castro inhæret, integram amitteret provinciam. Post hæc Mocenicus in patriam rediit opportunè, de rebus à se præclarissimè gestis suprema munera recepturus, dum concordi Patrum consensu in Nicolai Marcelli locum Venetus Princeps declaratur: virtus quoque Antonii Lauretani dignitate crevit. Accepto enim rerum maritimarum imperio in Aetoliam divertit: evulgata Naupacti obsidione affuit in tempore, & obsessis necessariam opem tulit, & auxilia, quibus strenuè illi se tutabantur, sumebantque animos à fortunatis plerumque velitationibus, quas crebrò classicus miles cum hoste conserebat. Quatuor menses duravit obsidio, in qua cùm Turca nihil proficeret, fatigatus bello, non animo turpiter recessit. Dum tamen opinatur Venetum plures dies reficiendo oppido intentum, ipse Lemnum traducit, hanc in-

ſulam veluti per otium occupaturus. Rei monitus Lauretanus celeri navigatione, & vix barbaro credita, apparuit, obſeſſoque Coccino caſtro ſuppetias importavit. Tandem non pugnando, ſed ſedendo hoſtem vicit, cùm ille militum curationem, quæſitam ordinandi certaminis moram interpretaretur.

Croja à Turcis capta. MCCCCLXXV.

REmpublicam regebat Andreas Vendramenus, cùm parùm proſperè terreſtri bello pugnatum eſt. Crojam Chaoniæ montanum oppidum, quod ſine grandi obſidione capi non poterat, numeroſiſsimo exercitu concluſit Othomannus. Veneti ſubinde importato commeatu, ſubmiſſoque milite ſpem, auxiliaque dabant oppidanis ad repellendam vim. ſic erumpendo ſæpiùs omnia hoſtilia machinamenta turbabant: nec minùs claſſiarii oppugnando Turcica caſtra ea moliebantur diſcrimina, quæ hoſtem, majora timentem, ſummoverent. Porrò in planitie Tyranna (locus calamitati omen fecit) fortunæ tyrannidem experti ſumus. Congreſsi noſtri obverſas copias multa cæde profligarunt: mox inſecuti, quò quemque fuga rapiebat, in ipſa caſtra feruntur: hæc cùm cepiſſent, prædaque impedirentur, omnes à retrò ingruentibus barbaris, uno relicto cladis nuncio, internecione mactantur. Ita partam victoriam amiſimus avaritia, prædandique libidine: & hanc poſtremò adauxit calamitatem Crojæ deditio, domitæ tamen non armis, ſed rerum omnium egeſtate, fameque, cui nullum invictum mortalium opus reſiſtit.

Tur-

Turcicæ irruptiones in Forum-julium. MCCCCLXXVI.

NOn Crojæ fœdior clades ea, quæ irrumpentibus Turcis Foro-julio illata eſt. Patriæ Foro-julienſis fines decem Turcarum millia intrarunt Aſnarbejo duce, ac tumultu omnia, terroribuſque complerunt: populati locupletem provinciam, ad Sontium amnem, ductaſque per Aquilejenſes paludes extruunt munitiones,atq; Italiam,cui Othomannus inhiabat,ex tam vicino loco hoſtis vehementer conterruit. Sed non alius, niſi Venetus, opponitur tumultuaria manu, qua primùm Hieronymus Novellus ductor ſtatuerat intra caſtra rem Venetam defendere, non eam aperto diſcrimini committere. Sed miſſis ab urbe copiis, mutato conſilio, extra proſilire decrevit, quacumque hoſtis occurreret. Unius audaciam ſecuta ſunt aliorum conſilia: tutius tamen hoſtile robur mora frangere, poſt ruinam creditum fuit,quàm viribus adhuc vegetum in ſe convertere. Aſnarbejus quaſi præſagiret noſtrorum inſcitiam, trajecto Sontio,expeditiſſimas turmas, quæ Venetos ad pugnam elicerent,immiſit. Concurrentibus,& caſtra obequitantibus arreptis continuò armis noſtri eunt obviàm:at vix benè inter inimicas acies conſeritur prælium, cùm Turcæ, ſimulata fuga,recedunt:inſiſtunt illi fugientibus,timore hos cedere rati:verùm ita in paratas ad Liciniſium montem inſidias pertrahuntur:in incautos proſiliunt latitantes, & redintegrata pugna prorumpunt. Noſtri aſtu,caſuque circumventi quaquaverſum profligantur. Cecidit Novellus, & complures alii honeſti viri.Hoſtis victoriæ uſum rapinis,incendiis,ac deſolatione provinciæ finiit. Attamē ut aliis Barbarorum incurſibus tutiora objicerētur impedimenta, placuit validioribus præſidiis jam extructa propugnacula firmare,& caſtra ut in poſterum cautiùs defenderētur,Carolū Mon-

Montonium ſeligere. Hæc vix in hunc modum diſpoſita, cùm Turcæ opulentiſsimæ regionis vel non obliti, vel quòd verius ab Othomanno immiſsi, ut Veneta arma retraherent ab Scodra, iterùm in Forum-julium venere, & majori quàm anteà numero conſedere inter Sontiacas, & Gradiſcanas munitiones. Hìc explicata acie importunè obſtrepebant, & Venetos ad bellum proclamabant præteritæ victoriæ, noſtræque dementiæ memores. At Montonius acceptam à Novello cladem ſecum revolvens, de procaci hoſte cunctando maluit triumphare. Quarè edocti Turcæ cum alio duce ſibi fore pugnandum, non multos poſt dies moræ pertæſi, ſuborienteque commeatuum penuria exhauſti, victis penè pares, abſceſſerunt.

Scodra Turcis tradita. Pax. MCCCCLXXVIII.

SCodræ arcis obſidio, jam antea infeliciter tentata ab Othomanno, adeò Barbari animum lancinabat, ut inſignem gloriæ ſuæ maculam inuſtam putaret, ſi eam imperio ſuo non adjungeret. Alteram itaque parat expugnationem majori vi, odioque, in quam delecti ſunt Alibegus, & Solimannus viri truces, ac bellicoſi. Horum ſub imperio quindena mortalium millia tranſmiſſa legimus, murales inſuper machinas penè innumerabiles. Tanto armorum, militumque apparatu expugnanda erat Scodra, quæ à duobus propugnantium millibus defendebatur: atque ſic illam Turcæ circùm circa vallaverant, ut non niſi cæleſti auxilio aditum reliquiſſe viderentur. Hoc pacto repetita eſt obſidio, & oppugnatio ita promota, continuataque ut ex ſolis miſſilibus, machinarumque pilis in deturbati muri locum obſeſſi aggerem contrà extruxerint. Interim ad ſtuporem hoſtium intrepidè pugnabatur: cùmque bis per disjectos muros tentaretur irruptio, horrenda Turcarum ſtrages eſt edita,

edita, oppidi Præfecto Antonio Legio rem bellicam administrante; ita ut barbari duces non tàm Scodrensium virtutem, quàm Veneti hominis constantiam pertimescerent. Nouissimè ipse Turcicus Imperator obsidioni, quæ ultrà opinionem protrahebatur, interesse voluit, ut sua præsentia, propositisque præmiis milites animaret. Hinc facti omnium periculorum immemores pertinaciter nostrorum propugnaculis sic inhærebant, ut certum mortis discrimen subeundum esset obsessis, si vellent insistentibus diutiùs resistere. Sed omni neglecto metu per tela, per hostes ruunt, magnaque clade, & ignominia irrumpentes repellunt. Fassus est Othomannus se pugnare cum hoste, cui esset propositum malle mori, quàm cedere. Perseverante autem obsidione, nec remittente fati malignitate, vicina expugnantur municipia: captivi fermè trecenti omnes ante Scodræ mœnia in duas partes secantur: vallato denique fluminis ostio binis arcibus nullum ampliùs subsidium importari potuit. Tot itaque angustiis, & adversæ fortunæ calamitatibus conflictati Veneti, post sexdecim annorum, quod cum Turca gesserant, bellum, de pace agere ceperunt, quæ hisce conditionibus firmata est, ut Respublica Othomanno cederet Scodram, Lemnumque; hic Ponticam navigationem nostris negotiatoribus immunem, tutamque relinqueret. Evulgata pace, Scodrenses, detestati Turcicum dominium, solum patrium ad unum deseruere. In eos, qui Venetias commigrarunt, se præbuit Senatus longè gratissimus, ac summa edidit benignitatis argumenta in fœminas, quæ obsessa Scodra pro mœnibus steterant, & quæ tanta in urbe castitate excelluisse dicebantur, ut celebris cujusdam pudicitiæ famam, & nomen in hodiernum usque diem retulerint.

Bel-

Bellum Ferrarienſe ſecundum ſociale cùm Inſubre, & Aragoniis in Venetos.

MCCCCLXXXII.

PAcem maluit neceſſariam inire Reſp. quàm armis cum potentiore decertare,& omni externo auxilio deſtituta Turcico furori tradere oppida,ſibi reliqua in Græcia.Non ſine inſigni Chriſtianorum Principum dedecore id factum, qui non modò Venetis, aut nullas, aut exiguas aliquando ſuppetias contulerant, verùm etiam eos revocarant in Italiam,primùm pro Florentinorum libertate implicitos,mox Ferrarienſibus armis laceſſitos. Florentinum bellum uno ad montem Sperellum Peruſini agri prælio confecit Robertus Malateſta, fuditque hoſtiles copias, interceptoque militari apparatu amico populo pacem reddidit. Sed Ferrarienſi vix aliud antea gravius geſſere Veneti: hoc tamen eò alacriùs ſuſceptum, tractatumque, quòd per eos dies, fruſtrà tentata Rhodo, interierat Othomannus. Ab Hercule Ateſtino Ferrarienſium Duce profecta eſt belli cauſa, dum rerum novarum cupidus, ac regia Aragoniæ gentis affinitate tumidus, Venetum Magiſtratum, Vicedomini titulo Ferrariæ jam multos annos conſtitutum primò negligere,contumeliiſque afficere cœpit: mox Reip. limites hoſtiliter vexare, peccare in fœdera, atque amicitiam à ſuis majoribus ſanctè cultam contemnere. Ut injuriis abſtineret,ab Joanne Mocenico Principe non una miſſa legatio, quibus cùm nihil profectum eſſet, confeſtim indicta ſunt arma,& ictum fœdus cum Sixto Pontifice, qui æquè Ateſtinorum domitam temeritatem, correctamque ſuperbiam peroptabat. Itaque in juratum hoſtem proficiſci duplici claſſe decretum eſt: Padana altera, ut à flumine Ferrarienſes agri vaſtarentur: altera maritima adverſus Ferdinandum Neapolis Regem,ſi quid à pelago, ut fama erat, in affinis opem

tenta-

tentaret. Conſcriptæ ſunt etiam terreſtres copiæ, & his duo fortiſſimi viri, ambo Roberti nomine, præfecti, Severinas, qui circa Padum curaret rem bellicam; Malateſta, in Flaminia hoſtiles adverſus Pontificem conatus, ſi qui forent, reprimeret. His tam prudenter decretis, Severinas cum Antonio Lauretano Legato exercitum per Tartari fluvii ſtagna in hoſtem traduxit, & ad depopulandam provinciam, & ad oppugnanda municipia ſubitò converſus, omnia pavore, ſtrageq; complevit, pluraque caſtra, aut deditione, aut vi Venetæ ditioni ſubjecit, quibus & Ficariolum quoque munitiſſimam arcem per eos dies adjunxiſſet, niſi ab Federico Urbinate Ateſtinarum copiarum ductore circumventum iri dubitaret, qui occupata Hoſtilia, in extrema agmina impreſſiones faciebat: Sed ut hinc inde diſtraherentur hoſtium vires, Chriſtophorus Amulius copias movet in Adrienſes minoribus navigiis; datoq; certamini ſigno, unica hora univerſa ferè Adria conflagravit: tanti impetus cauſa fuit cædes Dominici Ericei, qui primus vim intulerat, cujus mors noſtros milites adeò irritavit, ut ejus manibus oppidi, arciſque everſione parentandum jurarent. Comaclum, audita Adrienſium deſolatione, ſpontè Veneto ſe dedit. Damianus quoq; Maurus Padanæ claſſis Præfectus proſperè ad Piloſellam conflixit: ibidem Ateſtini communiverant utramque amnis ripam, Padumq; extructis miro ingenio caſtellis, productiſque per medias aquas repagulis, ne ulteriùs adverſo flumine Veneti agerentur: in eamdem curam expeditiſſimi equites per anfractus riparum brevioribus ſemitis occurſantes invigilabant. Maurus, impavidus vir, invectus in obverſas machinas, non tam fluviatiles diſſipavit munitiones, quàm terreſtres fugavit copias, imperataque per vicinos agros decurſione opimas prædas navalibus ſociis revexit. Hac animatus victoria Ficariolum adnavigavit, quod caſtrum à Severinate oppugnabatur, ſi mmo tamen labore, cùm vix impedire poſſet, ne Urbinas

necessaria inferret obsessis: attamen ille obviàm ire cuique volens, per abrupta tormentis mœnia irruptionem molitur, quamvis hostes armati ruinis superstantes munimenti loco se se opponerent; sed tandem Veneti ducis virtute & audacia captum oppidum, dirutaque propugnacula fuerunt, atque inde tutiùs per Polynesum discursum, subactaq; Rhodigini agri municipia, adjuvante cum primis Jacobi Laurentii Avantii studio, ac militari solertia, qui proptereà ab Senatu summis honoribus, & dignitatibus auctus, tandem immissis ab hoste sicariis ob incontaminatam ejus in Rempublicam fidem fuit trucidatus. Dum hæc in Ferrariensibus: ab Alphonso, Ferdinandi Regis filio vexatur armis in agro Veliterno Pontifex: ad opem jussus est accurrere Malatesta, & Romanis quacumque necessitas postularet, præstò esse. Hic ut in provinciam venit, Alphonsum vidit explicatis signis bello promptum; at ubi primùm conserta est manus, Aragonii victi, fugatique sunt: nec parum nostram illustravit victoriam fama superati validissimi exercitus à paucissimo milite: tantæ suæ non diu tamen gloriæ supervixit vir strenuus. Cùm igitur pro asserenda Pontificis dignitate præliaretur, in Apuliam transfretavit Victor Superantius, eamque regionem, & proximam ei Calabriam agrorum, vicorumque depopulatione maximè deturpavit: postremò è maritimi in fluviatilis apparatus imperium traductus, non minori fortuna Venetis navibus Padi aditum aperuit ad ripas usque Lacus, quem dicunt Obscurum; & ulteriùs progressus ad res hostium intercipiendas milites ablegavit. Hi tamen ad prædam veriùs, quàm ad pugnam profecti, inopinato Sigismundi Atestini adventu fœdissimè appetuntur, sed accurrente properè Severinate intercepta sunt spolia: fugatique Ferrarienses spem nostris fecere occupandæ Ferrariæ, cùm nullo obice per patentes campos volitarent, sæpiusque prodirent, refracto Parci muro, in urbis conspectum ordinatis agminibus.

Cæ-

Cæterùm cùm ea se potituros crederent, inexpectata Pontificis aversione decipiuntur. Ille, qui primas bello huic faces subdiderat, ab Veneta tunc divulsus societate, cum hostibus in Remp. percusserat fœdera, edictumq; ut quod illa bellum in Ferrarienses tractaret, impium esset, & injustum: ac anathematis fulmine feriebatur, quæ sua jura tueri nitebatur. Verùm ne publicæ dignitatis ratio parvi duci à Patribus videretur, nihil tot minis, & conspirationibus de bello remissum est; quinimò ad majora facinora elati sunt animi, contendente per ea tempora Galeatii Mediolani Ducis uxore cum Ludovico Sfortia, qui sub specie tutelæ nepotis invaserat principatum. Severinas cum parte copiarum è Ferrariensibus in Insubriam, superato Abdua, castra ad Trecium locat. Hinc in hostium fines continuæ actæ impressiones, & superata castra: territi, ac perculsi populi, convasatis rebus, fortunisque suis trans Alpes aufugerunt. Interim Ludovicus in Cremonenses venit, conjunctoque cum fœderatis exercitu adoriri Venetas stationes decrevit. Consilii monitus Severinas Bergomum adit, ne viribus impar uni variantis fortunæ aleæ cuncta exponeret. At ubi audiit hostes liberè discurrentes ad deditionem compulisse quicquid Brixiensium inter Mellam jacet, & novos Urceos, longioris moræ pertæsus egreditur, & Venetas ditiones ab Insubrum incursibus, & imperio vindicavit. Hæc agebantur in continenti, quando à mari affertur, Ferdinandum Neapolis Regem cum instructissima classe Dalmatiam tenuisse. Ut hosticas inde detruderet cùm suis triremibus extemplò navigat Jacobus Marcellus; at dum plus nimio in re navali curanda moratur, in suspicionem cadit, quominus Aragonios prope Corcyram nigram non profligarit. Illius tamen partes explevere optimè Georgii Viarii, & oppidanorum virtus fidesque hostibus tota insula expulsis. Post hæc Marcellus Callipolim Calabriæ advectus pristinam, si quæ erat, infamiæ maculam,

X 2 pro-

proprio sanguine delevit : quippe inchoatam ejus oppidi oppugnationem tanto spiritu prosecutus est, ut dum antesignanus, cæteros ad irrumpendum invitat, tormenti globo ictus ceciderit. Classica administratio ob Marcelli interitum Dominico Maripetro obtigit. tum opus tali quidem duce fuit, qui post captam Callipolim, Aragoniam temeritatem coerceret, multis illatis cladibus, occupatisque oppidis in Calabriæ, Apuliæque littoribus. Quapropter Ferdinandus, ne vlteriùs in sui Regni viscera penetrarent Veneta arma, unà cum fœderatis ad pacem deflexit. Venetæ tamen ditioni accessit Rhodigium, totumq; Polynesum. Verùm hanc pacem, è Reip. dignitate firmatam, non nihil mœstam reddidit subsecuta pestilentia, & nuncius direptarum à piratis in Britannico mari navium, quas Bartholomæus Minius onustas mercibus in eas insulas advehebat. Porrò hæc est humanarum rerum conditio, ut nunquam solida, vel perpetua obveniat felicitas.

Bellum Rhæticum Austriacum secundum. MCCCCLXXXVI.

PRomota de finibus controversia ab Arcuanis Comitibus adversus Ripenses, Benaci accolas, ortaque inter utrosque lis de argenti fodinis, quæ in Noricis, tum Veneti, tum Austriaci juris habebantur, præsentis belli semina extitere sub principatu Augustini Barbadici. Sigismundus Austriacus Tirolensium Comes in armis primus visus est, & Roverense oppidum per crebros insultus lacessivit, Gaudentio Amasiano duce : illud tamen strenuè multos dies defendit Nicolaus Priolus Præfectus. Sed cùm interim Resp. se parat ad bellum, militumque habet delectus, quos ductore Julio Camerte Rhætis opponat, Priolus, qui non satis virium ad majores conatus haberet, imminuto subindè præsidio, ac territis, qui supererant, militibus nouo pilarum

igni-

ignitarum, seu veriùs fulminum genere, oppidum deserit, ac in arcem profugit. Crescente in dies bello, novas quoque copias conscribebat Senatus: & quamvis crederetur, præteritis jam bellis fractus non posse potentiori diutiùs resistere, nihilominùs stetit periculis audacior, ipsique profuit communicata Roberto Severinati cum Camerte rei bellicæ administratione. Addidit animos Hieronymus Savorgnanus, qui Germanicas aliquot turmas, Carnicos fines populantes, vel cæcidit, vel in effusam fugam conjecit. Attamen hæc inter Rovereti arx bellicis machinis passim diruta, neque ullum oppugnatis speratum auxilium, Præfectum in deditionem compulit. Sub hæc etiam cepere tumultuari Germani milites, & quia deficerent commeatus, & quia stipendia non solverentur. Hac de re Amasianus, ne à propinquis Venetis insignem aliquam cladem reportaret, cùm præsentissima exitii auguria sint in exercitu discordiæ, motis repentè castris, incensoque Rovereto, Tridentum petit. Severinas, cui, ægrotante Camerte, totius belli summam detulere Lucas Pisanus, & Hieronymus Marcellus Legati, hostis abeuntis terga insecutus, Tridenti obsidionem parat. verùm, ne quid hostile post se relinqueret, ad expugnandam Petram arcem selectos milites præmisit. Hi ponte Athesi transmisso, contra quàm ille mandaverat, cepere dulcedine prædæ vagari incompositi: interim perlata Tridentum inopinatæ rei fama, conclamatur properè ad arma, quod majorem, quàm pro re, terrorem ea in urbe excitavit. Egressæ duæ equitum turmæ, collectaque in unum agrestium manus, sua multitudine non contemnenda, facto impetu, quà effusa populatio nunciabatur, nostros jam trepidos, & dispalatos fœda clade, turpique fuga opprimunt, repelluntque. Severinas opem laturus oppressis advolavit, dumque objurgando, hortandoque sustinere hostem, & suos continere conatur, ferox prælium orditur. Verùm nihil ducis imperium, nec maje-
stas,

ſtas,aut exemplum valuit:ipſe namque à fugientibus, & ſuo fato raptus in amnem dejicitur, in eoque vir clarus periit: Hinc animoſiores Germani urgere aciem, micare gladiis, perſequi noſtros, qui raptim ad pontem confluebant, ut eo ſuperato fugæ finem, & corporum ſecuritatem invenirent. Sed ille antea fuerat reſciſſus legatorum juſſu, quia ſperabatur ex neceſſitate virtus, ut ſublato effugio milites acriùs in hoſtes converterentur. Non admiſit conſilium timor, quin potiùs in flumen præcipites ferebantur, & paucis in alteram ripam natando devectis, plurimi aquis abſorpti ſunt. Vnus poſtremò Guido Maria Rubeus Parmenſis Germanos undequaque inſtantes parva manu ſummovere potuit, ac ſternere: nec dubium erat, hoſtes terga daturos, ſi noſtri parum reſiſtere valuiſſent. Senatus decrevit, ut Arcum municipium ſuſcepti belli cauſa deleretur: jamque converſum ad legendas recentes copias Innocentius VIII Pontifex hac pacis conditione mitigavit, ut reſtitutis damnis nihil ampliùs de finibus cum Rep. innovarent Auſtriaci.

Cyprus Veneto imperio adjecta. MCCCCLXXXVII.

CYprus, felix quondam inſula, inter majores mediterranei maris locum ſibi vendicat. Hæc Græcis ab Richardo Britanniarum Rege erepta, cùm Europæi Principes ad Sacrum bellum confluerent, Guidoni Luſiniano Gallo tradita eſt. Hujus poſteri per annos propemodum trecentos regnum in Inſula obtinuere, ſed variis ſubinde fortunæ caſibus agitati, Janus prælio navali cum Aegyptiis commiſſo in poteſtatem Barbarorum venit, qui tandem, ut ſe captivitate redimeret, ingenti auri vi, & annui ſolutione tributi ab Soldano victore inſulam cum adminiſtratione recepit. Huic Joannes filius iiſdem legibus ſucceſſit, qui ex Helena Palæologa conjuge unicam ſuſcepit filiam, nomine

ne Carlottam, Ludovico, Allobrogum Ducis Ludovici secundo genito, desponsatam: ex concubina Jacobum habuit, quem adhuc juvenem, Nicosiensi Archiepiscopatui destinavit: Joanne mortuo, sine aliis liberis, Allobrox in spem novi Regni erectus, Cyprum uxorio nomine sibi postulabat. Cyprii Jacobum, nulla ejusdem regni lege imperio prohibitum, deposcebant Patri successorem. Inter dissidentes non leve exarsit bellum. Verùm cùm Jacobus ægrè Allobrogem depellere posset; ad Soldanum profugit, cujus tributaria erat insula: ab eo exceptus impetrat libero jure totius regni administrationem: reuersusque cum auxiliis competitorem,& socios tota Cypro exterminat. Ita Jacobus pacatæ Insulæ Rex salutatus: in uxorem postea sibi delegit Catherinam Marci Cornelii patricii Veneti filiam, ab Republ.quoque filiali solemnitate adoptatam per Nicolaum Marcellum ejus temporis Principem. Tandem vita excessurus Rex fœtam conjugem cum posthuma prole Regni hæredem supremis tabulis reliquit: atque interim tutelæ,ac Veneti Senatus patrocinio commendavit. Porrò defuncto Rege, continuò repentinis tumultibus insula vexari cœpta: & primò eam turbavit Jacobus apud Ferdinandum Neapolis Regem Orator,dum se acturum pollicetur,ut notho sui Regis filio pariter filia Jacobi spuria nuptui, atque adeò dotali nomine Cyprus Aragonio daretur. Placuit regiæ cupiditati consilium,& ut promissa adimplerentur,illico in Cyprum cum armatis triremibus remittit Legatum. Hujus adventu in Reginam, ejusque familiares oritur conjuratio, qua illius patruus cum primis, Andreas Cornelius opprimitur. Sceleri additur postea violentia, coacta Regina,ut ad Petrum Mocenicum, sub id temporis Venetæ classis imperatorem, scriberet, Cornelium denegato præsidiariis stipendio sublatum;eodem nomine ad Senatum decreti Oratores. cæterùm in hac rerum perturbatione ratas nuptias legatus pacifcitur: interim fraudis per occultos nun-

nuncios certior redditus Mocenicus, è vestigio Victorem Superantium cum selectis navibus præmittit. His auxiliis exhilaratur Regina, ac in pristinam quietem, securitatemque traducitur. quia expositis ad Tamasum copiis jam indictum perduellibus bellum videbatur. sic illi armorum fama, classisque conspectu perterriti se mulctant voluntario exsilio, & Cypro optata pax restituitur. Hoc pacto excitatas turbas compescuit Venetus anno MCCCCLXXI. Sed ne ampliùs, aut tam facilè emergerent conspirationes, annitente Regina, destinavit, veluti Præfectum Insulæ, eundem Superantium; & sic integris sexdecim annis Cyprus mansit incolumis, ac omni metu secura: quo demum tempore, quia ferebatur Bajazethus Turcarum Imperator insulæ animum adjecisse, timeri cœptum est, atque tum major injectus timor, cùm idem barbarus comparata valida classe, in proxima maria ducenda, ab Senatu commodum Cypri appulsum petiisset. Verùm Patrum constantia omnem metum excussit. negatus est enim Barbaro accessus, novaque classis instructa, ac Francisco Priolo demandata Insulæ propugnatio. Atquoniam ab externo non solùm hoste, sed etiam à domestico timendum erat (adhuc enim remanserant, qui Aragoniis, Allobrogibusque faverent) ex Senatus consulto Georgius Cornelius, Reginæ frater, Cyprum navigat, ei persuasum, ut permissa Reip. Regni sui gubernatione, ipsa, tum parvulo filio orbata, vellet in patriam transire, tutiùs victura in natali solo, quàm in rebelli Insula, tamque remota, & circumdata ab immanissimis hostibus. Illa fraternas adhortationes lubens admisit. Venetiasque subeunti totus Senatus fit obvius, qui nihil ad summos honores, & verè regios in ea excipienda, colendaque omisit. Mortua tandem Regina, Cyprus in Venetam provinciam redacta est. Turcæ nunc paret, inani potiùs, quàm speciosa Christiani Principis contentione, cum priùs vi, quàm jure, ac titulo asserenda videatur ejus possessio.

Bellum

Bellum Gallicum ad Tarum.

MCCCCXCV.

IUra ſanguinis, ac pietatis officia violavit Ludovicus Sfortia regnandi libidine: datus enim tutor Joanni Galeatio nepoti, hunc in primis corruptiſſimis moribus curat inſtituendum, ne unquam Mediolanenſes vecordem, & improbum Ducem ſibi exoptarent; mox ne ille unquam ſui principatus adminiſtrationem repoſceret, eundem non ſine veneni ſuſpicione de medio ſuſtulit. His ſceleribus addendo ſcelera, ut etiam defuncti nepotis deleret affines, adverſus Ferdinandum, & Alphonſum Aragonios, in Italiam Gallos promiſſa ope, tanquam Neapolitani regni dominos, pellexit. Hanc igitur ob cauſam Carolus Octavus Gallorum Rex Italiam per Cottias alpes ingreſſus, tanto cum exercitu Neapolim feſtinavit, ut horrendo omnibus terrore, quacumque pergeret, incuſſo, brevi regnum illud ferme totum in deditionem reciperet, rebus ſupra vota fluentibus. Tam repentini, ac proſperi Gallorùm ſucceſſus metum, odiumque apud Italicos Principes, liberaſq; civitates injecerant, quòd ad totius Italiæ imperium tendere crederentur. Concitavit itaque in eorum perniciem univerſam propemodum Europam, percuſſis fœderibus cum ipſo Ludovico, quem jam pœnitebat ſuorum conſiliorum, haud ignarum, ut ea ſæpè ſunt perniciosa, ita in auctorum capita plerumque recidere. Confœderatis militibus Franciſcus Gonzaga Mantuanorum Dux datur imperator, qui cum Veneto præcipuè, ac Sfortiano exercitu Regis in Galliam reditum intercluderet. Carolus per eos dies, ſuperato Apennini dorſo in dexteram Tari amnis ripam juxta Forum-novum deſcenderat: ibi Gonzaga, Marco Antonio Mauroceno, & Melchiore Triviſano, Venetis legatis, pugnam diſſuadentibus, quòd nondum omnes copiæ adeſſent, Gallos aggredi deſignat.

Diviſo itaque equitatu in quinque turmas, ipſe cum ſelectiori flumen trajecit, alteras ordine ſubmittere, pro neceſſitate, juſſus eſt Rudolphus Gonzaga. Rebus ita compoſitis, Regem ultra amnem jam progreſſum inſectatur, majore quidem animo, quàm conſilio. Gallos enim à tergo petitos adeò irarum plenos in ſe convertit, ut inter utraque agmina, eodem ferme numero & armis pariá procedente certamine, dubium aliquandiu prælium fuerit. Interim ſecunda equitum ala in ſubſidium immiſſa eſt, quæ recens, & integra plurima ſtrage hoſtiles cuneos diſſolvit. verùm certa nondum victoria, & audentibus faviſſet ſors, niſi illam noſtris indignè eripuiſſet Franciſci Severinatis mora, qui in præmiſſarum turmarum opem, tertiam ſubmittere recuſavit. Ille Sfortiani militis ductor, vel non eſt auſus tentare vada fluminis, ſuborta pluvia intumeſcentis, vel monitus à Ludovico, ſuſpicante ex proſpera illius certaminis fortuna, Venetam gloriam, & potentiam nimis auctum iri, ſubſidium afferre neglexit. Hocque apertiùs comprobatum, cùm idem Ludovicus Bernardo Contareno interdiceret, ne abeuntis Regis extremam aciem carperet. Subinde pugna obſtinatione creſcebat, & noſtrorum numerus deficiebat, qui tandem ſperatis auxiliis fruſtrati, loco moveri ceperunt, unde Galli acriùs, vehementiùſque inſurrexere, atque ita unius ex fœderatis invidia converſa ad hoſtes fortuna plures egregios viros protrivit, aut dedit captivos. Illud Venetæ virtutis, & conſtantiæ ſpecioſum argumentum, quòd eorum nemo ex eo prælio vivus in Gallorum poteſtatem devenerit. Tria hominum millia interfecta dicuntur: uterque exercitus victoriam penes ſe ſtare profitebatur: neceſſario fortaſſe commento, ne ſuperſtites copiæ terrerentur: dubio tamen procul noſtri viciſſent, ſi fati neceſſitas humanis conſiliis abrumperetur, aut comes virtutis livor non eſſet. Tradunt annales Venetos ſuperiores extitiſſe, quòd hi bellica omnia impedimenta interceperint,

rint, opimaque præda abducta coegerint Regem præ timore subsequente nocte sub dio agere, fugamque moliri victo similem. Asta fugitivum excepit, nec nostris defuit animus, quò minùs altera die terga dantem lacesserent, eaque in urbe obsiderent Ludovicum Aurelianensium Ducem, qui, ut cum suis tutò in patriam rediret, crebras eruptiones faciebat; sed mira in cohibendo hoste Contareni solertia effecit, ut extrema penè fame maceratus, & ad sordida quæq; alimenta compulsus in eas pacis conditiones venerit, ut Novaria Sfortiæ restitueretur. At Resp. quæ Gallos cupiebat penitus ab Italia ejectos, non tam terrestres, quàm maritimas vires ad Ferdinandum transmisit, ut iis pulsis Regnum recuperaret. Cum classe solvit in Apuliam Antonius Grimanus, cujus adventu, & ope in regnum integrè restitutus, auxilianti Reip. tradidit Aragonius Thranum, Hydruntum, ac Brundusium oppida, donec expensum in eam expeditionem aurum rependeret. Per hæc Carolus eadem celeritate, qua id acquisierat, regnum amittit. tanta nempe fortunæ vis est, ut sæpè unico momento simul parta, & sperata decora evertat.

Bellum Pisanum cum Florentinis. MCCCCXCVI.

VIx se Gallici furoris metu liberam credebat Italia, cùm nova in Hetruria exarsit bellorum origo. Pisanis Carolus libertatem magno auri pondere vendiderat, dum ubique locorum victor Neapolim tenderet. Illi ne semel excussum servitutis jugum iterùm subirent, extrema quæque pati malebant. Qua de causa adversus præpotentem Florentinorum Remp. Romani primùm Pontificis, mox Cæsaris, postremò Ludovici Sfortiæ, ac Venetorum auxilia implorarunt. Sed non ab aliis promptiora, firmaq; magis obtinuere Pisani subsidia, quàm à Venetis, qui ut

amicorum libertatem integram conservarent, arma in Hetruriam intulerunt, atque in eo bello, quod varium, diuturnumque fuit, ita se gessere, ut pro libertate propria pugnare viderentur. Itaque post multas acceptas clades, mersas disjectasque naves, commeatus interceptos, oppida direpta Florentini, ne pejora in dies paterentur, Gallorum Regem supplici legatione orarunt, ut denuò transiret in Italiam, justæ eorum causæ opem laturus. Constans fama erat, Carolum hanc in provinciam alteram parare expeditionem. Sfortia igitur veritus ne imminens illa ab Alpibus tempestas in se unum caderet, demissè admodum cum Venetis egit de accersendo Maximiliano Cæsare, qui Gallo, Italiæ hosti, opponeretur. Cæterùm ille, qua pollebat perfidia, venientem Cæsarem dicitur allocutus, idque unum ei persuasisse, ut se Pisanæ controversiæ judicem constitueret, antequam Veneti aliqua magni momenti urbe in Hetruria potirentur. Acquievit Maximilianus consiliis, sed nihil sua majestate dignum imperando profecit. Illi namque, qui spem omnem recuperandæ urbis in Carolo collocarant, arbitria respuebant: Nostri verò, ut apertiùs constaret, nulla ampliandi dominii cupiditate Pisanis auxilia præstitisse, per Franciscum Foscarum legatum suscepti belli titulum Cæsari aperiunt, suadentque, ut, cum certa Italiæ tranquillitate, discrepantes inter se populos componeret: ad id non defutura navigia, quibus ille Pisas veheretur, nec arma, quibus contumaces domarentur. Sic Venetis reconciliatus Maximilianus in Hetruriam fertur, Pisanos, & Florentinos ad concordiam hortatur. verùm quia cum his omnia irrito eventu procurata, eosdem armis terrere statuit. Junctis itaque cum Venetis armis, Liburni portus, & oppidi imperat obsidionem, quæ cùm concepta spe diuturnior evaderet, ille moræ impatiens, pertæsusque se rem cum pervicacissima gente molitum, ex ea provincia suas in sedes remigravit, nullo ibi relicto tanti nominis egregio facinore.

cinore. Veneti nihilominùs susceptum bellum prosequebantur, illudque ad optatum finem perduxissent, nisi Sfortiæ ingenium, ad dolos, fraudesque natum, Reip. decus illud invidisset, aut illius dignitatem læsisset Hercules Atestinus: alter enim quà vi, quà dolis nostrorum conatus debilitavit: alter verò datam fidem non servavit. Pisani ultrò Veneto Senatui se dederant, acturi quæ ipse sentiret, modò ne iterùm inviso populo succumberent, hac una conditione firmanda pax erat, qua ab Atestino promissa, sed non servata, Pisas in pristinam obedientiam redegere Florentini: Veneti verò nil præter ejus belli impensas receperunt; cùm possent usque in Ligusticum mare nomen cum imperio protendere.

Bellum Turcicum quartum.
MD.

CAroli Octavi repetendæ Italiæ consilia mors interrupit: ea tamen Ludovicus duodecimus Regno potitus non distulit, quin & in ipso initæ publicæ administrationis die fœdus cum Rep. ictum in Ludovicum Sfortiam Mediolanensium Ducem publicaret; eo jure, quòd defuncto Philippo Vicecomite, res Mediolanensis ad Valentinam, Joannis Galeatii Ducis filiam, sibique aviam spectaret. Veneti ob Cremonam per eos dies furtim ereptam in societatem coivere his conditionibus, ut Rex, ejecto Sfortia, Mediolanensem obtineret principatum: Resp. Cremonam, totamque Abduæ Glaream. Itaque Aubignio, Trivultioque ducibus Gallica tempestas in Alexandrinos primùm perstrepuit, ac uno velut impetu ex ejus nominis oppido, deinde ex reliqua Insubria Sfortianos depulit. Venetorum non minùs armorum fragor circa Cremonam intonuit tanto strepitu, ut è vestigio consternati cives, & circumjacentes incolæ pristino obsequio se addixerint.

Ludo-

Ludovicus Sfortia tot malis undique circumdatus, frustra & à Venetis, quos toties deceperat, injuriam deprecari, & litem de Mediolanensi ditione cum Gallo componere per conditionem annui tributi conatus est. Hinc periculi certus, consilii inops properè in Germaniam profugit, ut Maximilianum Augustum in Gallos concitaret, cùm in Venetos jam hostem Bajazethum, Turcarum Imperatorem impia legatione quæsiisset. Utrumque his persuasionibus ad bellum promovit, quòd nempe Galli, Venetique post subactam, divisamque Italiam, illi Germaniam, isti Asiam evertere meditarentur. Hanc unam ob causam rediit in Græciam Turca, quem discordia Christianorum Principum, ac sæpiùs eorundem in Remp. florentem invidia concitavit. Quem igitur terra, marique militarem apparatum sub id tempus instruxerat Bajazethus, brevi omnem in Venetos ferebatur moturus, eo prætextu, quòd illi Principes Illyricos adversùs Turcica arma defendere statuissent. Cùm autem in dies magis belli fama cresceret, missus est Andreas Zancanius, qui Bajazethi animum erga Remp. exploraret. Regressus orator hoc Barbari responsum attulit: illum pacta cum Venetis à Mehemeto fœdera non esse violaturum: sed quæ fides penes infidum, & barbarum hostem? Ne itaque terrestre imperium, maritimamve oram præsidiis vacuam inveniret hostis, omnia necessario firmantur milite; & præter copias, quæ Forum-julium servarent, instructissima CC penè navium classis paratur, quæ, imperante Antonio Grimano, Turcicæ opponeretur. Hæc dum Venetiis expediuntur, Turcas extra suos fines exiisse, Jaderæ, Sicique agros populatos esse, ac abductis ex tota Dalmatia prædis, universam provinciam vastasse, nunciatum est: classemque Deuthe Præfecto in perniciem Reip. Hellesponrico mari egressam. Hac rerum fama satis clarè apparebat rupti fœderis indicium, illatumque priùs, quàm indictum bellum. Quapropter jussus Antonius Grimanus,

ut in

ut in hostem collectis undequaque viribus iret, acceptasq; clades ulcisceretur. Sed in Peloponnesum navigans, Turcis obviàm factus, incertum, cur superior viribus non confixerit. Subinde opportuniorem alteram rei benè gerendæ occasionem declinavit apud Sporadas insulas, incautos dubio procul facilè oppressurus. Fatendum certè cum Veneti ducis inertia pugnasse Bajazethi fortunam. Aegrè tamen ferentes tantam incuriam Albanus Armerius, & Andreas Lauretanus trierarchi, barbaros suis triremibus adorti, unam præcipuè navim immensæ magnitudinis, ex qua mille Turcæ præliabantur, sub ipsius Grimani conspectum harpagonibus ita alligarunt, ut desperati hostes, ne tandem in nostrorum manus venirent, ultrò excitarint incendium, quo victi, victoresque simul concremati. Eo spectaculo alii perterriti nihil interim moliri ausi sunt. Vnus quoque Vincentius Polanus sua navi in hostes delatus, plures eorum rostratas tormentis attrivit, multosque è barbaris occidit, ac reversus ad suos incolumis proprio experimento ostendit, fortibus viris omnia cedere. Per hæc odio, & conviciis exponitur Grimanus, qui tandem certior factus, alia adventare sibi auxilia, Zacynthum divertit, ut ibidem Rhodias naves in supplementum acciperet, auctusque viribus cum Turca tutiùs confligeret. Ille tum juxta Tornesium conversis in mare proris littori hærebat puppibus, veluti, in tristem navalis pugnæ eventum, terra fugam cogitaret. Processum est in certamen, & aliquandiu prosperè dimicatum. postremò continuante vel classiarii ducis infortunio, vel navium præfectis minùs opportunè jussa exequentibus, Turcæ metum discutiunt, & ulteriùs transgressas naves, reliquis auxilia remorantibus, facilè oppugnant, capiuntque, ac denique per apertum mare Naupactum versùs dant vela. circa eam urbem jam anteà constiterat Bajazethus pedestri robore, quæ, ut primùm cœpta est premi, nostræ classis desperans opem, deditionem facit. His omnibus

nibus cum ingenti mœrore auditis, Grimanus classis imperio privatur; venientiq; in patriam gravato vinculis causam dicere ob rem turpiter gestam, injungitur, mox irrogatur exilium; cùm ea inter Melchiori Trivisano navalis administratio demandaretur, & Turca victorias cumularet victoriis, qui Naupacto adjecit in Epiro Dyrrachium, & insulam Cephaleniam. Noster tamen increvit metus, cùm recens nuncius afferret, hostes in Forum-julium, inde in Taruisinum agrum populabundos irrupisse. Decem barbarorum millia altissimis superatis fluminibus in feracissimam regionem effusa, nullo resistente, luctuosissimè grassabantur: in victoriæ usum non ferro, non igni parcebant: plena tumultu vicina oppida, & urbes metuebant: hinc vidisses trepidantes ad incendiorum flammas volare currus, qui infelicissimos incolas in tutum deveherent: tanta denique trepidatio non priùs sedata, quàm immanissimi Turcæ è provincia abiisse dicerentur. dispersi super Tilavempti ripas, captivorum, quos gravior ætas præpediebat, ad quatuor millia trucidarunt. Profectus hæc inter in Græciam Trivisanus, dum præclari alicujus facinoris famæ studet, vindicandæ scilicet ab hostibus Cephaleniæ, sibi ex vano conatu interitum, & hosti parat commoditatem appellendi Methonem, quam per eos dies Bajazethus à terra obsederat. Audacter nihilominùs, ac fortiter Methonei Turcas non semel inter murorum ruinas repressere, unde in propugnantibus nata spes omnino fugandi hostis, etiam modico nostrorum auxilio. Tunc Trivisani locum ex turmarum consensu obtinebat Hieronymus Contarenus. Hic relicta Zacyntho, ut oppressis afferret opem, cum Turcica classe confligit spectante Sphagia insula: & in hostilia rostra sine metu concurrit, & pro se, prospera flante fortuna, ab initio apparebat stare victoriam, sed orta extemplò (ut omnia barbaris favere crederes) maris tranquillitate, navium onerariarum usus illi eripitur, quæ mole

sua

sua stantes, quasi torpedine præpeditæ loco moveri nequiverunt: & ex his tota belli alea pendebat; quare qui antecesserant, diffisi, ob earum tarditatem, auxilio, remis institerunt festinanter, ne præda essent hosti. Contarenus duabus ex infausta decertatione amissis navibus, alterum fortunæ momentum experturus, tribus rostratis hosticas impavidè prætervehitur, & Methonæis arma, commeatusque suppeditat. Verùm urbis interitus ab ipsa ope promanavit. oppidani enim mœniumque quotquot erant propugnatores, ut citiùs inferrent necessaria, simul omnes ad portum cucurrere. Hostis interim opportunitate usus, scalas admovet, mœnia custodibus vacua ascendit, & in oppidum diversis partibus irrumpit. Ita capta est Methone totius littoralis Peloponnesi munitissima arx, non virtute, sed casu, quoniam in fatis erat, ut superba, & contumax Græcia aliquando Barbaris deserviret, & cum religione mutaret imperium. Civium captivitate, rerum omnium direptione, Veneti præsidii cæde absterritos Coronæos, & circùm sparsos populos spontè obtinuit Bajazetus. Nauplia non semel machinis ita concussa, ut de deditione cogitaret, sed Prætoris opera, ac vigilantia per eos dies fidem retinuit. At dum hostes libera populatione per Peloponnesum excurrerent, Benedictus Pisaurus, rerum maritimarum electus Imperator, Corcyram applicuit: & per Senatum missi Oratores, qui Christianos Principes de Turcicis victoriis admonerent. Hæc propter in Bajazetho metus suboritur, crevitque diversis rumoribus, famaque ex longinquo aucta, Hispanos, Gallos, atque Italos in communem hostem facta conspiratione validissimas parare classes, quamobrem in Thraciam suas reduci jubet tum pedestres, tum maritimas vires. Pisaurus ex hac Turcarũ trepidatione Aegium petit, interfectisq; occulta machinatione præsidiis, oppidum Reip. rursus addixit: Mitylenem, Tenedumq; prædatus opulentissima spolia suis militibus distribuit: ulteriùs progressus extremum hosti-

lis classis agmen, nondum Hellesponticas fauces ingressum cum clade excepit turbavitque plurimis interceptis navigiis hostium, quos ad unum resticulis suspendi jussit: deinde etiam Samothraciam, maris Aegei insulam in voluntariam deditionem recepit; direptaque Carysto Eubœæ multa dives præda Naupliam repetiit. Videbatur non alium coercendis tantis hostibus idoneum magis imperatorem hucusque elegisse Resp. quæ subinde auxiliari Hispanorum classe, ductore Consalvo, cui Magni cognomen militaris virtus attribuit, validiorem Turcæ, veluti torrenti omnia disjicienti, obicem posuit. Pisaurus recreatus recenti ope, Cephaleniæ oppugnationem decernit, pergensque sine mora in expeditionem Insulæ utrumque portum majoribus rostris obsidet. imperatoque militum descensu cuncta replet ruinis, volitantes hostium cuneos reprimit, atque tandem ita cum subsidiariis Hispanis se gessit, ut post præclara integri ferme triennii facinora Cephaleniam recuperarit. Plurimùm in repellenda ab Insula Barbarorum colluvie Consalvi robur, & ingenium profuit, quem postea Senatus Neapolim revertentem abundanti gratiarum, ac munerum largitione honestavit. Solus deinde Pisaurus in bellum incubuit, qui monitus à speculatoribus Turcicam classem in Ambracio sinu morari, ad illam oppugnandam festinavit, & selectioribus præmissis navibus in pugnam traxit, contrà Turcæ non armis, sed arte rem gerere malebant: at ille cognito astu, vehementiùs in obversas puppes insurrexit, & de hoste, non prælio magis, quàm suamet consternatione turbato victoriam reportavit: captæ undecim triremes, totidem submersæ, laceratæ plurimæ hanc victoriam ad Prævesam, antiquis Nicopolim, insigniter nobilitarunt. Cum his deductus Leucadiam dux Venetus, totam insulam, in vno expugnato ejus nominis oppido, superavit. Utinam Galli, qui altero anno ex hybernis in auxilium venerant, eadem circa Mitylenem moliti essent.

Sic

Sic Pisaurus, rerum gestarum fama, gloriaque notissimus, Bajazethi fregit audaciam, superbumque in hanc pacem deflexit; ut Cephaleniam Venetus haberet: ille Leucadiam reciperet, arma terra marique retraheret; captaque oppida cederent victoribus.

Bellum Faventinum.
MDIII.

MOrtuo Alexandro Sexto, cujus Pontificatus insignis Italiæ fuit ob gravissimos bellorum motus, omnis penè Aemilia, Flaminiaque illustres provinciæ, ejectis Cæsaris Borgiæ præsidiis, & excussa tyrannide, aut in libertatem, aut in benigniorem administrationem transiere. Ariminum nomine Pandulphi Malatestæ Venetæ dominationi tradidit Galeottus Gualdus: quem virum & Principis, urbem dedentis, affinitate, & vetusto generis splendore clarissimum eo publicæ munificentiæ testimonio excepit, dimisitque Senatus, ut ad rei famam alia circùm præstantiora oppida in ditionem ultrò venerint. Ipsa quoque Faventia, quamvis essent, qui illam Hectori Manfredio assererent, sanctum & augustum Reip. imperium amplexata est. Ad urbem hanc recipiendam, tuendasque pro Veneto arces missi legati, non tamen recepti sunt, scissis in diversa civibus, ac patrocinantibus Manfredianæ factioni Florentinis, non aliam ob causam, nisi quia Veneti tanti potiti urbe, totam denique Flaminiam facilè essent adepturi. Exinde cum Florentino, declarato hoste, sæpiùs commissa manus, editæ clades, & diu, multumque circa Faventiam elaboratum: postremò, impigrè administrantibus rem bellicam Cristophoro Mauro, & Nicolao Fuscareno legatis, urbs subruta muralibus machinis, subterraneisque dolis eversa Senatui Veneto paruit, atque in certæ fidei, ac obsequii testimonium oratores Augustino Barbadico Prin-

cipi destinavit. At quia nullum illustre facinus mutationis, aut livoris dentibus immune, æstuantibus invidia vicinis Principibus, sævaque ludente fortuna, non diu Resp. aut Faventiæ, aut aliarum in Flaminia urbium accessione gaudebat.

Bellum Austriacum tertium.
MDVII.

QUàm sanctè coluerint Veneti inita cum Gallis fœdera satis constat, denegato pluries Maximiliano Cæsari transitu per Reip. fines: suspicati, ne, ficto Romam versùs itinere, Gallos Mediolanensi Principatu exturbaret, quia frequentiori, quàm par esset, milite iter suum instituebat. Hæc propter non semel Cæsareo Legato responsum, Maximiliano non nisi cum justis ad præsidium turmis liberam per Venetas ditiones fore viam: Quamobrem minatus ille, sibi iter aperturum vi, ferroque, Vincentium Quirinum Oratorem ab se dimittit, infestisq; armis attentat quod bellum indixerat. Provocata accingitur ad sui defensionem Resp. destinavitq; in bellicam procurationem Andream Gritum, & Georgium Cornelium, quorum alter in Rhætos missus, alter in Carnos, ubi primùm Germanici tumultus turbo auditus est, deinde majori quàm alibi fragore in Tridentinis faucibus. Terrestribus copiis præficitur cum summo imperio Nicolaus Ursinus Petiliani Comes. Hic Cæsareas turmas per valles Athesis irrumpentes repressit, expugnavitque Petrense municipium. Subinde etiam Bartholomæus Livianus vir fervidi, & audacis ingenii, qui secundus ab Ursino militares obibat vices, alteram Germanorum manum per nivosa Carnorum juga ita repulit, cæciditque, ut exinde ei facilè contigerit Cadubrii munitissimi castri oppugnatio. Ad hæc illato armorum metu complura nobilissima oppida in deditio-

ditionem venere, & fusus est hostis in Tarvisino agro. At quia bellum non uno loco grassabatur, Livianus superatis montium jugis, Tergestum rebellem urbem obsedit: adjuvante mari Hieronymo Contareno, ita pedestres copiæ ad aggressionem, irruptionemque animatæ sunt, ut illam paucos intra dies domitam, captamque Veneto juri reddiderint. Rebus tam præclarè gestis illustrior factus Livianus æquali honore, parique auctoritate jungitur Petiliano. Interim Cæsar, cui res parum prosperè successerat, rejectis incerti belli deliberationibus, cum Veneto per legatos de pace egit. Verùm Patribus placuit, procurante Zacharia Contareno inducias in triennium pacisci. Postremò ad hunc, (quod numquam antea auditum) virum privatum peculiari legatione Joannem Raublerium destinavit Maximilianus, rogatum, ut quemadmodum paulò antea inter se, & Remp. induciarum auctor extitisset, ita & pacis foret. Tantam apud exteros, summosque Principes existimationem sua virtute, integritate, ac prudentia sibi Contarenus conciliaverat. Porrò Ludovicus Gallorum Rex conqueri tum graviter cœpit, quòd nulla sui recordatione nostri cum Cæsare transegissent. Hæc una parvi momenti causa, quærenti novitates oblata est, ruptisque indignè fœderum ac amicitiæ vinculis, primò cum Rege Ferdinando in Liguria de invadenda Rep. Veneta consilia iniit: postremò sollicitatis reliquis Italiæ, ac fermè totius Europæ Principibus, Cameracensem illam conflavit tempestatem, quæ multos annos sub principatu Leonardi Lauretani suprema propè clade Venetam Remp. anhelantem prostravit.

Fœdus Cameracenſe in Venetos.
MDVIII.

VEneta Reſp. quæ propagatis longè lateque terra marique imperii ſui finibus, multis florebat opibus, auctoritate, & fama, non tam finitimis populis, quàm etiam longinquis odio & invidiæ fuit, præſertim per hæc tempora, ut Cameracenſi fœdere omnino debilitanda crederetur, futuraque cæteris exemplo, humanam potentiam fatales habere limites. Verùm hæc religione, juſtitia, & moderatione firmata, quæque ſemper artibus pacis magis, quàm belli ſtuduit, cum orbe eſt perennatura. Cameraci itaque, quod eſt in Belgis oppidum, contra Venetos percuſſum fœdus, quod primùm apud Savonam Ligurum Ludovicus XII Gallorum Rex cum Ferdinando Hiſpano contraxerat: adhæſere huic Julius Secundus Romanus Antiſtes, & ipſe Maximilianus Cæſar, tantoque ſilentio ſocietas hæc per legatos ſancita dicitur, ut cùm demum ejus ſuſpicio emanaret, Venetiis nequaquam crederetur. Porrò tam diræ conſpirationis famam intrepidè Reſp. excepit: & quis crederet conjurantibus in unum tot Regibus illam propè parem extitiſſe? Sed adverſus tot hoſtes, tantis florentes exercitibus, armavit animavitque una ea cogitatione, non fore diuturnam concordiam, quæ conſtaret diſſimilibus animis, neque prolixum bellum, quod à multis, iiſque variantibus inter ſe ſuſciperetur, quando primos impetus vel propulſaret, vel paiùm ſuſtineret. Belli cauſæ hæ publicatæ. Singuli ex fœderatis repetebant urbes, & oppida, quæ tunc à Venetis aut jure belli, aut voluntaria populorum deditione legitimè poſſidebantur: Pontifex imputabat, quòd Ariminum, Faventiam, aliaque in Flaminia Romanæ Sedis caſtra occuparent: querebatur Maximilianus, ſe potiſſimùm Verona, ac Patavio contra fas ſpoliatum: ægrè ferebat

rebat Gallus Cremonam Mediolano detractam: Hispanus haud integrum sibi contigisse Neapolitanum regnum, cui deessent maritimæ aliquot urbes ab Aragoniis Veneto oppignoratæ. Cameracensi quoque vinculo devinciebantur Ferrariensium, & Mantuanorum Principes, ut & hi suis ditionibus redderent, quæ oppida in Mantuano, Ferrariensique agro tenebat Resp. Dux etiam Allobrogum ob Cyprium regnum conjuraverat, nec non Britanniarum, & Pannoniæ Reges, ut nullus propemodum in Europa extaret, qui contra Venetos non sentiret. Turca solus repertus, ad notandam cæterorum perfidiam, & dedecus, qui memor datæ pacis non modò servaret fidem, sed etiam indignè oppressis auxilia offerret. Verùm, ut Christianam decebat Remp. ea fuerunt rejecta, victoria enim maximè sperabatur à Divino numine, violatorum fœderum ultore certissimo.

Bellum cum fœderatis hostibus ad Caravagium. MDIX.

Ludovico Gallorum Regi prima inchoandi, peragendique belli alea obtigit. Illud superbè, ac minaciter denuncianti hoc Venetorum fuit responsum: Non adeò humilem rem Venetam, ut suis hostibus per summam licentiam despectui, & prædæ futura sit: adesse arma, & dextras, animosque: neque virtutem, & fortunam justis, neque Deum ultorem fœdifragis defuturum. Subinde festinato militum delectu, brevi enumerata sunt in castris XXX peditum, equitum VII millia; tantisq; copiis præfecti Nicolaus Ursinus Petiliani comes, & Bartholomæus Livianus, viri ambo militari experimento celebres: datique sunt procurationi bellicæ legati Andreas Gritus, & Georgius Cornelius. Hæc inter Galli, superatis Alpibus, cœpere omnia infesta reddere, Carolo Ambosio duce: hostium

ſtium irruptionibus leviſſimis quidem pugnis reluctati ſunt Veneti: at denique gliſcente bello, multa clade, & oppidorum direptionibus certatum. Gallus Trivilium ſecùs Abduam occupat: Franciſcus Vrbinatium Dux Pontifici, cui militabat, Ariminum, & Faventiam conatur vi aſſerere: Gonzagianæ turmæ Caſale in Padana ripa caſtrum recipiunt: atque ita pluribus in locis oppugnatur res Veneta. Cæterùm recuperandi, ſi quæ amiſiſſent, ſpes omnis erat Patribus in eo florentiſſimo collocata exercitu, qui in Abduana Glarea contra Gallos ſtabat. Et cùm hoſtium numerus, ipſo adventante Rege, augeretur, cui erant in armis XXXX hominum millia equeſtris ferè ordinis, acceſſere terreſtribus noſtris maritimæ etiam vires, plurimis comparatis navigiis, quorum alia aduerſo Pado deduceret Sebaſtianus Maurus: alia deduceret in Benacum Zacharias Lauretanus. Intereà ultra Abduam arma transferenda clamabat Livianus, ut regii exercitus tranſitu prohiberentur: atq; ob id ſuſceptam Trivilii oppugnationem peregit egregiè, recepitque Aſulam ingenti Mantuanorum cæde & captivitate, ne poſt ſe hoſtile aliquid relinqueret. cæterùm hìc tanta intervenit mora, ut tandem ipſe fruſtraretur, quominùs Gallos à flumine arceret. Tranſitionis fama admonuit Livianum prætergreſſos hoſtes illicò invadendos eſſe, & eò promptiùs, quò lętiores redditi noſtri ex primis ſucceſſibus, non tam ſibi ominabantur Reipubl. tutelam, quàm ſecuritatem Italicæ libertatis. Conſtat ex alacritate Veneti exercitus trepidaſſe Ludovicum, & relicto bello voluiſſe iterùm paciſci fœdera: ſed erant, quæ Venetus lueret. Rex ſuorum animo in paratam expeditionem excitatus, quas præmiſerat Helvetiorum phalanges, tranato Abdua, ſequitur. Livianus dum repellendi hoſtis conſilium rejicit in alteram diem, tam denſa caligo campis incubuit, ut ne cœcus in temeritatem rueret, à propoſito abſtinuerit. Subinde ratus Gallorum machinamenta adverſus Cremonam dili-

genti

genti celeritate posse anteverti, invadenda eorum castra, aut in illos aperto marte procurrendum censebat. Secùs Petilianus, qui mora frangi Gallicum robur; nihilque in re bellica cunctatione melius, nihil audacia deterius. Hæc ducum disceptatio, aut æmula orta priùs simultas Remp. in perniciem trahebat. Nihilominùs pugnæ avidus Livianus cum suis certamen aggreditur, primoque ipso conflictu viro audaci arridere visa est fortuna; quippe victor, turbatis, quæ anteibant, Gallorum aciebus, ad ipsa usque Regis castra penetravit: postea illa suo more instabilis falsò evulgat per infidos Veneti equitatus ductores penè fusas, profligatasque esse pedestres copias. Ea credita fama Gallos confirmavit, & Petilianum subsidio retinuit. Quapropter urgere hostes, & nostros loco exturbare ceperunt, versosque in fugam palantes atq; dispersos occidere, aut rapere captivos, inter quos ipse Livianus, amisso ex vulnere altero oculo. Hac funestissima clade desiderati optimi quique duces, cæsa militum X millia, vastata castra, direpta impedimenta, illustratusque Gallorum victoria Aignadelli apud Caravagium vicus ignobilis. Fuit ea nostrorum veluti suprema calamitas, vulgò ad Gieradaddam dicta, modico Gallici sanguinis impendio: unde meritò dici potest nobis inauspicatiùs Abduam fluxisse, quàm Romanis quondam Alliam: non ità tamen Venetias allatus cladis nuncius perterruit Senatum, ut animum abjiceret. Decrevit itaque extemplò legatos Christophorum Maurum, & Petrum Duodum, qui Brixiam, Veronamque adproperarent, vagos milites colligerent, recentesque conscriberent largo stipendio. Et quoniam magis in justo bello fortunæ vices pensandæ, cùm ea haud in optimis consistens, ad pejora sine judicio deflectat, datæ sunt publico nomine litteræ ad Dominicum Grimanum, & Marcum Cornelium Cardinales, ut Julium Pontificem conciliarent Reip. atque ut inde Flaminiæ oppida reciperet: ab urbe etiam discessit

Antonius Justinianus ad Cæsarem legatus, ut pacem impetraret, restituto Tergesto. At quia omne tum cum Romano Præside, qui nuper Venetos sacris excluserat; tum cum Augusto, qui Forum-julium, & Histriam vexabat, irritum fuit obsequium, creditum est non fuisse superis curæ securitatem Venetam. Cùm interim continentis urbes adventantis cum terrore hostis impetum, aut ipsam urgentem famam haud sustinere posse viderentur, prudentissimo Senatus decreto, omnes à præstito jam fidei juramento liberantur: atque ita temporis momento terrestri imperio discessit, quod majorum providentia integro sæculo maximis artibus, domi, bellique administrata Rep. civitati omnium nobilissimæ adjecerat. Utinum tamen in Forojulio: & in hac nostra provincia Tarvisium, plebejo studio animatum, Venetam fortunam sequi voluit, cùm ejus libertas extremum penè spiritum traheret.

Patavium, receptum à Venetis, frustrà à confœderatis oppugnatur. MDIX.

VEnetus, qui non ita pridem de imperio, & salute publica desperare visus est, oblata rei benè gerendæ opportunitate, Patavium recuperat. Cùm enim pro explorato habuisset Andreas Gritus, Germanos, quibus se tradiderant Patavini, torpori ac vino deditos minùs cautè tueri urbem, delecta equitum peditumque turma, noctu Tarvisio egreditur, confectoque per tenebras itinere haud procul consistit in insidiis. Actum paulò antea erat cum agrestibus, quorum studium singulare erga Venetos, ut portæ urbis, quæ Cauda-longa dicitur, pons obverso de industria fœni plaustro impediretur: itaque patrati astus opportunè monitus Gritus è latebris celeriter adeò ac inopinanter, occupata porta, irrumpit, ut in foro priùs Veneta

signa

signa conspecta sint, quàm ullus hostium præsenserit. non in alios sævitum, nisi in cives, qui alteram defectionis suspicionem de se fecerant: arx insequenti die recipitur, eam dedente Cæsaris præfecto Leonardo Trissino. ad Patavii recepti rumorem plurima circùm municipia Venetæ dominationi ultrò adhæserunt: jamque satis persuasum erat, fortunam hanc primam præ pudore languentis clarissimæ Reip. viam ad pristinum assequendum imperium aperuisse; cùm etiam Serravallium, Lemniacum ad Athesim, aliaque præclara oppida reciperentur, pulsis inde Germanis, fusoq; Atestinorum equitatu. Sub hæc Pontifex morari nostrorum victorias fucato pacis titulo excogitavit: nempè ab se inter Cæsarem, Venetosque compositum, ut hi, restitutis recenter occupatis oppidis, Tarvisium, & Forum-julium libero jure possiderent. Interim Senatui has conditiones examinanti nuncius è Pannonia retulit, Romanum Præsulem, & Galliæ Regem summè eniti, ut Pannonius districtis nunc in Remp. armis, opportunè suo regno redderet ademptas sibi urbes in Histris, & in Illyrio: attamen nihil illum moturum, redolentibus perfidiam postulatis. Exinde omnis Patrum cura in communiendo Patavio locata est, mandatumque Petiliano, ut cum selectiori exercitus parte eamdem in urbem rediret, ad cujus expugnationem propediem venturus erat Maximilianus. Hæc inter ingruentes in provinciam Germani, fugatis ex Alpium arcibus præsidiis, direptis, incensisque Carnio, ac Feltrio agro, Tarvisinum populabundi sua multitudine operiunt: Christophorus Maurus primam hostium irruptionem parumper sustinuit. Interim Franciscus Gonzaga Mantuanorum Dux, Verona ad Cæsareana castra iturus apud insulam Scaligeram opprimitur; extractusque è latebra, agresti exploratione, Venetias captivus deducitur. Sed Maximiliano Patavium obsessuro jam quoque accesserant Pontificis, Galli, Hispanique Regum auxilia: jam Alphonsus Ferra-

rienſium Princeps, multis nominibus Reip. infenſus, majora tormenta, & innumerabiles penè machinas ad belli uſum ſuppeditaverat. Quoniam verò conſtabat urbem facilè capi poſſe, ſi ea fluminis pars, quæ Patavium influit propè Liminis arcem, in alteram derivaretur; capta arce, abſciſſionem, deductionemque inchoant Germani milites, ſummo quidem labore: idem opus in Bacchilionis alveis commiſſum, ne quis illorum amnium aquæ obſeſſis eſſet uſus. Hoſtes tamen ab incœpto deſiſtere coacti ſunt, acriter à noſtris, frequentiſſimè erumpentibus, divexati. Nihilominùs expugnato Ateſte, in Montem-ſilicem per ſaltus, crepidineſque irrepſerunt Hiſpanorum virtute, quæ docuit nullum oppidum, vel natura munitiſſimum, capi non poſſe. Viſus eſt denique propior ad urbis mœnia ſtare Cæſar, & eò iratior, quòd per id tempus Belunum, Feltria, & in Noricis præſtantiores aliæ munitiones, Hieronymi Savorgnani robore, Venetis eſſent reſtitutæ; ſuoq; in exercitu octoginta mortalium millia cenſa dicuntur. Tantis viribus oppugnandum erat Patavium adverſus Venetos, qui pro tutela ſuis in ſtationibus equitum tria, peditum millia XV adnumerabant, præter primarios ex patricio ordine adoleſcentes, ferè ducentos, ſingulari in Remp. charitatis exemplo. His potiſſimùm data cura præcipuis in locis vigilandi, ne qua doloſa hoſtium fieret irruptio: propterea & Venetias evocati ſuſpectæ fidei cives, juſſiq; non recedere durante bello. Subinde Patavium ex ea parte, quæ Septentrionem reſpicit, ubi quondam Helenæ fanum, urgeri, & concuti cœptum eſt; jamque muri ad tormentorum jactus corruerant, & per aperta mœnia Germanus miles ingreſſus eſſet, niſi Petilianus ſupremo virtutis bellicæ opere militarem excitaſſet aggerem per totum ferè urbis ambitum, quà modò viderentur hoſtes facturi impetum, adjecta extrinſecus profundæ altitudinis foſſa. Extructæ molis propugnatio uni præ cæteris viro armis præclaro Citolo Peruſino deman-

mandata est. Illam Galli, Germanique Cæsaris pollicitationibus animati junctis viribus demoliri aggrediuntur: sed cùm irrito conatu opus tentassent, turpissimè deturbantur. Hispanis igitur eadem aggeris expugnatio committitur, quorum audaciam, impetumque dum Citolus eludere meditatur, disposita in vallo idonea igni, fumoque excitando materia, intra munitiones selectiores milites, quasi in insidiis, collocavit. Hispani intereà continuatis probris, & ad felium venationem jocis militaribus irritati non magis, quàm Augusti præsentia incensi, aggerem, turres, murumq; ea alacritate, fortitudine, odioque superant, ut, duobus ibidem fixis vexillis, spem certam in oppidum irrumpendi facerent: at ubi sat hostium iræ, vindictæq; explendæ in muro, & in ipso vallo consistere Citolus conspexisset, occultum succendit ignem, & fumum maximum excitat, cujus vi, & fœdo nidore miseri consternati, excœcatique non ordines, non ducum imperia observare potuerunt. Exiere confestim cęteri è latebris, advolavitq; Petilianus, & in quos flamma, vaporq; non sævierat, ferrum distrinxerunt. Miseranda continuò strages, & effusa ubiq; trepidatio exoritur, qua usus Ludovicus Malvetius urbe egreditur, & pervadens Cæsareana castra reluctantium cæde, hostilia configit tormenta, revehitq; in tutum stipendia, quæ Patavium mittebantur, decepta Hispanorum phalange, in contrariam curam excubante. Nulla posthac dies præteribat, qua nostri frequentissimis insultibus non fatigarent obsidentes, & non nisi victores, multaq; onusti præda reverterentur. Hi rerum eventus palàm demonstrabant Cæsarem deinceps ea in oppugnatione nihil aut armis, aut dolis profecturum: propterea vir, alioqui bellicosus, & in dubiis ausibus plerumq; pertinax, postquam Hispanos à nostris repulsos vidit, & inexpectata obrutos clade, ab ultima certaminis alea temperandum sibi duxit. Quadragesimo itaque obsidionis die, Octobribus Calendis, sublatis castris Meduacum trajecit,

& per

& per Vicentinos re infecta raptim, exemplo improsperi successus, Alpes transmisit.

Vicentia recepta.
MDIX.

Regresso in Germaniam Maximiliano, quæ fiducia succreverat in Venetis, brevi se pristinæ dignitati restituendi, dies aliquot elanguit Petiliani interitu: confectus curis, vigiliis, ætate, Vir spectata militia clarus, magno, ac publico Senatus mœrore, occubuit. Quamobrem Andreas Gritus bellica constantia, ac disciplina haud impar jubetur exercitibus præesse. Hic animosè sibi fidens, veluti omnes interceptas urbes certò recuperaturus, per magnos imbres, difficiliaque itinera Vicentiam signa primò intulit, atque ex inopinato irruptionem parat. Dionysius Naldus primipilus mœnia conscendit, & penetrare in urbem potuit, repulso impigrè Gaspare Severinate, Cæsareanorum prçfecto: exinde reliqui hostes pacti sunt deditionem, qua liberi, & immunes à cæde recederent. Et quia proxima quæque victoria instrumentum sequentis esse debebat, Veronam subitò mota sunt castra, ut urbs celeritate magis, quàm contentione caperetur. Præmisso equitatu cœpere nutare oppida, & quædam Veneto duci se tradidere, hostilium præsidiorum internecione. Intereà nostri obequitando, provocandoq; sæpiùs cum exeuntibus Germanis velitarunt; sed cùm à transfugis, captivisque relatum esset urbem magnis teneri præsidiis, maluit Gritus suos tutos in Patavinos reducere, quàm viribus dispares certo destinare periculo. In reditu Montanianum vi obtinet, ultrò in fidem recipit Ateste, aliaque castra, exturbato hoste, qui ea pro Cæsare tutabatur. Sub hæc etiam affertur Aloysium Delphinum, in Foro-julio legatum, robustam Germanorum alam, in Liburnia grassantem, compressisse, &

se, & ab Angelo Trivisano Flumen, in Histris municipium, igne consumptum, quoniam incolæ Reip. insignia lacerassent.

Bellum tertium Ferrariense.
MDIX.

Alphonsus Ferrariensium Dux, qui unà cum aliis in Venetæ Reipublicæ damna conjuraverat, cæterosque commeatu, armis, reque omni bellica adjuverat, quo potissimùm tempore Patavium obsidebatur, Patres illatæ injuriæ vindices habuit. hi, quod perstrepente eo bello distulerant, nunc persequi voluere, ulturi hostem eò magis infestum, quò reliquis vicinior esset. Classem itaque viginti rostratarum, plurimarumque biremium Angelus Triuisanus ex Senatus decreto in Padum traduxit, subitamque hostilis agri direptionem imperavit. Alphonsus auxiliaribus copiis succinctus populantem Venetum aliquandiu cohibuit, duasque triremium ignitis machinis laceravit. Ea propter Classiarius Præfectus, reducto navali apparatu ad Pilosellam, firmum ibidem propugnaculum erexit, ac ita insequentem moratur hostem. Tutiùs nostri rem gerebant ab altiore aggere, & ausum quandoque subire Alphonsum intra suas stationes cum clade sæpiùs repellebant. Hæc agebantur, cùm expeditæ equitum turmæ in auxilium classis venere, quas Trivisanus transversis triremibus, veluti facto ponte in hostilem agrum trajecit: omnis illicò circùm regio miserrimè vastata, adeò flammis ac militari licentia ubique debacchatum, ut Senatui necesse fuerit suis imperare, abstinerent à vastatione, & incendiis. Sed horum egregius ultor extitit Hippolytus Cardinalis, Alphonsi frater, dum insuetum facinus felici ingenio peregit. Perforato siquidem perpetuo Padi aggere, majora tormenta in singulis foraminibus eo modo disposuit, ut à

nostris haud obseruata certo classis detrimento statuto tempore fulminarent: Dolo ipsa quoque fortuna favit, cùm repentino imbre auctus amnis, summas planè ripas adæquaret, suoque incremento Venetas triremes ita eveheret, ut commodè machinarum pilis objicerentur. Noctu ergo, nihilque tale suspicante Trivisano, repentinis ac frequentissimis ictibus concutitur classis, tota verberata, infandaque strage dissipatur. Ille inopinato casu perterritus, ægrè ab internecione se subtraxit, vixque integro navigio Venetias delatus est; ac Atestini Duces quindecim triremes, demersis reliquis, atque omnia classica instrumenta Ferrariam justo cum triumpho abduxerunt. Hæc ruina non parùm turbavit Remp. Angelus Trivisanus à toto procul dominio relegatur, quia præcipuè tumentis fluminis aggeres non abscidisset, certa illuvione castra, hostiliaque machinamenta obruturus.

Promiscui bellorum successus.
MDIX.

Alternabat fortuna res Venetas modò prosperis, modò adversis successibus. Ob inflictam in Pado cladem animosiores, qui Veronæ præsidio erant, hostes, urbe sese effundunt, & nonnullas nostrorum cohortes ad pagum Martinianum malè excipiunt, lateque circùm agros, vicosque populantur, quia concessa illis præda pro stipendio erat: atque ob hanc causam concubia quandoque nocte per oppidi plateas, viasque decurrentes Reip. nomen collaudabant, conclamabantque Venetos intra mœnia esse, ut erga illos civium voluntatem hac fraude noscerent: quare cùm iis acclamationibus hilariter à plurimis responderetur, pertæsis barbaræ gentis imperium, singulas eorum domos, è quibus credulæ voces emittebantur per tenebras obsignantes, oborto sole ad unam hostiliter exhauriebant.

riebant. Adrienses sollicitati ab Alphonso, ut in sui obsequium redirent, Veneto auxilio hosti strenuè restitere; quem in fugam actum Joan. Paulus Gradonicus non tam astu, quàm virtute profligavit. Inito enim à nostris ex industria tumultu magis, quàm prælio, compositaque fuga universæ hostiles acies suis è munitionibus prosiliere. has demùm Venetus ductor non dolo, sed aperta vi debellare voluit. Proprio igitur exemplo suos ad pugnam hortatus; omnium primus in eas impetum fecit, atque ita se gessit, ut ex æquo Padanam cladem rependeret. Auxit mirum in modum victoriæ gloriam captivorum numerus, præda ingens facta, & obtentæ munitiones. Sub id tempus Veronæ occupandæ spem dedere cives, qui non ampliùs externorum injurias ferre poterant: cùm itaque oppidanorum studium in Venetos conversum esset, hi nocturna metatione propè urbem insidunt cum ea exercitus parte, quam non multitudo, sed virtus commendaret: interim moniti de vigiliarum obtruncatione, tacito agmine pergunt ad facinus, quod scalis erat perficiendum, quæ ut muri altitudine breviores repertæ sunt, alteram alteri jungendam dum curant, ex temerè percepto strepitu, veriti se detectos ab hostibus, in castra rediere inglorii, & laudabili incepto frustrati. Patefacta audacia majoris curæ admonuit præsidiarios, cæterosque milites, qui subinde aucti viribus Lemniaci oppugnationi se accingunt. Gritus tantæ arcis tutelam Vanissæ Dalmatæ commiserat. Is hosti, antequam accederet, obvius, tam acriter reluctatus est, ut nullo è suis desiderato, integram Gallorum cohortem deleverit. Per eos quoque dies Alphonsus libero transitu in Rhodiginos parato, occisis fluminum custodiis, alteram sui exercitus partem ad agrorum ruinas, alteram ad urbis excidium destinat. Viso hoste Venetus Prætor sibi timens, quia inferior viribus, tuto potiùs, quàm decoro consilio Rhodigium deserit. Inde cùm Patavio novum immineret periculum;

Grito Senatus mandat, inter eandem urbem,& Vicentiam castra poneret, ut pro opportunitate utrique datis auxiliis prospiceretur. Etiam Francisco Polano, Histriæ Præfecto imperat,ne suis navibus Clodiæ deesset,in quam moturum apparebat Atestinum ex incenso Laureti pago. Hac veluti Venetorum trepidatione Galli omnia audentes, in Vicentinum agrum excurrunt, ac liberè tandem ubique grassantur,Veneto præ metu cis Meduacum regresso. Vicentini, auxilio destituti cùm auro empta corporum incolumitate se Gallis dedissent, paulò pòst ab Germanis violata fide pessimè excepti sunt. expilatæ namque sunt domus, in captivitatem ducti cives, & qui in proximas cavernas, antraque se abdiderant,canum sagacitate conquisiti, flammarum fumique vapore barbarum in morem necati. Pòst captam Vicentiam, subactaque in confinio castella, incitante Alphonso, Galli Montem-silicem expugnant. Prosperè per Venetos alibi pugnatur. Fori-julii Præfectus Aloysius Delphinus è Gradiscano præsidio cum expeditioribus egressus plures Cæsareanorum manus, subjectam planitiem more latronum infestantes, oppressit, auxiliaresque copias, quæ vindictæ avidæ accurrebant, celerrimè tranato Sontio tanto tempore remoratus est, ut sui, numero impares, intra munitiones integri recipi potuerint. In Patavinis quoque plerumque fortunato eventu conserta manus; non continuè tamen, neque junctim, sed prout hostes lacessebant. Tandem Galli rursus, ductore Carolo Ambosio, Lemniacum adoriuntur, ponte Athesi superstructo. Huic expeditioni Alphonsus interfuit, cujus ope, productis Ferraria æneis tormentis,tanta vi quassati sunt muri, totque in partes disjecti, ut præsidiarii animos ob terrorem despondentes, se cum oppido & arce victoris arbitrio permiserint. Post hæc in muniendo Patavio omnis Senatus cura, suspicantis iterùm illud obsidione tentandum. Tarvisium quoq; ad belli subsidium necessaria comportantur.

At

At cùm diu dubitatum esset, quò se potissimùm verterent hostiles acies, quæ tum XII armatorum millibus constabant, tandem in Montem-silicem grassantur, à nostris paulò pridem receptum. Universis hinc inde viribus eam arcem obsepiunt, ac post varios insultus occupant, diripiuntque. Prædantibus cessit Sebastianus Naugerius Prætor, quem dum Hispani suum esse captivum asserunt, Germani eundem sibi deberi, miserrima præda inter rixantium manus laceratur, voveturque flammis oppidum, & castra, quæ essent Atestinorum ditionis, Alphonso restituuntur. Hæc non procul Patavio improsperè gesta: intra alpes feliciùs. Aloysii Mocenici obstinata vis Bellunum expugnat. Non multò pòst reddita huic provinciæ fortuna, visa est per tot vicissitudines constantiori animo vultuq; rei Venetæ consulere. Vicentia imminuto Germanorum præsidio rursùs Reip. obsequium præbet, nec secùs omnia ferme Patavini agri municipia ejusdem leges, & gubernacula amplexantur.

Fœdus cum Iulio Secundo Pontifice. MDX.

POst receptas Flaminiæ urbes Julius Pontifex non nihil de odio in Venetos remisisse videbatur, haud ignarus, quònam tenderent externa arma, & cum primis Gallorum, qui amœnissimam hanc provinciam occupare nitebantur. Hinc prudentissimum Leonardi Lauretani Principis consilium: ut de Romano Antistite Venetæ Reip. conciliando quamprimùm cogitaretur. Confestim itaque Hieronymo Donato Oratori injunctum, ut Julii animum omni obsequii genere placare conaretur, ageretque ut contractis fœderibus, conjunctisque armis Italicæ prospiceret libertati. Pontifex generosum hunc & pium Reip. animum libentissimè amplexatus est, & interposita fœde-

rum ſanctitate cum illa in gratiam amicitiamque rediit, indicto quoque Ferrarienſibus bello, ſi deinceps rem Venetam infeſtaſſent. Novæ hujus reconciliationis, ſocietatiſque famam ægrè ferentes reliqui fœderati Principes, arctiùs ob id ſeſe uniunt, & ſe Pontificis quoque hoſtes declarant, atque omnium primus Rex Galliæ cùm Ateſtinos defendendos ſuſciperet. Quamobrem Julius, & Veneti bellum adverſus Gallos præcipuè, & Ferrarienſes geſturi, X Helvetiorum millia ſocia in caſtra traduxerunt. Gens hæc, inter ferrum & arma nata, invictiſſima ſemper eſt habita, & iis, quorum fidis, ac promptis ſtipendiis militat, perſæpè impendio ſui ſanguinis inſignes victorias peperit.

Jrrita Veronæ oppugnatio.
MDX.

AD primas Helvetiorum irruptiones hoſtilia arma cœpere imminui, ac ſeparari, ut quiſque propriæ occurreret neceſſitati. Cùm autem frangi facilè poſſit quidquid divulſum eſt, jam viciſſe ſibi videbatur Reſp. cùm in partes hoſtem diremiſſet. Ut igitur fama increbuit Gallos ſecùs Abduam ab Helvetiis eſſe fuſos, Andreas Gritus legatus cum Lucio Malvetio exercitus imperatore certa ſpe debellandi fugientes Gallos erectus, ad Larium lacum movit, prudenti ſanè conſilio, ut illos incluſos commodiùs opprimeret. Atque utinam pari mente pugnaſſent, accenſis cum primis peditum animis, & rem integro prælio decernere cupientibus. At ſibi tunc minùs decorè temperarunt Veneti duces, quando, quos in fugam datos à fronte adoriri debebant, à tergo perſequi maluerunt, atque etiam ita cunctanter, ut diſperſi antea in vnum poſtea coirent, & Veronam ſine metu ſe reciperent. Malvetius præ pudore irarum plenus in Veronenſium mœnia converſus, ſic ea muralibus machinis concutit, ut brevi intro-

introeundi viam sterneret militibus, ad omnia impigris. Quoniam verò fortuna ad primum conspectum parùm nota, sæpè non reditura præterfluit, frustrà bellica instrumenta admota sunt, vanique omnes conatus fuerunt cum insigni nostrorum jactura, dum cadit Citolus Perusinus, vir militia incomparabilis, qui ad repentinam hostium impressionem sustinendam, ne sui cæderentur, solus accurrerat. Allatus deinde rumor adesse Gallos, qui sua multitudine obsidentes appeterent, Malvetium in stationes Martiniani vici reduxit, indignante milite, qui certam potiundi oppidi spem suo vigore, & alacritate conceperat. sic quandoq; imperatoris vigilantia in militis strenuitate desideratur, cùm aliquandò fortuna ducum tarditate neglecta effugiat, ubi sequentes non videat.

Bellum quartum Ferrariense.
MDX.

ICto jam fœdere cum Julio Pontifice Venetam classem in Ligusticum mare duxit Hieronymus Contarenus, ut Gallos Genua expelleret, quod summè erat in votis Romano Antistiti: in Alphonsum, diris devotum, traduxit per Padum navigia Joannes Maurus, edictumque publicè est, ut cuilibet in hostili solo prædari liceret, quare ducentæ, & ampliùs privatorum naviculæ repertæ, quæ Atestinorum res majorem in modum affligerent. Ad hæc Pontificiæ copiæ oppugnationibus cuncta penè continentis oppida, Veneti classiarii omnia secùs Padum, ac præsertim Rhodigium, occuparunt. Non eadem tamen maritimo prælio felicitas. Genua enim hostium oppugnationibus strenuè restitit, licet eam vir infracti animi Julius semel & iterùm, terra marique aggressus esset: Cæterùm Alphonsus, adjuvante Gallo, incendit naves, quæ Padi custodiæ à Mauro datæ erant, per campestria diffusus unà cum sociis, effusi amnis

si amnis instar, singula sibi obvia prosternit. Occurrens Andreas Gritus, ut obicem poneret, nutantia primùm castra confirmat, mox hostibus citrà Athesim, rupto ponte, ne fugerent, in certamen vocatis, magnam eorum partem cecidit. Sed, ut Alphonsus majores illatæ injuriæ pœnas daret, Patres gravissimi belli molem transmittunt in Franciscum Gonzagam, quem, Julio Pontifice deprecante, captivitate liberaverant: & Mauro injungunt, classem rursus conscendere. Hic nulla mora Padi ostium, Vatrenum appellatum, ingreditur, & solo adventus sui nomine fugavit hostiles biremes, quæ piratico more crebrò illac navigantibus insultabant. eo quoque tempore Gritus unà cum Paulo Capellio equitum ductore Rhodiginos fines denuò percurrens, hostium expugnat munimenta, incolas redigit in potestatem, Ferrariamque præ metu non parùm consternat. Verùm hæc urbs timore demùm liberata est, cùm Venetus Bononiam pergere jussus, ad famam Gallicæ expeditionis in Pontificios, qua Bentivolis illud oppidum asserendum ferebatur. Ob id etiam Grito imperata nova militum conscriptio, datæque litteræ ad Gonzagam, ut muneri suo non ampliùs deesset. Is Mantuæ detinebatur quibusdam veluti præstigiis uxoris, quæ non tam maritum retrahere, ne aduersus fratrem Alphonsum militaret, quàm, ut Capellio, Padum transeunti, armis reluctaretur, conata est. Interim Galli, receptis, nostrorum absentia, in Ferrariensi agro municipiis, in Bononiensem postremò latè ruunt. Hinc Julius in primis studens, ne Bononia cederet Bentivolis, quibus major civium pars, præsente Gallo, favebat, Venetos moræ incusat, sed tandem Capellii adventu recreatus, viribusque auctus, hostium conatus infringit, & urbem retinet in obsequio. Post hæc conversis Mutinam signis eo oppido, Rhegioque Lepidi Alphonsum spoliat, Gallis non una arce exturbatis. Cæterùm præclarissimè enituit Capellii virtus in Mirandulæ expugnatione,

ne, quam ipse Pontifex sua præsentia, atque constantia illustravit. Ob captam munitissimam arcem nostri, ac Pontificii milites concepto belli ardore se majoribus victoriis accingunt, & rursus in Ferrarienses ruunt, cunctaque luctuosis direptionibus complent, non tam è continenti, quàm à flumine, reversa in Padum classe, quam denique multa divitem præda Maurus ad fluvii ostia Volane, & Primarium revexit, cùm frustra hostes in perforatis Padi aggeribus tormenta iterùm disposuissent, recenti memoria decepti aliàs ea fraude ductoris Veneti. Sub id tempus Andreas Gritus hostiles munitiones circa Lemniacam arcem invadit. Hæc in vicina provincia. Cùm ea inter in Aemilia Bentivoli Bononiam occupassent, nuncius Patres admonuit, copias intra oppidorum propugnacula redigendas esse, ne victor, & superbus hostis, qui ubique ferebatur cum impetu, illas in campestribus morantes, parumque munitis in stationibus lacesseret.

Bellum in Foro-julio, & Histria.
MDX.

BEllum adversus Ferrariensium Ducem obstinatione, & odiis adhuc invalescebat, cùm Veneta arma alibi etiam contra fœderatos distringerentur. Joannes Delphinus Feltriæ Præfectus, contracta indigenarum manu, Cæsarianos aliquot pagos prædis mulctavit, factisque per Tesinos agros populationibus, vix rapinis suffecere diripientium manus: ita ex æquo vindicavit quæ damna priùs Germani illi populo intulerant; congressusque cum spolia reposcentibus, omnes in fugam versos, ac intra specum, cui Covoli nomen est, actos compulit in deditionem. Postea ab Alpibus in Forum-julium terror hostium illatus, nulloq; resistente, totam ferme eam provinciam ingruentibus patefecit. Utini Præses Aloysius Gradonicus ad famam vicini hostis

hostis præsidium sibi in fuga comparat, deserto oppido. Eo potiti Cæsariani Foro-juliensem Patriam circumeundo rapinis & incendiis cætera castra, hominibus præ timore vacua usq; ad Liventiam amnem facilè consequuntur. Verùm neque ullum extitit fugæ solatium indigenis. Nam qui in propinquas Tarvisinorum collium silvas profugerant, ab Gallis ex altera parte, de industria eos quæritantibus, aut cæsi, aut in captivitatem abducti sunt. Subinde Patres ad nuncium subacti Sacilii Carnici auxere milite Gradiscarum præsidium: at ubi semel pavor timidorum animos invadit, irrita cedit omnis diligentia. Vix hostes ejus oppidi mœnibus insultarunt, cùm illicò in eorum deditionem venit. Osopium, castrum in monte situm, diu frustrà, & blanditiis, & minis tentatum, unicum in Foro-julio mansit Reip. Illi præerat Hieronymus Savorgnanus, fide erga Venetos singulari, & propterea à Senatu in patriciorum numerum relatus. Per eadem tempora in Histriam quoque impetus armorum factus. Christophorus Frangipanius Mugiam, propè mare municipium, aggressus, sub primis velitationibus saucius rejicitur; demùm reuersus robustior obsidione ipsis portis inhærens, muro machinis diruto irrupturis facilem aditum patefecerat: sed opportunè adveniens Justinopoli Andreas Civranus obsessorum recreavit animos, imperataque eruptione vertit in turpissimam fugam obsidentes. Indurato tamen animo Frangipanius tertiò adfuit, verùm eundem propugnatorem Civranum iterùm in se concitavit acriùs vehementiusque, ita ut acceptis vulneribus, projectisque insignibus cum ignominia bello excesserit. Sub hæc Joannes Victurius Goritianas turmas ab Cremonse maximo animi robore dispulit. At dissimili sorte circa Gradiscas Gradonicus pugnavit. Defensores enim alacriter se tuentes exprobrabant, tunc propugnari oppidum non à meticulosis, quales essent Veneti: pessimum urbium, atque arcium custodem, timorem esse.

Varia

Varia hinc inde hostium expeditiones.
MDX.

POst receptam à Bentivolis Bononiam, cùm Julius Pontifex ex Aemilia Romam trepidè concessisset, planum erat solos Venetos victori hosti relictos in prædam. Veronæ præsidiarii tam crebrò ex urbe erumpebant, ut auderent etiam nostra castra in Leonicenis agris adoriri. Coactus Gritus ad Ateste metari, Veronensis agri oppida, & proxima quæque castra, veluti contagio quodam correpta in hostium manus corruisse, summo animi mœrore audiit. In vicina quoque provincia omnia erant adeò plena hostico tumultu, ut in ea trepidatione integram de fugientibus victoriam reportasset, nisi objecta præda insequentes morata fuisset. Patavium, Tarvisiumque tumultuario milite, annona, omnibusque ad bellum necessariis confestim munita; atque jussum, ut alteri urbium ipse Gritus, alteri Joannes Paulus Gradonicus cum imperio præsiderent: delecti etiam patricii plures, qui ad illarum tutelam excubarent. Hostes intereà ducti à Palicia Gallo, viro audacissimo Vicentiam cum primis obtinuere; posteà direpta civitate in proxima loca dispersi cuncta lacrymabili vastatione ita fœdarunt, ut nihil reliquum crudelitati fecerint: in captivos barbarè sævitum: domus, templa, aræ, vicique passim rapinis, furore, incendio afflicti: triste mortalibus spectaculum exhibebat Vicentinus, ac reliquus in confinio ager: & hæc inter gravis cura angebat Senatum, quemnam potissimùm imperatorem suis copiis deligeret. Tandem cunctis suffragiis in Joannem Paulum Baleonium sententia Patrum inclinavit, virum armis præstantem, & quod est in bello magni ponderis, summè militibus carum: Hæc domi, forisque: cùm inde arrepta occasione Atestini Venetos fines circa Padum iterùm turbant. Igitur expe-

dita classis à Clodiæ portu ad Vatreni ostium navigat, hosticasque biremes profligat, ac ingentem reportat prædam: clara quoque victoria potitur Federicus Contarenus, & opimis locupletatur manubiis: cùm enim neque dux militi, neque miles duci deesset, quingentos equites delevit, eripuitque victis spolia, quæ pro primitiis Paliciæ afferebantur: in alteram quoque expeditionem profectus Castrum-francum Gallis eripuit intromisso milite per ardentes unius portæ ruinas. Eodem tempore Germani prædatum ultrà Plavim ierant, conquerente Gallo, qui à sociis tranato amne, ac in patriam quodammodo tendentibus, deseri suspicabatur. Quare collectis in unum copiis, Patavium inter Tarvisiumque metatus, utramque urbem quadam veluti obsidione tenebat, & dubio procul unam, vel alteram expugnasset, nisi sæpiùs à nostris exturbatus, interceptaque fuissent ad belli usum necessaria. In primis, qui erant Patavii Legati Veneti cùm ab exploratoribus renunciaretur, magnas equitum cohortes è Suavio Veronensis agri castro in Tarvisinum profectas, extemplò virum acrem deligunt Guidonem Rangonium, ut eas in itinere ex insidiis dissiparet. Audax ille, nocturnum ingressus iter, Suavium, quò loci morabantur, prima luce scalis, & irruptione adoritur, ac interfectis vigiliis irruit in incautos, eosque cum ipso municipio feliciter cœpit. Profligati auxilii nuncius reliquos Gallos trans Liquentiam fluvium adegit: verùm liberè secùs ripas ad maritimum usque littus divagati omnia rapinis infestarunt. Ille tamen tractus à populationibus vindicatus esset, si destinata in latrocinantes navigia celeriter applicuissent: postremò conjuncti Germanis in Tarvisinas stationes rediere, nec multò pòst Vicentiam, desperantes Tarvisii expugnationem. Itaq; illis abeuntibus cuncta penè in Carnis oppida, & in Ferratiensibus Rhodigiũ, Venetorum justitiam benignitatemq; olim experta, iterùm eorum publicam administrationẽ recepere.

Bri-

Brixia recepta, mox amissa.

MDXI.

IUlius intereà Romanus Pontifex nihil non meditatus, ut Italia Gallos ejiceret, Ferdinandum Hispaniæ Regem, & præcipuè Maximilianum Cæsarem Venetis reconciliare, ictisque fœderibus contra Gallos conjungere plurimùm nixus est. At non omnia impetravit ab Senatu, Cæsare cum primis Patavium reposcente: cum Hispano igitur amicitia inita est, renovatumque fœdus cum Helvetiis, quibus in Italiam venturis Augustinus Maurocenus publico nomine commeatus, bellica tormenta, ac quingentos equites promiserat. Hæc nova fœdera Pontificis auctoritate, & odiis potissimùm confirmata, ut ad aures Ludovici Regis pervenere, omnem penè Galliam uno quasi impulsu in conjuratos excitarunt. Tum Gasto Foxius, Nemorosi Dux, militiæ monstrum, cùm priùs imperare exercitibus, quàm tractare arma novisset, in Italiam innumeris comitatus legionibus advenit. Hoc duce in Bononiensibus primùm Gallica procella deferbuit, tanto impetu omnia quatiens, ut momento temporis, servata Bentivolis urbe, Pontificios, Hispanos, Venetosque eam tum osidentes milites ad unum turbarit. Hæc in Aemilia: verùm in Transpadana regione Aloysius Avogadrus Brixiam ab externo servitio liberaturus, illius occupandæ Venetis ducibus affert occasionem; modò clàm Venetæ copiæ accederent. Andreas Gritus factæ spei monitus intempesta nocte cum suis affuit, frustrà tamen, detecto Avogadri facinore. Cæterùm vir in patriam pius oppido furtim egressus, maximam sua auctoritate contraxit agrestium manum, vertitque in hostes, ita ut iterùm Grito commodum faceret potiundæ urbis, sponderentque fortunatum exitum civium animi erga Remp. Itaq; secundò movens, & quidem

nocturna expeditione, Brixiam tutò accedit, portas ferreis machinis convellit, præeunteque Avogadro urbi se immittit. Inopinatus hic ingressus valdè hostes exterruit, & cum tumultu in montis arcem fugavit, quam evertere Gritus non potuit, quia majora tormenta, quibus tum opus, secum non attulerat. Bergomates ad eam famam, recepto in Prætorem Antonio Justiniano, Gallica præsidia expellunt. Sed quia ingentis felicitatis semper insignis aliqua calamitas ferè comes est; Foxius, percepta Brixiæ defectione, violento fulmine rapidior è Bononiensi per Mantuanum agrum tanta celeritate se proripuit, ut suæ profectionis nuncium anteiret. Nec defuit properanti amica fors, cùm Veronenses ingressus fines Baleonium Veneti exercitus imperatorem, ad Villam-francam cum universis fermè copiis sedentem, improvisa pugna debellasset. Hoc obsequentis fortunæ auspicio, Brixiam accessit, & à suis in montanam arcem receptus est. Porrò Gritus, etsi sæpiùs ad expugnandam arcem petitas machinas nùnquam ab Senatu acceperat, urbis tamen defensioni probè intentus, ne qui secum erant pedibus, sed virtute auxilia quęrerent, oppidi portas occludi jubet, & ad excipiendum hostem jamjam erupturum disponit militem. Dum parat hæc Venetus, Dux Gallicus altero sui adventus die, excussæ sagittæ instar, in subjectos ruit; quippe illum præter virtutem, fortunamque adjuvabat copiarum numerus, locusque superior: igneæ faces, pilæ, hastæ, bellicaque omnia non tamquam ex æquo missa vana cadebant, sed suis librata ponderibus certo ictu infigebantur. diu Veneti sustinuere Gallorum impetus, & præclara invicti animi argumenta, adversante licèt fato, dedere. Non enim, nisi omnibus interfectis, aut captis, Galli urbe denuò potiti sunt. Gritus vivus ab hoste retentus in Galliam ducitur, Avogadro medio in foro caput abscinditur: cruentissima edita est oppidanorum strages: direptæ tum profanæ, tum sacræ domus, nulli sexui indultum,

& ita

& ita ubique sævitum inhumaniter, ut nobilissima ea urbs horridi veluti deserti faciem præ se tulerit. Gasto tanto elatus facinore, qua venerat pernicitate in Aemiliam reversus est, ibi suo interitu Brixiensium manibus parentaturus. Nam immoderatæ virtutis juvenis post expugnatam Ravennam dum concitato equo in fugitivos hostes rapitur, ut integram sibi victoriam assereret, à gregario milite cæsus occubuit.

Gallorum fuga ex Italia. MDXII.

NUlla unquam major calamitas, metusque perturbavit Senatum, quàm præreptæ sibi Brixiæ casus, cæsiq; exercitus strages: insuper augebat publica damna indigna Pontificis obtestatio, qua se Remp. deserturum minabatur, nisi illa cum Maximiliano, jam dictis conditionibus, conveniret. Attamen ea fuit prudentia Patrum, quæ præsentes minas contineret pollicitationibus, nihilque magis curaret, quàm ut iterùm Brixiam sui juris faceret. Cæterùm hanc parantibus expeditionem repugnat Pontifex, Alphonsum Atestinum rursus bello petiturus. Obtemperandum fuit, ne hominem bello magis, quàm paci natum, ab se periculosissimo tempore distraherent. ingens telum necessitas. Quare decretæ naves in Padum, quæ multùm Pontificiis conatibus profuere. Verùm moras trahente bello, & tota circa Brixiam pendente Rep. Alphonsus Rhodigium suæ dominationi restituit, & Pontificios milites, nostramque classem deturbat. Hinc itaque arbitratus Julius nihil se profecturum, nisi Venetis conjuncto Cæsare, fœdus, pacemque inter utrosque stabilire nititur, hisce legibus, ut Verona, & Vicentia Maximiliano cederent; Patavium, Tarvisiumque Veneti possiderent, auri summa persoluta: de Carnicis verò oppidis ipse arbitraretur, quibus

potis-

potissimùm illa adjudicanda. Respuit Senatus, uti incongruas, eas conditiones. Et quis non admirabitur insignem in tot adversis fiduciam, & singularem animum, ac spiritum Veneti Senatus? Porrò, ut aliquid obtinuisse Julius videretur, inducias cum Maximiliano in proximos decem menses pepigerunt. His ita compositis, Cardinalis Sedunensis opera Helvetii suis ab sedibus denuò evocati, per Tridentinos saltus in Cisalpinam Galliam decurrunt: hi Venetis copiis associati in Gallos, nostram provinciam occupantes, magnis animis, majoribusque odijs feruntur. Exercitum Reip. deduxit, promovitque Baleonius, atq; simul cum extera militia hostes adortus, illorum memorandam stragem edidit, ultus ad satietatem, quam cladem ille pridem juxta Villam-francam acceperat. Qui ab Athesi, Olco, Abduaque fluminibus cædi superfuere, Ticinum ingressi sunt, & à persequentibus nostris eo in oppido obsidentur. Quare Palicia non ausus obluctari, cùm à fœderatis, trajecto amne, urbem corona cingi, sibique intercludi aditum animadverteret, in rem nato consilio usus, fiduciariis suorum posthabitis auxiliis, cum superstite funesti exercitus turba clàm raptimque sese in Galliam proripuit. Cæsis in hunc modum, dilapsisque Gallis, Julius Pontifex Helvetios Romanæ Sedis propugnatores appellat, sibique soli, communem aliàs cum Venetis, liberatæ Italiæ titulum adscribit.

Brixia Hispanis prodita.
MDXII.

SOluti Gallico metu Veneti, quamvis adhuc hostilibus ejus gentis præsidiis captæ urbes tenerentur, alacriùs ad expugnandam Brixiam parantur. Itaque contractis undique copiis, ut primùm se ostendunt urbi, & majoribus machinis rem agunt, passim concidunt muri, ruinis implen-

plentur fossæ, & irrupturis non uno loco aperitur aditus. Sed nihilo segnior erat oppidi propugnatio. Nam vibratæ faces, emissæque telorum veluti nubes, tota penè castra horrore, & incendiis complebant: nunquam tamen summoti Veneti, imò audaciores inflictis vulneribus reddebantur. Spem interim Brixiæ citiùs obtinendæ non tam circumjacentium municipiorum voluntaria deditio (unde illa arctiùs obsidebatur) quàm Baleonio dabat Bergomensis arcis occupatio, receptaque Crema: unde præclara habebat exempla, quæ sequeretur. Cęterùm cùm proximè capienda esset jam armis & fame lassata, venere in nostras stationes Hispanarum copiarum ductores Prosper Columna, & Raimundus Cardonius, ut data ope maturarent oppugnationem. At Cardonius, vir subdolus rem Venetam se curaturum dum profitetur, tacitis nunciis Gallorum ducem Obignium, se dedere meditantem admonet, ut Brixiam Hispanis tradat, & cum suis, factaque præda innoxius inde abeat. Gallus non tam compulsus necessitate, quàm opportunitate usus ferendæ inter fœderatos discordiæ, Hispanos, palàm exclusis Venetis, in urbem arcemque admisit. Cardonius in eo fuit datæ fidei custos, concessæ nempe potestatis, ut rapinas, quas ingentes capto antea oppido Galli fecerant, domum revertentes liberè asportarent: quod residuum erat, Hispani totum abstulerunt. Cùm igitur Raimundus Cardonius Brixiam, uti suo Regi acquisitam, indignè ac pertinaciter retineret, pro hoste est habitus, & ab Hispana societate jure recessum.

Fœdus Venetorum cum Gallis. MDXII.

EDocti experientia Veneti Hispanos, sub honestis fœderum nominibus, hostilem, & alienæ rei appetentissimum tegere animum, suæque tantùm consulere utili-

tati,

tati, confestim insidorum hominum amicitiæ, ac societati renuntiarunt. Sed non tam intercepta Cardoni fraudibus Brixia commovit Senatum hoc tempore, quàm Pontificis, nulla honestate sua consilia metientis, recens odium. Venetis indignatus, quia pacem ab se cum Maximiliano pronuntiatam adhuc respuerent, iterùm vehementioribus irarum motibus æstuans adversus Remp. concitat præter Germaniam, Hispaniamque, ipsam toto orbe divisam Britanniam. Cæterùm opportuna mors eripuit meditantem turbulentissimis bellorum procellis totam concutere Europam. Italia tamen nondum sua scelera, multo etiam sanguine effuso, luerat. Denuò enim quassatur, vastaturque conversa ad Gallos Republica, & proclivi in concepta fœdera Leonis Decimi ingenio, qui Julii, non tam successor in Pontificatu, quàm odii in Venetos heres extitit. Hæc inter, ut quod suum erat ab injustis possessoribus vi extorqueret Senatus, per Andream Gritum, qui cum Bartholomæo Liviano in Gallia captivus detinebatur, cum Rege de pace agit, initque amicitias, opportunam nactus occasionem, cùm subinde Rex consilia agitaret, quonam pacto Mediolanensem Principatum reciperet, Helvetiorum auxiliis Maximiliano, Ludovici Sfortiæ filio restitutum: Gritus magna dexteritate omnia perfecit, pacisque, & fęderum sanctionibus Veneto Regem conciliavit, easque gerendi belli conditiones statuit, ut primùm Gallo in Mediolanensi expeditione auxiliaretur Resp: Ipsa deinde, adjuvante Rege, obsessas ab hostibus urbes haberet: prætereà captivi omnes libertati restituerentur. His ita constitutis, Rex suis exercitibus Tremolium, Trivultiumque clarissimos duces præfecit. Veneti è captivitate revertenti Liviano novas copias cum nova belli mole & imperio tradidere, electo Grito, ut legati officio in Gallicis castris fungeretur. Ille, ut sui muneris accepit insignia, lustravitque exercitum, summa felicitate Veronensium castra pertentavit, majo-

raque

raque moliturus, per medias paludes, & Tartari amnis loca invia Cremonam adortus est, eamque dedentibus se civibus, Venetæ addixit majestati. Sub hæc circumstantes Novariam Galli, congressi cum hoste læti principii tristem exitum sortiuntur. sub primis enim impressionibus, veluti prospero belli præludio, erumpentes fundunt Helvetios: tandem redintegrato conflictu, ut sunt incertæ bellorum vices, vincuntur, qui vicerant, cæduntur que ab effuso undique hoste, fuganturque insigni castrorum direptione. Novariensi huic pugnæ Gritus spectator fuit. Porrò clades, quæ initio certaminis solet sociorum animos distrahere, minimè inconstantem Venetum reperit, illamque Livianus celare, quoad potuit, summè contendit: verùm tandem certis auctoribus quotidie magis evulgata, ipse Cremona excessit, stipatisque agminibus Brixiam prætergressus, territavit non parum hostica præsidia: mox Veronam prolatis tormentis veluti obsessurus, conabatur hunc in modum dissipatos Gallicæ stragis rumores comprimere, aut certè ostentare hosti, neutiquam ob inflictum vulnus animum, viresque abjecisse. Eadem Liviani consilia secutus Baleonius, ipso transitu, Lemniaco depulit audacter Hispanos. Strenui nempe ducis est, ut suos confirmet se nullo teneri metu illis ipsis persuadere.

Venetorum clades ad Creatium.

MDXIII.

PRofligatis ad Novariam Gallis, Hispani cum reliquis in Rempublicam fœderatis hostibus, Venetam ingressi provinciam in omne scelus per militarem insolentiam feruntur. Livianus victoribus occurrere prudenti consilio non ausus, relicta Vicentia, alteram exercitus partem Patavium, alteram Tarvisium cum Baleonio reduxit. Vix hæc disposita; cùm Raimundus Cardonius, & Prosper

Columna rejecti ab Cremensi oppugnatione, Laurentii Ceritis virtute, post latè circùm direptos agros, haud procul Patavio castrametantur: at nihil, productis etiam machinis, proficiunt in urbis incommodum: emissæ subinde à Liviano expeditæ equitum alæ, delectæque militum turmæ, omnia hostilia debilitabant, infestabant populatores, & in ipsas munitiones quotidiana exercitatione irrumpebant. Ita hostibus propiùs neque accedere permissum, neque complere aggerem, per quem tutò irent sub mœnibus, subrutisque cuniculo, intrarent oppidum: præterquam quòd certo semper eorum damno majora tormenta graviter offenderent. Igitur tentato nequicquam Patavio, desperatoque in agrum Venetorum descensu, in proxima quæque oppida villasque rapacitatis ac furoris impetum effuderunt. Quippe tanquam impii belli sacramento obstricti obvia quæque flammis absumebant, ac prophanis divina miscentes cuncta populabantur promiscuè; miseros quoque mortales ad lanienam conquisitos trucidabant, cædibus addentes ludibria, & diris ubique vastationibus, ac barbara prorsus immanitate grassabantur. Meduaco tranato in suburbano nostro littore Venetæ nobilitatis, regio sumptu ædificata palatia, plenas deliciarum ædes, igne, & ferro, solo æquarunt. Tota quaquaversùs regio ardentibus ruinis operiebatur, spectabanturque incendia ex urbe ab ipsis Patribus; nec majori unquàm rabie ante debacchatum, sævitumque legimus, quia potissimùm Hispani vicere Hunnorum furorem: sed neque teterrimos hostes, quos jam præda certè expleverat, satiavit adhuc feritas animi; cùm enim ad Margherium maritimum oppidum pervenissent, eo fine contenti, ipsa interveniente natura, prospectantes brevissimo maris interjectu Venetam urbem, contorserunt in aquas tela, & in contumeliam invisæ gentis plures tormentorum pilas exonerarunt. Non tulit ulteriùs tantam ignominiam infracti animi Senatus, quominùs

nùs

nùs è vestigio imperaret Liviano,non secùs æstuanti in vindictam, ut nulla mora moveret in hostes, unàque cum Baleonio acceptas injurias ulcisceretur. Nullus gratior nuncius Veneto Duci pugnandi cupido, & cùm primùm Patavio in ulteriore Meduaci ripa locata sunt castra, hostili vastitati modus imponitur. Ille, qua in metando usus fuerat celeritate,Hispanum præcipuè turbavit,cui fluminis transitu jam intercluso ut quavis ratione connitentem repelleret properè advolavit Livianus, præoccupatis etiam proximorum collium angustiis, & communito Ulmo,Vicentini agri pago,quà hostes necessariò erant transituri,si amnem superassent; nulla enim commodior via relicta videbatur, quæ illos Veronam deduceret. Interim haud longè à Venetis castris considere coacti sunt, & totam proximam noctem agere in tenebris, ne destinatis tormentorum ictibus peterentur. Summo manè protecti densissima caligine retrocedunt Bassianum, ut declinata cum fervido duce pugna per Tridentinos saltus, etsi longiori via, tuti Veronam intrarent. Nebula erat adhuc ad multum diei densa adeò, ut propinquo etiam congredientium inter se conspectui visum eriperet. Edoctus Livianus eo fortunæ munere tectos hostes abiisse, hos cunctationis impatiens, neglecto acierum ordine persequi voluit, tanta victoriæ fiducia, quasi pavidum gregem insectaretur. Ventum est igitur ad Creatium, quo loco ille quadrato incedentes agmine adoritur hostes, qui eo alacriùs suscepere oblatum bellum,quò tumultuosiùs nostri ferebantur. Inito congressu, Bernardinus Antiniola, Liviani nepos, postremum agmen cum suo equitatu jussus invadere,prevalente Hispano, momento temporis dissipatur, ac in fugam dissolvitur. Victo avunculo addit animos unàque restaurant certamen, pugnantque ex integro ingenti contentione, parique contumacia. Sed si militares ordines servasset Livianus, aut sibi tum ex opinione anteactæ virtutis in præcipiti festinatione

victoriam non esset ominatus, utique delevisset hostes, nec Veneti eam cladem accepissent, quorum illi tantam multitudinem interfecere, quantam per integrum diei spatium licuit; cùm non nisi ingruentibus tenebris fusorum, ac palantium cædibus temperatum sit: sic itaque infelici nostrorum clade nobilitatum Creatium. Execratus numina Reip. ac Italico nomini nimiùm infensa Patavium se recepit: Gritus hærentem tergo hostem declinavit, funibus intra Vicentinos muros receptus: capitur Baleonius; & Andreas Lauretanus, legatorum unus ab altercantibus de præda obtruncatur. Hoc vulnus rei Venetæ illatum omnes Livianæ temeritati adscripsere. At ludente in humanis fortuna ea plerumque exequi cogimur, quæ infausta sunt, ac periculorum plena.

Crema obsidione liberata.

MDXIV.

CReatiana clades, qua nulla unquam Venetis contigit, vel exitu fœdior, vel hostium incommodo levior, Sfortiam, Mediolani Ducem in lassos fractosque alacriter impulit. Vocato itaque in subsidium & opem Prospero Columna Cremam Venetis auferre nixus est. Verùm ea urbs non tam arte munita, quàm incomparabili Laurentii Ceritis vigilantia, & fortitudine defensa, universos obsidentium insultus elusit, quibus ille, crebrò per intempestam illunemque noctem erumpens, non modicas intulit clades; quodque fuit illustrius, præteriens ipsa hostilia castra, Bergomum usque progressus est, & oppidum, jam Hispanorum spolium, invasit, & Regii quæstoris ædes populatus, reversus Cremam, prædam militibus distribuit. Columna tanti viri virtute fractus, soluta obsidione recessit inglorius.

Ma-

Marianum proditione amissum.
MDXIV.

PActis inter Maximilianum Cæsarem, & Senatum Venetum induciis, ut interim de componenda inter utrosque pace Romæ ageretur, malè rebus nostris consultum est, proditione occupantibus Germanis Marianum oppidum intra Aquilejenses paludes. Præerat illi Alexander Marcellus, cujus intimus quidam familiaris, impetratis unius portæ clavibus, ut de more sub prima luce venatum iret, Christophorum Frangipanium, non procul ex composito in insidiis abditum, intra mœnia facili astu admisit, deditque in captivitatem Marcellum. Proditi castri nuncius Patrum auget mœstitiam, quia loci natura nimiùm opportuna erat alendo bello prope Urbem. Maturè itaque decretum, ut quàm maximæ terra marique copiæ contraherentur: classi Franciscus Mustius, pedestri exercitui Balthasar Scipionius, & Hieronymus Savorgnanus præpositi. Intereà Frangipanius robusto milite castrum muniverat; unde posteà tum maritimas, tum terrestres nostrorum vires infregit. Mariani quippe oppugnatio paludibus undecumque septi haud facilis cedebat; quamvis enim classiarii non semel, quacumque spreta difficultate, audacter in muros scalis evasissent, non ita commodè pedites auxilio in tempore esse poterant, & aliquando, his ob viarum angustias præpeditis, navales manus rejectæ sunt, fugatæque cum cæde, & unius triremis jactura. A pugna rediit vulneratus Scipionius, ac inde tanta in militibus orta confusio, ut obsidionem de repentè solvere tutiùs à ducibus consultum sit. Ultio interim de capto proditore habita, populari rabie in frusta dissecto, omnium animos paulùm à tristitia revocavit.

Bel-

Bellum alterum in Foro-Iulio.
MDXIV.

REjectis pacis conditionibus, adhuc dura exigente Maximiliano, qui saltem Vicentiam Reip. adimere conabatur, Pontifice atque Hispano auctoribus, omnis nostrorum cura ab oppidorum munitionibus pendebat, cùm tot adversis rebus minimè frangi didicissent. Patavium in primis, Tarvisiumque conscripto etiam Venetiis milite confirmant: jamque Livianus satis amplas bellatorum manus in speciem justi exercitus coëgerat. Hæc inter Cardonius cum reliquis hostium ducibus in Patavinis consistit, Ateste diripit, urit circùm agros, liberaque vagatus populatione, Rhodigium capit. misso deinde exercitus non infirmo robore in Forum-julium, omnia illius regionis oppida terrore percussa recipit, præter Osopium, quod unicum & hoc tempore Veneto paruit obsequio, Savorgnanorum fide, & constantia. In eam provinciam repressurus Hispani ductoris insultus adproperat Livianus, & extemplò ad Pordenoni oppugnationem dirigit acies. Ex arce, qui erant præsidio, quotidie pabulatum exibant, atque per occasionem cum nostris crebra inibant certamina: sed Livianus, ut eos in integram dimicationem pertraheret, cataphractam Malatestæ Baleonii cohortem propiùs jubet excurrere, eamque si hostis adoriretur, veluti meticulosam effugere ad insidiarum loca. Germani, viribus & numero inferiores nostros universè pene eductis copiis invadunt, illi callidè cedentes incautos in insidias adducunt, ubi subsidiaria manu adjuti, frontes obvertunt, ruentes excipiunt, opprimunt, fugantque capto eorum duce Rizanio. Palantes reliquias insectatus Livianus oppido victorem exercitum applicuit, & cùm nulla deditionis signa acciperet, integra unius noctis expugnatione obstinatos fregit, redegit-

que

què in arbitrium, concessa militibus præda. His actis, Tilavemptum superat, ut Osopienses à Frangipanio durè vexatos liberaret. Hostis metum adventantis sensit: referre itaque signa placuit, ne in incertæ pugnæ discrimina suum committeret agmen, jam victum fama Liviani. Verùm cùm segniùs hæc Frangipanius exequeretur, tergo hærentem Venetum experitur. quare in turpissimam fugam se dat, relictis etiam impedimentis, quò expeditiùs evaderet. Cæterùm insequente Provinciæ Legato Joanne Victurio nihil ei profuit effugium, atque municipia, quæ metu, aut vi Cæsari anteà obtemperaverant, nunc denuò in Venetam transeunt potestatem. Sub hæc Victurius, inexplorata ingressus itinera, hostium fit præda, parùm sua sorte lætatus, cùm paulò pridem circa Glemonæ saltus, virum summè infensum Veneto nomini intercepisset, Christophorum Frangipanium. At Livianus oppugnandis arcibus intentus, Goritiam, & Gradiscas, omnium munitissimas, aggreditur. Sed, ut inde Venetum ducem averterent Hispani, unà cum Cæsarianorum copiarum parte ad rapinas, vastationesque in Patavinum agrum rediere.

Rhodigium Hispanis ereptum.
MDXIV.

CUm de incursionibus hostium quererentur Patavini, Livianus prætermissis in Foro-julio expeditionibus, oppressis laturus auxilia, festinanter advolat, & ad pagum, cui Brentellarum nomen, tutissimam sibi stationem erigit, monitus ab aperto bello, memoria præteritarum cladium, abstinere. Quotidie tamen hinc inde excursitabatur, ac impigrè se gerente Mercurio Bua, plures hostium cunei dissipati, Ateste nocturna aggressione captum, tentatumq; Montanianum, Cardonii ibidem sedentis, atque præ timere pugnam detrectantis objurgata socordia. Posteà Venetus

tùs imperator, Athesi trajecto, in Padanam insulam clàm transit, nihil æquè animo volvens, quàm ut illatas sibi ab hostibus injurias ulcisceretur, præcipuè offensus Antiniolæ nepotis captivitate, direptoque municipio, quod Cittadellam vocant incolæ: quippe sciebat res humanas, sicuti perpetuæ nunquam felicitati, ita nec adversis semper infortuniis patere. Hæc cogitantem non deseruit fortuna: profecturus itaque in Rhodigii expeditionem, milites sui consilii ignaros esse voluit, indicto in Vicentinos itinere. ea propter per tenebras movit castra, indigenas, & obvios quosq; cœpit, non tam ut hostes celaret adventum suum, quàm ut, quid de ipsis foret, exploraret. tandem impetavit, Malatestam Baleonium cautè obequitare Rhodigium, admonuitque ut nusquam præter necessitatem, se belli fortunæ committeret. Hic Hispanos, qui in aliam partem conversa audierant Veneta signa, metu vacuos, solutis neglectisque excubiis torpentes, apertasque ob nundinas oppidi portas offendit: tantam nactus opportunitatem celeri, ac peracri impetu perrumpit, nulloque resistente penetrat in medium forum: è vestigio itaque turbat ibi omnia, imparatos prosternit, ac demum superveniente Liviano, hostes omnino cedere, ac sese dedere cogit, armis turpiter projectis: ipse verò præsidii dux Garçias Mericus Venetis carceribus mancipatur. Recuperato Rhodigio, facilè cætera illius Peninsulæ castra Reip. restituuntur: pari ferme astu, ac sollicitudine per eos dies eripitur iterùm hosti Lemniacum.

Crema rursus servata. Bergomum recuperatum, repente deperditum.

MDXIV.

QUantæ molis sit in bello Ducum solertia, ac struendis hosti insidiis ingenium, Laurentii Ceritis facinus in primis docuit, qui rursus à Sfortia, eodem Columna duce, Cre-

Cremæ inclusus, iterùm quoque magna sui nominis fama urbem liberavit. Cùm enim hostium molestias ampliùs ferre non posset, audaci consilio eos summè afflixit. Pyrio namque pulvere, qui ad tempus ignem conciperet, ligneis tubis, ollisque testaceis disposito, perrexit tacitus in hostilia castra, in eaque prospero eventu paratos dolos contorsit. cùm igitur concepta flamma statim tentoria corripuisset, & vagum passim, furensq; incendium concitasset, volantibus undiq; flammarum globis, nemo loco consistere audebat, & quisq; in fœdam subitò trepidationem, fugamq; rapiebatur. Cerites hostes probè confusos, consternatosque aperto marte aggressurus internecione profligavit, castris exuit, & multa dives præda in oppidum rediit. Exinde majora animo concipiens, & Bergomum concubia nocte progressus, receptusque à civibus, nimia Hispanorum superbia & avaritia oppressis, præsidium inexpectata irruptione profligavit. Hæc fama excivit è vicinis munitionibus Cardonium, & Columnam: propterea Cerites urbem, quò validior esset adversus totam ingruentium Hispanorum vim, novis machinis, muris, aggeribusque obfirmare omni ingenio studuit. Verùm cùm illi rem bellicam, & oppugnationem sedulò tractarent, & per diruta tormentis mœnia non uno loco pateret oppidum, Cerites cùm sibi, ac suis liberum in Cremenses transitum, civibus pariter rerum, & corporum incolumitatem impetrasset, Bergomum Hispanis ducibus reliquit; qui promissorũ immemores, causatiq; militum indignationem, ob interdictam prædam, Bergomates pecunia mulctant: inde in Livianũ vertunt agmina, qui horum advẽtum præsagiens, novo, & à nullo anteà tentato itinere è Lẽniaco per limosas difficilesq; paludes exercitum ad Caput-aggeris; mox Patavium, deluso hoste traduxit, qui Venetum ducem si in veterem Brentellarum stationem rediisset, aut fluminibus inclusum opprimere, aut omnino apparatu bellico se certò spoliaturum arbitrabatur.

Helvetij victi ad Marignanum.
MDXV.

Vita functo Ludovico XII Gallorum Regi successit Franciscus Valesius, hoc nomine primus, qui ut primùm Regni imperium suscepisset, extemplò suas & ipse vires, conatusq; omnes in Insubricam expeditionem convertit, renovato cum Venetis fœdere. Quamobrem Maximilianus Sfortia perpendens, quanta sibi calamitas impenderet, imploratis Maximiliani Cæsaris, & Leonis Decimi auxiliis, Helvetiorum penè innumerabiles manus accedentibus Gallis opponit. Sub hæc Raimundus Cardonius, & Columna Pontificio exercitui modò datus imperator, ut aliquo belli terrore nostros ab Gallis sejungerent, uno eodemque tempore Vicentiam, & Patavium simulata oppugnatione perterrefaciunt. Porrò in Vicentiæ propugnationem è præsidio venerat Cerites, Patavium Livianus. Omnibus autem militum præfectis constans erat consilium, ab oppidis propulsare hostem, non in apertam pugnam descendere, donec accederent Galli, ut denique cônjunctis exercitibus ex æquo ulciscerentur injurias, quas superioribus annis Veneta Resp. fraudata victoriæ parte, potissimumque ab Hispanis decepta acceperat. Cæterùm nihil aggressi sunt hostes in hac provincia, ad obstruendos solùm montium aditus delati, ne Galli descenderent. Sed hi copiis ingentibus instructi, equitatu in primis florentissimo, Palicia, & Humbercutius duces in Italiam per Liguriæ fines venere. Ingressi bello destinatam regionem ad Villam-francam agri Veronensis invadunt Prosperum Columnam, Sfortiæ auxiliarium, victumque deletis, aut interceptis Pontificiis turmis, in Galliam captivum mittunt. Sub id temporis Cerites, in Cisalpinos reversus, Mediolanenses diris vastationibus territaverat,

& Ode-

& Odethus Lautrechius, magnæ existimationis dux, Novariam occuparat. Postremò ducente Rege validiores copias ad Marignanum, quod Mediolanum, ac Laudem Pompejam interjacet, castra promota sunt: haud procul Regiis stationibus iussus est consistere Livianus cum exercitu, qui ex fœdere constabat X armatorum millibus, atque in id sua vigilantia incumbere, ne cum Helveticis reliquæ fœderatorum hostium legiones jungerentur. His ita dispositis, Mediolanum urgeri cœptum est. nam primaria urbe capta, cætera in deditionem ventura credebantur. Ex eo oppido Helvetii confertis agminibus non minùs, quàm arroganti Novariensis pugnæ recordatione in Gallos procurrunt, qui sedentes adhuc in castris, & inopinatò petiti facilè sub primis congressibus loco dimoventur. sed ubi Rex affuit, suosque sustinuit hortando, pollicendoque omnia prædæ victoribus futura, redintegratum est certamen. Helvetii tamen ea pertinacia, & vincendi spe dimicabant, ut iterùm ab Gallis trepidatum sit: producta nihilominùs usque in alteram diem cruentissima dimicatio, ad quam postremò vocato in defessorum subsidia Liviano, Rex maximum suis rebus, & summæ demum victoriæ momentum attulit. Venetus imperator cum levis armaturæ equitibus trecentis è Laudensi agro, in hostiles acies velocissimè supervenit, suos hortatus, ut se, in contrarias phalanges ex transverso irruentem, sequerentur. Quare ea vi, atque impressione Helveticos cuneos adortus est, ut hostes in se Venetas omnes turmas uno eo impetu motas crediderint: ob id cæsi, fugaque dissipati; memorabili atque illustri exemplo, quo superba Natio intellexit, quantum Itali virtute, ac generositate præstarent. Mediolanenses XV Helvetiorum millibus desideratis, ne quid deterius ab irato victore acciperent, veniam & pacem maturata deditione impetrarunt: urbis arcem, dies aliquot oppugnatam, ipsius Sfortiæ ca-

captivitate Rex obtinuit, brevique totam sibi subegit Insubriam: attamen insignis de Helvetiis victoria Liviani virtute parta, suo auctori minùs læta obtigit. Nunquam is bellorum laboribus intermissis, fessus, ætateq; gravis, utpotè sexagenario major, paulò pòst ex febre interiit vir omni bellica laude dignus, & quo nemo meliùs militares leges percalluit; si frequentiùs in ipso expeditionum cursu bona sors illius consiliis, factisque respondisset.

Brixia, Bergomum, Verona à Veneto recepta. MDXVI.

BArtholomæi Liviani manibus non tam exercituum, quàm Patrum lacrimis diu parentatum est. Corpus Venetias delatum, in Protomartyris æde honorificentissimè conditur: & quia nullo unquam tempore de se benemerentibus ingrata fuit Resp. tanti ducis memoriam, erecta ibidem marmorea statua, nostra hac tempestate posteris renovavit. Extincto Liviano nemo alius repertus, qui dignè succederet, quàm Joannes Jacobus Trivultius. Igitur per Senatum ab Rege impetratur, ut ille susceptas expeditiones compleret. Hæc inter Georgii Hemi Legati imperio ductus miles omnia fermè Veronensis agri nobiliora municipia Reip. acquisivit: & ubi Trivultius exercitibus imperare cœpit, circùm Brixiam militares ordines distributi sunt, erectæ munitiones, concussa tormentis mœnia, & pluribus in locis tentata irruptio. cæterùm validos globorum jactus solidæ murorum structuræ, ac præsidiarii militis vigor, aspernabantur, unde cùm nihil vires bellicæ, artesque profuturæ viderentur, ipse Trivultius diutinam obsidionem dehortatur. Porrò mens Regis, in Remp. grati, ea erat, ut illa in pristinam sui status majestatem rediret. Dato itaque supplemento Brixiæ acriùs insistitur, frustrà tamen: & cùm dies aliquot mœnibus demoliendis nequic-

quam

quam concertatum esset,omnium ducum sententia ea fuit, ut impeditis itineribus, interceptisque commeatibus fame & inedia assequi conarentur, quod armis difficile videbatur. Sub hæc suos in obsidentes eduxit Cardonius, & excitata fama accepti ab Germania subsidii eos ab incœptis deterruit. Hinc turpiter mutatis terrore animis Brixiæ terga verterunt; Galli Mediolanum festinarunt, quasi vocati ad opem adversus hostiles acies, quæ dicebantur eam urbem oppugnaturæ:Nostri,qui soli robustissimas copias sustinere non poterant, eosdem sequuti sunt: hunc Gallorum,Venetorumque recessum pro apertissima fuga accipientes Hispani, Mediolanensem agrum urere, vastare,& diripere cœperunt; eoque atrociùs, quòd nihil usquam adversum hasce calamitates provisum fuerat, & quia pronum ad obsequium credebatur Mediolanum. At fœderata nostrorum agmina, in se ipsa reversa, tantarum injuriarum ultricia arma in hostes converterunt,pugnandoq;eo redegerunt Cardonium, nimiùm sibi fisum, ut proxima nocte bello excederet, aliis futurus exemplo, quòd nemo celeriùs opprimitur,quàm qui nihil timet.Repressis Hispanorum insultibus, Gallisq; constantiùs adjuvantibus, Odetho Lautrechio duce, Veneti alteram moliuntur Brixiæ expugnationem, & hanc peragere voluere non quidem machinarum impetu, & irruptionibus, sed impedita annona, interceptisque auxiliis. Obseptæ sunt igitur, obseratæque viæ, ac jugi patientia toleratæ hostium impressiones: tandem ut ad fœda sordidaque ventum est, quæ in cibi usum necessitas vertebat, neque ulla commeatus, aut subsidii spes appareret, de deditione actum, ea lege, ut nisi in posterum diem afferrentur suppetiæ, exiret militari more præsidium, & urbs non Venetis, sed Gallis traderetur, à quibus illam Hispani acceperant. Assensit quibusque conditionibus Andreas Gritus, & innatum ei genti fastum sprevit, modò Brixiam obtineret: fortiores subinde manus imperavit,

vit, quæ attentiùs observarent aditus, & obsessis annonam, subsidiaque intercluderent; hac diligentia maturatur deditionis dies, & omnium primus Lautrechius urbem ingreditur, eamque ab Hispanis receptam subsequenti Grito restituit, tanto civium applausu, & renovati obsequii alacritate, ut inde satis constiterit, firmissimum illud esse imperium, quod populi ultrò amplexantur: pari studio circumjacentia oppida, Bergomumque exturbatis præsidiariis, Venetorum leges & administrationem læta receperunt. Verona clara urbs ad victoriæ, imperiique dignitatem restabat. Hanc Cæsareo nomine defendebat Marcus Antonius Columna, qui ut ejus obsidionem impediret, præmisso equitatu munitum pagum Valegium pro statione sibi occupat, atque in primas Venetorum acies, remorantibus Gallis ob non soluta stipendia, erumpens, Gritum ultra Mincium propellit. sed ubi sociis satisfactum est, & in unum contractæ vires, nostri obversis frontibus loco Cæsarianos deturbarunt, eosque insecuti intra oppidi munimenta rejecerunt; eo tamen facto non ita ducem terruerunt, quin Vicentiam nocturna aggressione prædaretur. sed interim majoribus tormentis ita quatiebatur Verona, ut per amplas murorum ruinas irrumpi intra mœnia posset: at hostes, animante Columna audacter obstabant, neque ullus erat propugnatoribus vacuus locus, summaque celeritate novus pro diruto murus objiciebatur. Ipsa denique fortuna obsessis visa benignior, cùm, sive casu, sive dolo, quicquid sulphurei pulveris in urbis expugnationem à nostris paratum erat, illud totum unico temporis momento concepta flamma conflagrarit. Hinc hostibus data quies, donec ad castra major ejusdem pulveris vis convecta est, instaurataque oppugnatio. Tandem Grito visum est oppidum non esse ampliùs irruptionibus tentandum, neque cum desperatis agendum armis, sed fame, quæ omnem audaciam prosternit. Crovariam itaque ad ripas Athesis arcem expugnandam, ac

Vi-

Vicentinos colles obsidendos: non enim aliunde hostibus importari necessaria. Galli verò ad omnes impetus proni, crebrò sibi per diruta mœnia aditum quærebant: at quia nulla murorum pars sine præsidio, aut vacua machinis, ferè semper maxima subeuntium strages edebatur, neque alia spes apud inclusos, continuante obsidio, quàm propria animorum virtus & constantia, præeunte Columna, ut verè appareret, tanti æstimari exercitum, quanti ducem. Postremò, ut placuit, diuturno huic bello, maximisque ærumnis finis impositus, pace Bruxellis inita inter Franciscum Gallorum Regem, & Maximiliani Cæsaris nepotem Carolum: cum Venetis pactæ sunt induciæ, ut interea sanctiùs de pace firmanda agi posset. Itaque hortante tandem Rege in eas conventiones cum Carolo itum, ut persolutis ducentis aureorum millibus Respublica Veronam haberet. Quoniam verò hæc pactio aliquam Imperatoriæ existimationi maculam irrogare videbatur, Brixiæ exemplo, Verona Gallo, non Veneto, permissa est. Senatus nullas non æquas conditiones duxit, modò optatissima urbe potiretur. Hanc Lautrechius sibi à Cæsarianis traditam Grito cessit. Et hic Cameracensis fœderis in Remp. bellique, quo jam octavum annum Italia miserè deflagrabat, exitus fuit. In eo quis fortunæ, & humanorum eventuum vicissitudines satis miretur! Una Veneti Senatus in turbidis rebus, conuerso in se totius fermè Europæ impetu, constantia, atque prudentia, amissa recepit, pristinumque imperii decus cum dignitate consecuta triumphavit.

FINIS LIBRI TERTII.

JOAN-



IOANNIS BAPTISTÆ
V E R I
CANONICI PATAVINI
RERVM VENETARVM
LIBER QVARTVS.

Bellum Insubricum septimum.
MDXXVII.



Ax, quæ in Italia diu integra sperabatur, sopitis jam tum bellorum incendiis, mutua æmulatione & odio duorum potentissimorum Principum, Caroli Quinti Imperatoris, & Francisci Primi Gallorum Regis, disrupta est. Ille sibi Mediolanensem Principatum, quem Cæsarum appellabat patrimonium, ereptum: hic se Neapolitani Regni hæreditate spoliatum contra fas, acerbissimè querebatur. Hæ causæ bellum concivere toti Christiano orbi luctuosum. nam per ea tempora diffidentium nostrorum Principum ambitu & pervicacia, altiùs erexerat animos Solymannus, Turcarum Imperator,

rator, civilesque Christiani populi discordias in sua commoda vertens, haud cunctanter arma sumpserat: & ea bellorum tempestas Venetam quoque Remp. involvit, lassam adhuc Cameracensi vulnere. Porrò ut in parta tranquillitate Italia tantillùm conquiesceret, Leo Decimus Pontifex cum Gallo primùm, mox cum Veneto Senatu, quem Italicæ libertatis assertorem nuncupabat, fœdus contraxit in Carolum: ne si armatus, ut fama erat, hanc provinciam ingrederetur, confirmatæ pacis fructum ei adimeret. Igitur ex fœdere conjunctis in unum copiis, dum adversus ferocem hostem pugnandum erat, sese aperuere Leonis consilia, Parmæ, ac Placentiæ dominationem affectantis: cùm enim eas urbes suæ familiæ acquirere Gallorum amicitia desperaret, in Cæsarianas partes, ceu quæstuosiores, & in fœdus iis legibus deflexit, ut Cæsar expetita oppida sibi traderet, ipse verò Neapolitanum Regnum occupanti addiceret. Tanta rerum animorumque subversione commota Resp. confestim per suos Oratores admonuit Pontificem, majoribus, quàm anteà, calamitatibus, bellorumq; turbinibus patere Italiam, imò totam subjacere Europam; cùm jam pridem, evulgata Caroli & Francisci discordia, Solymannum ad arma conversum certi afferrent nuncii. Cæterùm, ut primùm in Gallos fœderatorum erupere odia, funestissimis bellorum incendiis Insubria potissimùm miserè jactari cœpit, Veneti sanciti cum Gallo fœderis tenaces, Lautrechio, septem armatorum millibus, parant auxilia. Parma belli prima sedes à confœderatis hostibus destinata est: illam Prosper Columna Pontificii ductor exercitus aggressus, tanta Gallorum, Venetorumque consternatione cœpit, ut omnes simul copiæ veluti unica impressione simul fusæ viderentur. Oppugnatæ, ac domitæ urbis rumor ad sui recuperationem mirum quàm sollicitarit Lautrechium. Is summissis Mediolano copiis Parmam altero defectionis die & obsidione cinxit, & recepit, incredibili apud omnes

admiratione. Post hæc magni nominis dux, Helvetiis obstiturus, ad Oleum amnem victrices copias deduxit. Ea Natio uno, eodemque tempore Cæsarianis Gallicisque stipendiis merebat, & in se invicem ferebat signa. Sed apud venalem gentem fas, ubi merces major. In Brixiensibus ad Octolengum omnia turbabat, horrenda in omnem sexum, ac humanas sacrasque res grassatione, fœderum sanctitati prælata pecunia. cùm tamen è primis velitationibus animadverteret Lautrechius superare hostes numero, Mediolanum signa retrahit; & Venetos ad ferendam Laudi Pompejæ opem destinat. verùm inde recedunt haud pares propugnationi adversus Columnam, toto exercitu circumvallantem oppidum, quo tandem etiam potitur, & pleraque alia castra consequitur, quæ nulla prorsus vi expectata, defecerunt. Sed ubi ad manus ventum est juxta ignobile municipium, Piccocam, infelicissimo Gallorum exitu, tota visa est tremere Italia, veluti externæ gentis dominio paritura. Exinde cùm omnia magis arderent bello, & quilibet terrore tum præsentium, tum jamjam imminentium malorum metu trepidaret, Veneti, qui numquam antea non auxilia suis fœderatis suppeditabant, ut ob id Gallicæ fortunæ individui comites appellarentur, sibi tandem unis rati finitimorum Principum, ac nobilissimæ provinciæ securitatem concreditam, in Cæsaris amicitiam societatemque transiere, suadente Andrea Grito, qui rediviva semper virtute se ipso major clariorque per id tempus ad clavum publicæ administrationis sedebat. Videbatur abundè satisfactum Gallico fœderi, malebatque Senatus Venetus invidiæ objici, quàm communi deesse causæ. Tanta novitate iratus Franciscus, Insubriam summa vi pertentat, duce Gulielmo Gauferio, qui, regia arma quocunque circumduxit, omnia ad deditionem prona habuit, Novariam, Laudem Pompejam, & proxima quæque oppida. Sed hæc prima Gallorum brevissimi temporis felicitas; ab Cremonensi enim oppugnatione

tione

tione Gauferius Venetorum constantia repellitur, fugaturque demum ab Cæsarianis memoranda strage. Rex suorum internecionem ubi audiit, & quàm verè diceretur Italia Gallorum esse sepulchrum, ipse sese hostibus, ac Regiam opponere majestatem decrevit, eoque citiùs ob delatam Caroli Borbonii defectionem: sic in dies magis magisque gliscentibus bellorum seminibus, Italia, facta veluti decertantium arena, tot tantisque repletur copiis, ut universi orbis imperium tenere iterùm potuisset, si illa, non in sua viscera, sed in imminentia barbarorum capita convertisset. Ut igitur per Taurinos regia castra movere, & insonuere armorum strepitus, fortuna Gallorum conatibus adfuit: Mediolanum repentè subigitur, vicina castra, urbesque, dato quasi signo, victoribus se prosternunt, indecora fuga è munitionibus propulsantur nostri, atque intra Ticini, Laudisque Pompejæ mœnia arctissimè sepiuntur. Interim tamen fregit Regis consilia ineluctabilis fatorum vis. nam cùm divisis hinc inde armis, quæ in una Ticini oppugnatione simul coire debuerant, hostes variè distractos, implicitosque tenere voluisset, erumpente cum Cæsarianis Borbonio, Gallorum stationes minùs defensæ, vacuæque necessariis præsidiis occupantur, ingenti illorum strage, ac ipsius Regis captivitate, qui, cùm nemo ingruenti vndequaque hostili agmini frontem obverteret, equo semel, atque iterùm suffosso pedestre certamen inire cogitur, & ab hoste traducitur in Hispaniam. Hac infanda expeditione, ac lacrimabili pro Gallis pugna, octo eorum millia cæsa dicuntur, cuncta bellica impedimenta amissa, & quod majus, tota Insubria Carolo restituta: bello tamen oborto nullus finis dari posse videbatur, nulla Italiæ quies, vel capto Rege, vel Cæsare victore. Hic rebus tam prosperè gestis audax feroxque animum ad altiora & non concessa portendere visus est, spretaque initorum fœderum sanctione Franciscum Sfortiam in Mediolanensi arce clausum obsedit: & quia

non alia pacandæ Italiæ ſpes confœderatis reliqua eſſe videbatur, niſi Sfortia in priſtinum ſtatum reſtituto, nova Principum ſocietate Cæſareæ ambitioni erat obſtandum. Venetus prudentiſſimis conſiliis eò inclinabat, ut amplectenda cenſeret ea pacta legeſque, quæ tutò Italicam ſecuritatem promitterent. Quamobrem cum ejus temporis Pontifice, Clemente Septimo, cum Florentina Rep. cum ipſo demum Gallorum Rege devincitur, qui Hiſpani cuſtodia liberatus, ſe iis conditionibus haud teneri profitebatur, quas non voluntas, ſed neceſſitas expreſſiſſet. Fœdus in Coniaci oppido icitur: decretumque, ut conſtitutæ ſocietatis auſpicia ab liberatione obſeſſi Sfortiæ fierent. Ad hæc expedit Carolus Legatum, qui Pontifici, Venetoque denunciet, ſe & ad pacē, & ad arma paratū: alterutrum eligeret, qui aut quietem mallet, aut belli incommoda. Conſtanter, ac unanimiter reſponſum: à tot Principibus itum eſſe in fœdera, ut Italica libertas integra ſtaret: ab illis haud recedendum, niſi communi conſenſu, & certa cujuſque regionis incolumitate. Interim Venetæ, ac Pontificiæ manus Petro Piſauro duce Laudem Pompejam vi capiunt, captamque haud minori poſteà ſolertia Malateſta Baleonius retinuit. Summa tamen auctoritate Franciſcus Maria Feltrius Urbinatium Princeps præerat exercitibus, ac præſertim Veneto, qui inter cæteros decem armatorum millibus conſtabat. Hoc robore Mediolanum petendum erat, & Sfortia eximendus obſidione: At dum cunctando res agitur, nec præſtò eſſent Helvetii, quorum novem millia Reip. impenſis erant conſcripta, Sfortia, cui jam alimēta, & auxilii ſpes deerant, arcis deditionem facit, una pro conditione Comum ſibi pactus. Hæc inter Baleonius vi Cremonam obtinuerat, quam ex fœdere Sfortiæ tradidit. Mutuæ intereà ſingulis fermè diebus fiebant urbium quaſſationes, deditioneſque, & interdum uno, eodemque die ab hoſte captæ à noſtris recipiebantur. Procedente bello, cujus molem ſola Veneta Reſp. ſuſtinere videba-

debatur, satis apparebat, pacta fœdera plus auctoritate & fama, quàm viribus valuisse. Gallica enim tardabant auxilia, Helvetii in castra solutis ordinibus descendebant; ac per eos dies Pontificiæ opes acriter à Columnensibus, Cæsareanarum partium fautoribus, sollicitabantur. Hæc propter Venetus suorum finium propugnationem Feltrio imperavit. Quare nihil ampliùs tentatum, sed aucto milite, urbibus, castris, populorumque tutelæ prospectum, prætermissaque à nostris Mediolanensis expeditio, ne dum aliena curarent, propria perderent. Cæterùm Carolus Borbonius, armis aliò conversis, Romam contendit, atq; in nomen justi belli adversus Pontificem attexit denegatum sibi transitum in Neapolitanos, quos per id tempus maritima nostrorum classis exagitabat. Aggressus ille temerario ausu Romanam urbem, quasi suo fato obsequeretur, dignum expeditionis fructum consecutus est. Sub mœnibus enim, dum inter primores pugnam ciet, glande plumbea percussus interiit vir tanto exitu clarior futurus, si pro ejusdem urbis defensione concidisset. Milites cædis sui ducis ignari, concepto impetu fervidi, Romana mœnia expugnant, captamque urbem Hunnis ac Vandalis sæviores diripiunt, tanto sacrarum rerum personarumque contemptu, tam promiscua miserorum civium cæde, ut nulli ætati, nulli sexui, nulli denique sacrilego facinori parcerent. Romanæ calamitatis fama, totum Christianum orbem pervagata, vniversos Principes summè commovit, atque in primis confœderatos; ita ut illico missis ultrò, citroq; legationibus, immortali penè odio simul in Cęsarem accenderentur, renovatisq; fœderibus indigni sceleris vindictam exposcerent. Dum igitur ultioni, ac Romanæ sedis patrocinio parantur exercitus, atq; adeò jam Lautrechius, auxiliario Veneto, Buschum, Alexandriam, Ticinumq; occupasset, Clemens parum decoris conditionibus ad Cæsareos inclinavit, vel captivitatis impatiens, vel vindictæ avidus in Florentinos, qui tum à

suis

suis desciverant, ejectisque Medicæis, popularem statum instituerant. Exemplum secutæ ferè omnes Flaminiæ urbes in diversa studia scindebantur: Cervienses, ac Ravennates non aliis, quàm Venetis obtemperare decreverant, eorum dominium ipsi libertati præferentes.

Bellum Neapolitanum secundum.
MDXXVII.

MAri quoque adversus Carolum Quintum, Italicæ quietis perturbatorem, hoc tempore pugnatum est: & quidem ex condicto cum Gallis fœdere, primùm navigavit in Tyrrhenum Aloysius Armerius viginti rostratarum classe, & cum Prorege Neapolitano navali certamine tam prosperè conflixit, ut ob partam de eo victoriam, & insignem hostium jacturam, Galli iterùm ad Regnum Neapolitanum animos admoverint. Prope Sestrium in Genuensi ora primò commissa pugna, mox datus classi Legatus Augustinus Amulius; demandataque terrestrium copiarum cura Petro Pisauro, & Andreæ Civrano, Neapolitanam provinciam unà cum Gallorum ductoribus Veneta agmina terra quoque invadunt. Expugnatis primò Puteolis, reliqua secùs littus oppida facilè capta sunt; eademque armorum felicitate in mediterranea penetrantes, edita Surrentinorum clade, quia restiterant, universum Samnium subjugarunt. Post hæc, suppleta classe, Petrus Lando è Corcyra in Campaniam trajecit, ibique, missus ab Rege, Lautrechius etiam affuit, ut junctis simul terrestribus maritimisque viribus oppressi adhuc Pontificis vindictam, & Italiæ libertatem reportaret. Quamobrem Gallus, Veneto ubique socio, Genuam, & Liguriam omnem Regiæ potestaris fecit: Venetus, favente Gallo, Molam, Polignanum, & Monopolim, urbes, quæ, jampridem moderato Reip. imperio assuetæ, ab Hispanis cupidissimè rebellarant, in

dedi-

deditionem accepit:ac consequentibus sese victoriis, Brundusium, omniaque Calabriæ, Apuliæ, ac Salentinorum municipia occupasset Landus, nisi ex Senatus decreto Gallis obsecutus, Neapolim cum classe excurrisset. Ea urbs obsidioni, ac expugnationi destinata, dies aliquot in summa rerum penuria ac desperatione hostes morata est. Landus, cùm primùm applicuit, omnem mari commeandi facultatem sustulit, eandem terra Galli eripuere: inde obsessi brevi erant se dedituri, recasuraque Neapolis in Gallorum dominationem, victis maritima decertatione hostibus haud procul Salerno. At interim pervagata exercitum lues, extinctus Lautrechius, dissipataque procellis classis, & oppressæ immodico æstu Gallorum reliquiæ, Neapolitanum obsidium fregere, quasi tot ęrumnis fortuna edicere voluisset, Italiæ imperium Gallis non esse decretum, neque Venetæ Reip. sub Apulo Cœlo virium suarum propagationem.

Bellum Insubricum octavum.
MDXXX.

DElata ad Cæsarem Gallorum, Venetorumq; impressione in Insubriam, ac Neapolitanum Regnum, extemplò Henricum Brunsuicensium Ducem cum exercitu ad ultionem properare jussit in Italiam, quæ nondum fatorum rabiem tot continuatis calamitatibus exsaturaverat. Hostis, qui famam sui adventus prævenerat, ab Tridentino jugo in Veronensem agrum diffusus, villarum incendiis bellum primò miscuit: postremò ad oppidorum conversus expugnationes, Pischerium, aliaque circa Benacum fortia munimenta in Cæsaris obsequium vi traxit. Pejora moliturum Germanum hominem cohibuit Franciscus Maria Feltrius, Vrbinas, Veneti militis imperator, qui motis è Bergomatibus castris insultanti fit obvius, & com-

commissis per occasionem certaminibus eo penuriæ, metusque adegit Cæsarianum ducem, ut nunquam ausum è stationibus egredi, fame, ac militum fuga inermem prope redderet. Profligato, atque ita fracto hoste cuncta deinceps prospera fore videbantur, modò Antonius Leva, Hispanarum acierum ductor Mediolano pelleretur. Huic Feltrii sententiæ adhæsit Franciscus Borbonius, ab Rege per eos dies Lautrechio in bellica administratione suffectus. Sic ad animorum concordiam accedentibus fœderatorum Principum viribus. Ticinum, paulò ante receptum ab Hispanis, nostrorum validæ oppugnationi primùm succubuit. oppidum enim corona cinctum,& majoribus tormentorum machinis diu cõcussum, obsidentibus tandem patuit, cùm per abrupta mœnia cæteris antesignanus Feltrius ad interiora penetraret. Hac victoria,quæ ad totius Mediolanensis Ducatus occupationem erat instrumentum, incertum cur noluerit uti Borbonius, suscepta tunc in rebellantes Ligures expeditione. Victoribus nihil præter Mediolanum reliquum erat, quo subacto jàm neminem vinci puduisset. Verùm abeuntem Gallum à tergo insecutus Leva, noctu, ac sine militari strepitu, ut illum falleret, circa Landrianum repertum, malè mulctavit. Exinde Hispanus, concepta spe nostri etiam dissipandi exercitus, nulla mora cis Abduam castra disposuit. Feltrius insectantes hostiles manus simulata fuga decipiens, compositisque dolis fermè peditum duo millia trucidavit, atque Levam veluti è naufragio fugientem cum paucis Mediolanum usque persecutus est. Sub hæc certis nunciis evulgabatur Cæsarem in Italiam venturum, totisque viribus oppugnaturum Remp. quæ una illi rerum Italicarum fortunas interturbabat. Non usque adeò timebat eam famam Venetus Senatus, jam professus se omnia Carolo redditurum infesta, modò Gallis eadem cura esset: qua de causa facti novi militum delectus, firmioribus præsidiis muni-

munitæ Apuliæ urbes, adjutus Sfortia pecunia, & milite, quo impigrè bellum suos in hostes capesseret; recentesque ornatæ classes, ut nemo non ad stuporem miraretur Venetam Remp. ex Cameracensi conspiratione adhuc anhelantem, tot cogere exercitus, tot in locis resistere vi, atque constantia, ac reliquis Italiæ Principibus optatam provinciæ quietem per se solam restituere potuisse. Versabatur in hoc rerum statu Italia, atque in dies magis, magisque terrebatur adventu Cæsaris, cùm nuncius de pace affertur, sed muliebri firmata ingenio, Margaretæ scilicet Austriacæ, & Ludovicæ Galliæ Reginæ; eaque Cameraci sancita, exclusis cæterorum Principum Legatis, Carolo tantùm & Francisco prospiciebat; Nobis verò nihil consultum, sed quid boni sperari ex ea urbe poterat, ex qua paucos ante annos omnium miseriarum colluvies emanaverat? Meritò igitur commota est Resp., quòd nulla sui ratio esset habita. quare Gallorum societate rescissa, omnia devovit Sfortiæ, ne avito spoliaretur imperio, atque in novum belli apparatum summa cura incubuit. Tandem, Deo propitio, ad pacem animum adjecit Carolus, in Pannonia per ea tempora Turcicis armis divexatus. Igitur in Bononiensi conventu decretum est, ut erogatis Cæsareæ majestati centum aureorum millibus Veneta Resp. quascumque urbes, oppida, castra, juraque obtinuisset in continenti, liberè deinceps, ac pacificè possideret, Pontifex Flaminiæ civitates reciperet, occupataque Regni Neapolitani municipia restituerentur: ita demum Resp. post diuturna, ac gravissima tot annorum bella, tantasque calamitates, quas non sine Divino numine in experimentum Venetæ virtutis & constantiæ illatas putandum, pacem, ad quam semper sua consilia viresque direxerat, cum dignitate obtinuit.

Bellum Turcicum quintum.
MDXXXIX.

DUm in Italia, rerum quondam domina, Christiani Principes, fatisne, an invidia, odioque inter se, tum de gloria, tum de potentia præliabantur, alibi barbaræ gentes nostrorum sanguine squalebant. Quantum scilicet cruoris hausit Solymannus, Belgrado expugnato, vastatis Pannoniis, occupata Buda, Viennaque obsessa: nec minùs formidandus maritimis viribus, capta direptaque Rhodo, atque inde pulsa Hierosolymitana Religione, passim direptis, ac incensis oppidis, ac populis immanem in modum cæsis. Hisce cladibus & injuriis excitati Clemens VII. Pontifex, & Carolus Imperator in unum coëunt, ut effrenem & barbarum hostem repellerent, & ita, quam Cæsari pacem communium sacrorum religio suadere non potuit, extorsit Turcarum metus. Interim Solymannus accepto decretæ in se expeditionis nuncio, Chariadeni celebris piratæ opera Tyrrhenum littus populatur. ut à Barbaro illata damna, reponeret Andreas Auria, jussu Cæsaris, in Græciam solvit, repulsoque ex Ambracio sinu Himerali, Othomannicæ classis præfecto, Coronem, Patrasque in Peloponneso obtinuit. Nec defuere præclara ingenia præliis tum maritimis, tum terrestribus enarrandis, quæ per ea tempora inter Cæsarem, Turcamque commissa sunt. Veneti autem instructis sexaginta triremibus cura ac imperio Vincentii Capellii, insularum, urbium, littorum, subditorumque defensioni consuluerunt. Intereà per occasionem belli, quod inter Cæsarem, & Turcam gerebatur, non defuerunt, qui piraticum in morem nostra maria infestarent. Prædonum ultio Francisco Dandulo, Adriatici Sinus præfecto mandatur. Hic ad Sasonem in Epiro latrocinantes insequitur: at numerosiores aggredi non ausus, versusque in fugam

corum

eorum fit præda, atque Constantinopolim deportatur, posteàque è captivitate reversus, Jaderæ ob rem turpiter administratam mœrore contabuit. Haud multò pòst Maurus Alexandrinus, ex Coronensi obsidione solvens in Africam, Hieronymum Canalium, classis legatum, apud Cretam offendit: Noctu id accidit, atque uterque diu inter se falsa de hoste conjectura dimicavit, Venetus sibi obvios piratas, Turca, Hispanos esse suspicatus: superante Canalio Maurus, totis penè suis exutus viribus, captus est: attamen statim dimissus, cùm nomen ediceret, expeditaq; ad Solymannum legatio, quæ nocturnum facinus excusaret, ne Venetus peccasse in fœdera crederetur. Sub hæc, fugato Chariadeno, Carolus Quintus Tunetum recuperat, & precarium regnum Muleassi reddit. Moritur interim Romæ Clemens Septimus, eique Paulus Tertius subligitur; quo tempore ex Francisci Sfortiæ interitu, novique Pontificis electione, aliæ spes, alii hominum animi, alia quoque Italiæ fortuna videbatur, dum ex publicis perturbationibus privata commoda sibi astruit ambitio. Absente Carolo, Franciscus Rex ad veteres redit inimicitias; quia continuum inter æquales discordiæ malum. Allobroges primi omnium Gallica arma sensere: eorum veluti contagione infecta est Insubria, longoque temporis tractu pestis illa in Italia morata est, occupatione munitioneque castellorum, captisque semel, ac iterùm à diversis unis iisdemque urbibus. Postremò resedit morbus, Regisque cupiditas restitit, cùm ad suos conatus trahere nequicquam Venetum tentasset, qui ex instituto Italicæ libertatis vindex acerrimus non aspernenda militum manu res Mediolanensium tutabatur. Hinc indigno Christianissimi Regis consilio apud Solymannum criminatur Rempubl. quòd cum Cæsare sentiret, quòdque tandem conjunctis viribus Græcia petenda esset. His querelis Barbarus in nostram perniciem extimulatur, unde illud bellorum erupit incen-

dium, quo multos annos grassante penè conflagravimus. Impia igitur disseminante Oratore Gallico, æstuanteque in Turca latiùs dominandi libidine, advenit Constantinopoli legatus, sciscitatum, an quem socium, vel hostem haberet Solymannus, eundemne Resp. esset habitura, utque ea de re Senatus pronunciaret. Hic quamvis se amicum, fœderatumque Othomannicæ domus assereret, atque amicitiam sanctè ampliùs culturum, nihilominùs proposito edicto Veneti mercatores ubique locorum Turcicæ ditionis cum mercibus intercepti sunt, interfecti plures, captivi pessimè habiti, eductæ regia urbe ducentæ naves, Luphtibejo & Aenobarbo ducibus, atque terra innumerabiles legiones ad Aulonem profectæ. Tanti apparatus fama expeditiores ad bellum Venetos reddidit, extemplò festinati delectus, procinctæ centum triremium classi præficiuntur Hieronymus Pisaurus, & Joannes Victurius: hisque imperatum, ut alter Corcyræ, alter sinus Adriatici curam, propugnationemque susciperet, sed neuter eorum nisi provocatus in pugnam iret. Porrò Turcica rabies per id tempus in Hispanos effunditur. Barbari nostra prætervecti maria inoffensi, cùm militaria amicitiæ signa edidissent, in Salentinorum oras grassationibus, & incendiis deſævierc. Tandem impotenti odio conversi in Venetas ditiones omnia hostiliter agere, prædas abducere, rapere mortales in servitutem, tentare oppida. Incitatus præter destinationem in Remp. ferebatur Solymannus quorumdam nostrorum ducum temeritate, quoniam regium sibi captum navigium, interceptam onerariam, ejectumque Adriatico Janusbejum trierarcham conquerebatur. Hæc propter ab Senatu missa legatio, quæ Barbarum deliniret, sed omnis sollicitudo, studiumque incassum adhibita. Hostilis itaque classis, Hydrunto egressa, Corcyræ parat expugnationem, adjuvante terrestribus copiis Chariadeno: porrò

rò hostium consilia maturè detegens Pisaurus, utramque oppidi arcem validissimo præsidio munivit, admonuitque subindè Patres, Turcam non nisi pari virium robore debellari posse: propterea in societatem adversus communem hostem reliquos Italiæ proceres facilè pellexit Resp. Ea Romæ inita, atque in primis contracta cum Cæsare, intentiori cura se bello expedit Venetus, eoque alacriùs, cùm nullus in urbe esset, qui non cum fortunis vitam ultrò proferret. Interim Solymannus Corcyram toto invaserat bello, arcteque vallaverat. Sed obsessi, Aloysii Ripæ, & Simeonis Leonii Venetorum excitati virtute, erumpendo sæpiùs, æneisque machinis, hostiles undique vires adeò debilitaverant, ut relicto tandem oppidi munimento, situque, atque exploratis propugnantium viribus, hostis re infecta discesserit. Verùm dum Constantinopolim repetit, in ipso transitu Buthrotum, in Communitia castrum, occupat, deportatis in servitutem incolis. Hæc Turca agebat, cùm Pisaurus, in Adriaticum deflectens, Venetis obtinuit Scardonam, opportunam ad invadendam hostilem regionem arcem, non procul à Sico. Victurius quoque Obroatium vi subjugavit, oppidumque tamdiu retinuit, donec posteà Liburnorum, seu Uscochorum, adversæ nobis gentis auxilio, Præfectique incuria, amitteretur. Solymannus ex his confirmato odio majus bellum coquebat, ut exinde Cassino, & Chariadeno præciperet, oppugnandum quidquid Venetorum esset. Itaq; per Cassinum Nauplia, & Epidaurus oppugnantur, irrito tamen conatu; alibi eversa Aegina insula est, Paros subacta, Naxus facta tributaria, atque Chariadeno, quacumque ductabat classem, reliquæ è Cycladibus paruere. Perturbatæ tot ærumnis Reip. major accessit trepidatio, cùm fama per Italiam augeretur, Solymannum præsenti anno MDXXXIX Cretam insulam aggressurum. Hinc nullam ulteriùs moram passi Patres, explicato jam bello adversus Tyrannum, Cæsaris,

ac

ac Pontificis auxilia festinarunt. Nulli non metuendus erat hostis,nec nisi robustissima vi coercendus. Itaque ex fœderum legibus maturantur suppetiæ, summaque maritimarum rerum cura,ac in cæteros navium ductores imperium uni Andreæ Auriæ,Cæsarianarum virium moderatori,confertur:Nostræ classi Vincentius Capellius: Pontificiæ Marcus Grimanus, Patriarcha Aquilejensis præerat; totusque apparatus CC fermè triremibus constabat. Nondum tamen Venetus classiarius urbe solverat, cùm jam Chariadenus,Ægeum permensus, atque in eo sparsis potitus insulis, Cretam applicuit C, ac L. navibus. Porrò in Rethymnum agrum temerè suos exposuit, quia supra fidem durè nimiùm ab exeuntibus oppidanis,excipiebantur. Sed ab Suda Cydonem vsque tutiori descensu quidquid obvium habuit Barbarus more suo afflixit: urbis denique attentans excidium ab Andrea Grito Præfecto summovetur parva Italorum manu,totaque postremò ab insula turpiter ejicitur. Intereà Cassinus Naupliam in Peloponneso rursus invadit, Nadinum,& Tranam arces evertit, & ulteriùs inferens arma tanto terrore corripuit Illyricum, ut momento videretur Turcæ cessurum,nisi Sicensium constantia in toleranda obsidione eam provinciam confirmasset,solertique patientia docuisset, nullo metu consternari libertatis custodiam. Hic rerum erat status antequam ex compacto convenissent Capellium Corcyra in insula Pontificii Hispanique classiarii: & ubi de belli ratione condictum est, Grimanus Ambracii sinus municipium, nomine Nicopolin, Præversam hodie, Pauli Justiniani virtute propè captum, omnino subjugasset,nisi dissipatus in vicinia rumor Nicopoleæ oppugnationis finitimos barbaros ad opem concivisset. Quare ille à validioribus turmis petitus,obsidionem solvere cogebatur. Ita invidente fortuna egregii ausus laude fraudatur Pontificius ductor. Terrestris potissimùm ea erat expeditio,quæ nunquam Auriæ placuit,qui Turcam navali tan-

tùm

tùm pugna delendum opinabatur, ideoque supervacuum ducebat circa arces, murosque immorari. Mari ergo rem statuit decernere: eadem in hoste videbatur voluntas, qui ex Epiri faucibus in apertum classe promotus, nostris pugnandi copiam exhibuit, & insigni quidem audacia, quia majori pollebat vi, sed certamen haud detrectavit Christiana classis. Capellius primum aciei locum, Grimanus postremum obtinuit. Ille hosticam, quo fremebat irarum æstu, impetuque adortus, Auriæ sententia victoriam retulisset, nisi è vestigio Veneti ducis nomen, & virtutem reformidans Chariadenus notas angustias, latebrasque captasset, & obversis puppibus in Ambracii sinus anfractibus sese abdidisset, ubi aut omnino perdi, aut exitu prohiberi potuisset, si eadem Auriæ mens fuisset, qui patenti tantùm æquore cum Turca pugnandum inclamabat, frustrà conquerente, ac objiciente Capellio, Christianorum esse, aut generosè vincere, aut pro patria, & pro ipsa religione gloriosè occumbere. His tandem victus Auria, prælium imperat. Sed cùm Veneti consilio nequicquam fortuna votis initio respondisset, magis in arctas fauces penetrante hoste, palàm Cæsarianus dux se subducere, prælii metuere discrimina, angustias declinare, timere insidias, declinandis, quàm contemnendis hostibus melior. Turca victus haud dubiè fuisset, si nostri ausi essent vincere. Inde cùm ipsi cresceret audacia, è faucibus erumpens fœderatam carpsit classem, eique duas onerarias, totidem majores naves, triremes quatuor ademit. Ob suspectam quoque Auriæ fidem, restinctus in cæteris ducibus generosi animi ad gloriam impetus elanguit. Ex hac veluti fuga Corcyram proræ conversæ: ad proximam insulam Paxum vectus Chariadenus, ut exprobraret, traheretque in pugnam meticulosos. Corcyræ hybernatum est: deinde educta classis per Rhizonicum sinum ad Neocastri oppugnationem. Hanc præcipuè moliuntur Veneti magnis curis, animisque, ut acceptam superiori anno

labem

labem obliterarent: in muros munitissimi oppidi compactis scalarum vice remis conscendunt, tutioremque expositis postremo loco Hispanis reddunt accessum. Sic mari terraque re satis gesta feliciter, Neocastrum capitur, ejusque arx, quæ quasi altera civitas reluctabatur, triduò pòst domita est. Oppidum conjunctim subactum, ex formula fœderis Venetæ Reip. debebatur: illud tamen Hispani, suo juri asserunt, præsidio imposito. Facinus, uti erat indignum, ita acerbè reprehendit Capellius, atque Auriam, hominem Ligurem, antiquum Veneti nominis hostem execratur, cùm quæcumque ageret, ad unius Cæsaris utilitatem revocaret. Ejusdem quoque vel ignavo, vel maligno consilio effectum, ne, post debellatum Neocastrum, penitus etiam mari deleretur Chariadenus, quem capti oppidi fama properantem ad subsidium fœda tempestas aggressa ad Sasonem insulam totius ferme classis jactura strageque exarmaverat. His de causis, & quia suam Auria maturavit in Siciliam profectionem, odisse cœpit Venetus Hispanorum ingenia, imperii avida, infidaque, cùm præsertim Neocastri, ejus gentis, præsidium in Ascrivienses quoque crebrò per scelus insiliret. Itaque averso à societate animo, in spem futuræ pacis inducias à Solymanno petendas statuit. Attamen ille ferox, furensque amisso Neocastro, recollectis in unum viribus bellum, vindictamque sollicitabat, deductisque in Peloponnesum copiis Naupliam, Epidaurumque acerrimè premebat. Sub ea quoque tempora Dragutes, classis præfectus, nostra maria belli tempestate, præclusit, Cretam attrectavit, atque imminuta Francisci Paschalici classe tribus abductis triremibus, Cydonium agrum populatus est: urbi demum imminentem militare Antonii Calbi Prætoris robur depulit. Ad hæc Chariadenus reparatis naufragio navibus, Neocastrum vi petit. Obstinati hostis metu perculsi Hispani, Veneto illud idem municipium tradere peroptabant: sed quæ debita ex fœdere sæpiùs antea petita nunquam obtinuit,

tinuit,importuno quidem tempore oblata recusavit. Cùm itaque dies aliquot concussum esset oppidum, Turcæ iterum patuit,præsidiariis aut occisis, aut in servitutem raptis. Finitimæ gentes, quodam veluti morbi contactu, barbaro manus dedere victas. concidit eo pacto Rizanium: stetit Ascrivium Matthæi Bembi constantia. Hæc agebantur, cùm Petrus Landus Princeps ad Turcicum Imperatorem Legatos mittit, ut quæ pacis studia Venetus animo volvebat, eadem apud Solymannum perficerentur. Thomas Contarenus Barbarum cum primis frustrà adiit, iniqua flagitantem; mox Aloysius Baduarius. Cupiebat Resp. se novennali bello,eoque gravissimo,explicare: nullum nempe fœderi fructum experta: suspectam esse Hispanorum fidem:in se denique unam belli prima, & ultima damna intentari. Accedebat his summa rei frumentariæ penuria: & quòd commeatus ab confœderatis Principibus denegati, à Turcico Mœsiæ præfecto concessi, uberrimè in urbem comportarentur. Baduarius itaque Constantinopolim ablegatus,ut pacem pecunia redimeret:sin id parum procederet, quovis modo obtemperaret secretioribus mandatis, quibus injunctum,ut ex necessitate,Naupliam,Epidaurumque Turcæ publico nomine offerret. Non defuere perfidi cives, qui rem silentii sacramento actam detegerent, unde Baduarii in regiam urbem ingressum prævenit prodita fides. Inde quævis pecuniæ summa expetitarum urbium loco ab Solymanno constantissimè neglecta; atque ita in eas pacis conditiones ire Venetus Orator coactus est, quas Turca maximè optabat. Non alio modo firmata pax, cujus nuncius Venetias allatus, etsi omnium ordinum sui expectatione erexit animos: ubi tamen de conditionibus est relatum, mirum, quàm acerbus dolor, ac veluti stupor universam civitatem occuparit. Proinde in Baduarium fremere vulgus,jactare convicia, illum postulare ad suppliciũ. At demum proditione detecta, sumptaque de perduellibus

Hh pœna,

pœna, viri illius nomen, famaque illustrior emersit, ac gratior pax extitit, quæ cuivis bello, etiam justo præferenda est.

Receptum Marianum.
MDXLII.

Marianum, Fori-julii oppidum, Venetis adhærens æstuariis, Reip. Cameracensi conjuratione sublatum proditione, hoc anno Ferdinando Austriaco Romanorum Regi subtrahitur Beltrandi Sacchiæ Utinensis astutia. Hic cum sibi notis, fidisque sociis mercatorem ementitus intrat oppidum, Germanumq; præsidium ejecit: accitoque Petro Strozzio Florentino exule castrum Gallis acquisitum voluit, erectis regiis vexillis. Molestus Senatui hic nūcius fuit, quia ob id factum Austriacis esse poterat suspectus. Se verò à fraude liberum, fœderumque cultorem publicavit, mulctatis carcere Sacchiæ affinibus, subrutisque munitionibus, quas Strozzius mare versùs extruxerat. Proximum intereà bellum urbi imminere videbatur, cùm jam invicem committerentur Gallus, & Germanus. Ille Marianensibus importabat auxilia: hic non tam terra, quàm mari oppugnationem moliebatur. Maritimas vires impediebant Veneti, ne ullum sibi jus Ferdinandus acquireret in Lignano portu, quò Tergestinæ naves ad obsidendum convenerant. Subinde à Strozzio venit legatio, qua sibi Mariani dominium regia Francisci donatione proprium fateretur, illudque Reip. venditurum; emptionem si recusaret illa, non deesse præpotentem Principem, cui quovis ære placeret oppidum. Patres haud ignari eum esse Turcæ addictum cùm nihil acerbius ducerent, quàm in suæ ditionis visceribus, atque in conspectu ipsius urbis spectare Barbaros, statuere pecunia redimendum esse oppidum, numeratis Strozzio trigintaquinque aureorum milli-

millibus. Propterea ablegati sunt ad Ferdinandum Oratores, qui exponerent, non tenuis potiundi castri libidine, sed necessitate compulsum Senatum, minitante Gallorum duce Strozzio, se Turcis illud traditurum, Castrum coëmisse: Nihilominùs quæ suboriri inde poterat inter Austriacum, Venetumque dissensio, prudenti Senatus consilio alia non modica Germano Principi nummum erogatione discussa est: atque exinde in Marianensibus suum jus quietè in hunc usque diem Resp. tuetur.

Vscochi primùm compressi.

MDXLVI.

Liburnia supra intimum Adriatici sinus recessum, vel ipso antiquitatis testimonio lattrociniis infamis, ab sævo, prædæque assueto populo incolitur. Veluti è Narentanis cineribus enata gens, quæ iterùm rapinis, fraudibusque rem Venetam turbaret. Perditis, furiosisque latronibus, quos Uscochos vocamus, audaciam dabat alieni belli tumultus, implicataque gravissimis curis Rep. impunè grassabantur. Etiam ausi non semel Turcicas ditiones prædari, Solymannum in ultionem sæpiùs provocassent, nisi memor pacis, Senatum priùs admonuisset, ut infensos latrones reprimeret, ne sibi demum necesse foret classem ablegare in Adriaticum adversus rapacissimam gentem. His querelis non minùs, quàm acceptis incommodis jussu Patrum in grassatores multis biremibus procursum est, atque ita primùm ejus gentis strage, fugaque compressi impetus, solum, salumque truci prædone purgatum, Turcica ira discussa.

Expeditio sexta in piratas.
MDXLVIII.

PIratæ plures annos hæc maria veluti obsessa tenuere, ut nihil tutum restaret ultro citroque commeantibus: direpta navigia, intercepta corpora, furta, cladesque Venetiis quotidie ferme exaudiebantur. Humani generis hostes, mandante Senatu, Laurentius Amulius persequitur. Hic dum toto errat Adriatico, ut grassantem pestem extingueret, Sabbam piraticum caput cepit, & occidit. Rustenus, digresso in Persidem Solymanno, Constantinopolitanus Præfectus, viri sibi amicissimi necem armis ulcisci parabat. Quamobrem ad placandum Rusteni animum, ne alieno tempore in se periculosissimum bellum converteret, Respub. maris imperium Amulio abrogat, imperatque exilium, donec sopita Barbari indignatione patriæ, ac pristinis honoribus restitueretur. Quartodecimo pòst anno invalescentem magis piratarum injuriam coërcuit Antonius Canalius, qui latrocinantes insectatus ad Picentum littora fugavit: illi in continentem pro effugio dilapsi, malè ab incolis excepti sunt. Sub idem tempus etiam Christophorus Canalius haud procul Cephalenia pari exitu prædantes oppressit, & ad Sasonem quinque piraticas adortus, aut captivitate, aut fuga debellavit, duabusque in potestatem redactis, reliquas intento quàm maximè remigio insecutus pessumdedit, ultimo tamen fato, cùm ex acceptis impigrè vulneribus Corcyræ occubuerit. Altero inde anno Philippus Bragadenus adversum idem barbarum genus, in Apulam oram effusum opportuna ad ultionem classe navigavit. Res prosperè navata est propè Sipontum, ubi, quos cum infami biremium apparatu non castigavit occisione, prædaque, vivos ad vicinarum gentium rabiem propulsavit; ut enim attigere solum à convolantibus undiq;

agre-

agrestibus necati sunt. Eadem ferme tempestate cum Dragute, qui oppugnatis, captisq; juxta Aenariam insulam aliquot Christianorum navibus Ægeum repetebat, Petrus Thronus Cretici maris custos congreditur. Victus, trucidatusq; hostis est, licèt se non piratam, sed Solymanni militem assereret. verùm regi frænis nequit ira, victoriaq; feroces primos impetus habet. Delatam in hunc modum viri necem graviter adeò tulit Turcicus Imperator, ut illam se bello vindicaturum denunciaret, nisi à Veneto sibi ex æquo satisfieret. ea propter Senatus in Thronum animadvertit exilio, quòd pacis violasset conditiones, quibus cautum, ne in Turcas milites à certamine superstites capite sæviretur, sed vivi Byzantium in custodiam remitterentur: sic punita Throni audacia, adjuvanteque apud Solymannum Danielis Barbadici Legati dexteritate, irati Principis animus resedit. Postremò varios in dies congressus nostri Classiarii committebant cum effera ea prædonum colluvie, rapinarum, ac sanguinis avida, commixtis in unum Turcis piratis, Vscochisque, qui tum ob corporum, naviumque pernicitatem, tum astum in exercenda piratica nunquam penitus extingui potuere. Sub hæc tempora Equites Rhodii magna sui nominis invidia in nostros non dissimili arte involuti fuere: nam primùm duce Capuano Priore, Rhodiæ naves per Ægeum, & Lybicum mare infestis prædis agebantur, nec Turcarum manubiis contentæ, Cyprios etiam, & Cretenses populabantur: in hos incruento bello animadversum est, evulgato edicto, quo Hierosolymitanæ Familiæ opes, quæ in Reipubl. ditionibus locupletissimæ sunt, sequestra inhibitione detinerentur, quousque per Rhodiorum Magnum Magistrum damna, ut factum est, dominis pensarentur. Eosdem, ad Chisamum quatuor triremibus similia ausos, Philippus Pascalicus, Cretensis custodiæ Præfectus potenti, ac irata classe turbavit, captis ratibus, & viris: Ultio hæc per Europam mira prævaricatione Venetæ sinceritatis

ceritatis notata est; verùm ubi Reip. studium, maritimæ quieti intentum innotuit, eandem ab omnis labis macula liberavit.

Bellum Turcicum sextum Cyprium, Nicosia subacta.
MDLXX.

SElymus ad Turcici imperii gubernationem evectus, mortuo Solymanno patre, dum latiùs dominandi cupiditate flagrat, ac legi in primis optat inter ditiones, titulosque suos Cyprum, in ejus insulæ opes impetum machinatur: ita nulla alia causa, nullaque justa belli occasio unquam prælata, quasi ex arte novi Imperatoris esset pejerare, rescindere fœdera, omniaque agere ad voluntatem. Accedebat Mustaphæ aulici magnatis assentatio, potentiam, vires, majorumque exempla cupido Principi commemorantis, Christianorum quoque discordias, civiles pervicacias, & inertiam: differebat contrà verbis, & gratia Mehemetus Præfectus Prætorius, quem Barbari Visirum appellant, supremæ apud suum Regem dignitatis. Omnia hæc litteris Marci Antonii Barbari, Legati ut afferebantur, sic credita: neque enim quæ secretò etiam agitabantur diu vigilem ministrum latere poterant; cùm & per id tempus nonnullæ mercatorum Venetorum onerariæ diducerentur, quasi iis opus esset regio usui ad res omnino diversas, & dissitam alio orbe expeditionem. Igitur prætexentis Turcæ fraus Senatum diu in suspenso non habuit: cœpti delectus, omnisq; Illyrici, & Epiri, futuris incursibus patens ora, valido præsidio, & commeatibus instructa: Legato Joanni Legio injunctum, ut navibus, Julio Savorgnano, ut terrestribus copiis eam provinciam, quà opus, tutaretur: in Cretam abire jussus Laurentius Amulius ad supplendam XX triremium classem, Lucæ Michaelio Cydon demandata, Sebastiano Venerio

nerio Corcyra: Franciscus Duodus majoribus triremibus XI, minoribus LXXX nauticæ peritissimi cives præfecti sunt: navium procuratio Petro Throno, nuper patriæ restituto, commendata, & his omnibus mandatum, ut parerent Hieronymo Zannio, totius classis Imperatori, quæ erat triremium LXXX, quinqueremium XI, onerariarum naviũ X, & myoparone ingenti. Sfortiæ verò Pallavicino omnis rei terrestris summa administratio commissa. Quoniam autem instantis belli graves procellæ non solùm Veneto imperio, sed cæteris quoq; nationibus præsagia inconditi periculi ex alto ferebant, nulla mora visum est impendentis ruinæ admonere in primis Romanum Pontificem, Pium V. per Michaelem Surianum. Ille ad certissimæ calamitatis famã excitatus, & ad Venetæ existimationis memoriã, & versus beneficia in Sedem Romanã promptus, inter etiam purpuratos Patres obloquente Granvellano, studio Hispanicarum partium, nec meritis Reip. nec officio defuit suo. Iam primùm statutis per suffragia Cardinaliũ subsidiis, quem vicinæ sortis contagio cauturũ sibi inter alios noverat Philippum Hispaniæ Regem, Ludovico Torreo Oratore, hortatur ad fœdus, in quam curam Leonardus Donatus jam tum à Rep. eodem fuerat ablegatus. Maximiliano Cæsari ad hæc per Joannem Michaëlium, Caroloque Gallorum Regi per Aloysium Contarenum est significatum, in quid Selymus incumberet, dum sub alieni belli tumultu, Venetæq; ditionis aviditate, impunè orbem Christianum sibi provinciam destinaret. At ille induciis cum communi hoste jam antea pactis; hic provincialibus turbis, suorumque dissidiis à tam gloriosa, & necessaria ope sese excusavit. Thamasum Persarum Regem aliæ rationes, & rerum momenta distraxerunt: cùm sedulò eum quoque bello huic implicare, nobisque addicere studuisset Vincentius Alexander, fidelis industriæ civis, & orientalium linguarum peritissimus. Emicuit promptum sanè Italorum Principum in juvan-

juvanda Rep. ſtudium. Interim dum Senatus per diverſa negotia hoc modo diducitur, Turcæ in Illyrici, atque Epiri regionem latrocinantes erumpunt; noſtrorumque naves, & mercimonia horribili furore diripiunt. Hæc damna ut humanæ ſocietatis hoſtes pari vice penſarent, omnes Venetiis degentes Turcas, eorumq; merces publicæ cuſtodiæ Patres ſubjecerunt. Sed per eos dies magis procax Turcarum inſolentia emerſit, cùm Hibraimus à M. Antonio Barbaro Cyprum peteret. Prætextus regiæ libidinis erat, vel fiduciarium jus Aegyptiorum Regum in Othomannos transfuſum; vel quaſi per nefas faviſſet aliquando Cyprus piratis, hoc armis eſſe vindicandum. At Venetus Legatus, cùm & fidem conventionum, & jura fœderis ſanctè à noſtris obſervata diceret, neque ullam ſubeſſe iuſti belli cauſam, nihil aliud tum apud perfidos, quàm ad moram intervallis verborum profecit, ut interim, dum Cubates Zauſius, orator Turcicus Venetias commigrat, Senatus accuratiùs expediendi belli tempus nanciſceretur. Cubati, Cyprum poſcenti, armaque ſui regis minitanti, ni pareat Reſp. maturè reſponſum, Venetæ dominationis eam inſulam eſſe, quibus animis Patres illam ſuſceperunt defendendam, iiſdem ad necem uſque retenturos: adeſſe Deum immortalem, qui juſtæ cauſæ patrocinetur, & eundem, fœderum ruptorum ultorem, ſceleſtis non defuturum. Subinde Hieronymo Zannio mandatum ad Iaderam operiri quinquaginta triremes à Philippi Regis ſubſidio. Hoc tempore dum peſſima lue, fœdiſque morbis ad excidium penè corripitur Veneta claſſis, rei gerendæ occaſio traxit hoſtes in agrum Sicenſem, ubi Retbilizum, & Daſſena oppida, illius provinciæ quaſi aſſurgentes ſpeculas multa ſtrage, hominumque captivitate expugnant, & populantur: parumque abfuit diſſentientibus militari ſimulatione tribunis noſtris quò minùs ultrà pergerent ad occupandum Sicum, niſi irrumpentes fortium fœminarum continuiſſet audacia,

quæ,

quæ, intentis alibi viris, vacuà urbe egressæ, tandiu naviculis, pilis, saxisque sinum, & portus fauces tutatæ sunt, donec Petrus Pisanus Cæstæ promontorii custos auxilio veniret, ac muliebrem vim fugientes hostes, quà cæde, quà vinculis debellaret. Pari fortuna captum, & exustum Dobrovodum, Turcicæ ditionis municipium, duce Alexandro Donato Antibaris Prætore. Sub hæc revertitur Byzantium Cubates cum Veneti Senatus responso, quod, vix dici potest, quàm superbum Regem, omnia suo fastu complexum, pupugerit: prohibitus ob hoc M. Antonius Barbarus Legatus, custodia addita, domo exire, idemq; in alios Alexandriæ, & Assyriæ Venetos Consules statutum. Jussus Amurathes cũ XXV triremibus subsidia Cypro avertere, & Pialis cum LXXV reliquam Mustaphæ manum ad Rhodum expectare. Ita seriò per hostes evulgatum est bellum, dum interim apud nostros contentionibus ad ignaviam certabatur, subsidente more suo Auria, qui ambigua Philippi auxilia nostris copiis adjungere, obtentu regii mandati, sese posse negabat. Marcus Antonius Columna Pontificiæ classis ductor cum XII triremibus Veneto agmini adhæsit fideliter. Cęterùm otii, quietisq; impatiens Sebastianus Venerius, ac sua incensus virtute in proximum continentis Chaoniæ oppidum, Suppotum, montanum, & celebrem latronum piratarumq; nidum evertit. Verùm, quoniam sine accolarum studio consilia haud ita facilè cessura videbantur: mixta donis ingentia promissa, pertæsum jam inde etiam Turcici dominatus Epirotam in nostras partes traxere, atq; sic jurejurando, & datis obsidibus firmata societate in hostes promotus à classe miles acriter bellum miscuit, diuq; tentatam, & impetu, & tormentis alpinam sedem, scalis vltimò ad irruptionem aggressus est, omnia ferro, & flamma, si votis cederet, vastaturus. hoc postquam incluso hosti perspectũ esset, noctu ille muros transgressus per scopulos, cautesq; vitam fuga redemit: nostri sub auroram vacuis męnibus potiuntur:

quo terrore pleraq; circùm loca Veneto adhæserunt. Dum hæc fiunt, Turcis multum, & anceps fuit de belli primordiis consilium: quidam infestandum Adriaticum mare, alii impedienda in Cypro subsidia, nonnulli Cretam hostili motu terrendam, suadebant: at avido Regi insedit desiderium ipsam, qua insaniebat, insulam adoriendi. Ita obtinuit, ut Chium peteret quamprimùm Pialis, eoque loci omne futuræ expeditionis robur cum Mustapha expectaret. Principis voluntatem consecuta extemplò sunt prospera facta. Rhodum cum CCC navibus in unum collecti hostes appellunt, in Cyprum inde pro commodo trajecturi. Ubi in publicam vocem tantorum motuum fama erupit, Zannius, ut venienti bello occurreret, tempestivè in Cretam transmisit: ibi navalium sociorum jacturam partim voluntario remige, partim invito, & ex hoste adjacente tracto, redintegravit. Hispana classis per eos dies regio jussu Venetæ jungitur. Sic sociatus miles, quò ad subeundum laborem inertior, eò ad discordias promptior, inanibus primùm jactantiis, mox frivola rerum circumspectione, & vano consilio, classiariis Turcicis aggrediendæ expeditionis tempus reliquit. Interim Mustaphas, & Pialis de Christianorum gestis edocti, nihilque ultra nec verendum, nec cunctandum rati, securo tandem cursu Cyprum tenuerunt. Calendis Quintilibus è Papho Barbara classis conspecta, inter Curium promontorium, & Limissum subsedit. Circumferebatur intereà, quàm maxima poterat, in omnem partem, & in universam insulam diligens cura Reip. tum subvectando intra oppida, & arces commeatu, tum opportuno milite, & opere dubia firmando, passimque & naviter ad tantæ molis experimentum diducta, & circumfusa auxilia. Nestori Baleonio supremo castrorum Præfecto Regni sedes Nicosia, antiquis Trimethus, demandatur. Marcum Antonium Bragadenum Tamasso, seu Famagustæ, adsistere placuit. Nicolaus Dandulus, per Venerii absentiam, totius insulæ imperium vicario

vicario honore suscepit. Deliberatur inter belli duces de omni fortuna:& in primis sparsa circa Nicosiam loca, vicisque complanati, quò prospectus in hostem liberior ad omnes casus pateret. Porrò nihilo æquè statura Cyprus videbatur, atque robore, nervisque militum Italorum, sed fœdum, & atrox exitium intra eos dies ita miserum vulgus putri morbo, & sæva lue confecit, ut per summam vastitatem nullus omnino par hosti numerus superfuisset, nisi ex sociorum delectu utcunque in præsens suffecti ordines fuissent. Meliore fato Othomannicarum partium proceres momenta rerum captabant. Nam cùm alibi Petrus Rondacius Epirotarum ductor infestiorem iis in terram redderet descensum; versis navibus ad Salinas, securo patentique littore concedunt, nostræque admirabundi segnitiei, nullo obsistente XX peditum millia exponunt. Ubi igitur solitudinem vident, certique nullum subesse dolum, pari clamore & impetu res Cyprias invadunt, omnes circùm incolarum opes proterunt, fruges & agros ferro ac igne vastant, diripiunt vicos, passimque omnis crudelitatis ac ferociæ edunt argumenta. Hæc inter à ducibus agitatum; placeretne primum Nicosiam, an Tamassum adoriri. Pialis, cui priùs hæc tentanda videbatur, situm urbis natura, & arte adhuc debilem extollebat, & imparem obsessorum numerum, ac proinde minores animos: exemplo demum ejus loci cessura per metum reliqua. At Mustaphas in Nicosiam, ceu belli caput ingerenda spicula disseruit: plus meticulosæ turbationis inter plures esse, imò plura laborum præmia ex ingenti, & diuturna felicitate divite oppido. Sic decretum, eductaque in eam expeditionem L peditum millia, & quingenti supra duo mille equites: simul armatorum IV millia, cum recentissimis equitum adversus Tamassum immissa, unà cum impedimentis auxiliorum, cæterisque usui cessuris. Igitur ad Nicosiam hostiles ostentatæ vires, explicata nullo obstante castra, omne tormentorum genus aggestum, militarique

vallo circumdata urbs. Hæc vt procul à Dandulo, Regni Præfecto visa sunt, ingenti formidine trepidare, pavore concuti,omnia desperare,ut paratissimum quemque exemplo pessimo,quasi certi exitii præscius consternaret. Tamasso ob id in spem subsidii evocare placuit Baleonium, & admonere periculi morantem in Creta Zannium:at Bragadenus virum, quo sibitum opus erat, neque dimittere potuit, neque navis speculatoria, mali nuncia, impediente Turca, optatum tenere cursum. Sic desperatis rebus, quam Dandulus ignominiam, & labem abolere humana virtute, & virili manu poterat, votis, indictaque prece conatur avertere. Pium populi studium mira Francisci Contareni Paphii Antistitis religio excepit & promovit. At hostes prosequi valdè oppugnationem jugi tormentorum verbere, fesso per diem militi nocturnum subrogare, nihilque penitus omittere, quod propugnaculi Constantini, & Podocatari excidium maturaret. Ea necessitas, seu fortuna nostros quasi lapsos ultima lege restituit. obfirmati enim inter se denso procursu exceperunt Turcas,meridiano labore, æstuque torpentes, consternatisque nostri instare, sternere obvios, palantes occidere, tormenta clavis configere, metum cæde miscere. Hæc læta initia hosti esse potuissent fatalia, si equitum phalanges monitu Danduli martem æquassent: at ille solita excors ignavia ab egressu cupidos, vel propria manu, retraxit. Sic ubi timidissimus imperator neglexit fessos & sole & pugna juvare milites, sub ipsis portis à recollectis hostibus mactantur,scelere ducis exclusi. Hinc Nicosiæ mœnia quantò minùs spei obsessis ad præsidium, tanto plus fiduciæ Barbaris ad victoriam dabant, qui proinde clade sua cauti ultra instare, oppugnationem firmioribus operibus,vineis,& cuniculis properabant. jamque legiones hosticæ fossis oppidi, & propugnaculis hærebant: quin etiam pone instantium ictibus cesserant defensores. Ex his languere palàm Cypriorum animi omni opis spe

fru-

frustrati, cedere labori, & fortunæ visi sunt, nisi quos, aut deditioni proposita spes, aut sanè præclaræ mortis solatium animabat. Non jam amplius clausorum lãguidæ vires Turcas morari poterant, quò minùs vallum subruerent, effoderent Podocataram munitionem, quaterentq; portas, gladiisque & securibus captivę urbis aditum sibi aperirent. Irrupere ergo armatę cohortes, in sævitiam, & cædem, supra quàm credi possit; ubi quidquid inter castra, forumque vacui, immodica strage, & varia ubiq; cadentium forma, ac omni imagine cladium completum est, Mustaphas post hæc cruẽtam urbem ingressus, primùm edixit, ut ab armis, necibusq; cessaretur, promissa inermibus salute: facinori fidem suo jussu addidit Dandulus, utque arma abjicerentur in spem vitæ cavit. Tum verò securitate corruptior hostis militari licentia ubiq; grassabatur, non dignitas, non ætas, non aræ protegebant: & matronæ, & religiosissimæ virgines, & sexus omnis ferro, ac stupris fœdatus. Nicolaus ipse Dandulus, Contarenus Paphi Pontifex, cæterique magistratu, & fama clari contrucidati. Inde facibus sævitum, quas, ubi prædas extraxerant, in vacuas ædes, & inania tecta, jaculabantur. Hunc Nicosia habuit lacrymabilem omni ęvo exitũ: XX hominũ millia eo die cecidisse constat: XX ex primoribus tantùm superfuere exitio patriæ. Destinata barbaro Regi opulentissima spolia Cõstantinopolim cùm veherentur, arsere ingenio memorandæ Virginis Cypriæ, Arnaldæ Rocasiæ, pudicitiã, & suorũ cineres novo igne vindicantis. Tamasũ inde pernicibus armis, ventisq; promotũ XIX. Kal. Oct., ubi, ad terrorẽ, Danduli rescissum caput Bragadeno ostentatum, ne quã ultra spẽ foveret. At ille verso in virtutem metu, urbi sibi commissæ undequaq; prospicere, duces stimulis gloriæ, milites fiducia excitare, atq; in omnium aspectu perfici rem sacram jussit, jure jurandoq; fidem à paratis civibus tulit, in omnes casus duraturam. Emissæ nonnullæ leves turmæ nõ inutili velitatione hostes ab operibus bellicis distinuere,

cùm

cùm interim murales quoque machinæ in subeuntes non fine strage immitterentur. Quare majoris periculi pavens Mustaphas, inclinante jam etiam anno, castra dimovit Tamasso. Discedentium stationes aggressus Baleonius, solo complanavit, non paucis à tergo cæsis fugitivorum. Sed nulla longi temporis felicitas:& hæc dum fiunt, variatum non leviter inter nostros classiarios duces in Creta de auxiliis maturè deferendis. Auria, causatus hyemem, & imminutam lue classem, cessit tandem Zannii consilio, ut in hostem iretur. dicta profectionis die, ad Heracleam, quæ nunc Sitia, jungi classes convenit. Hinc cùm ad Chelidonium promontorium è regione Ciliciæ transportarentur, suborta tempestate Pontificiæ ac Venetę triremes portum ejus provinciæ, incolis Vathium, ingressæ sunt. Auriæ sub anchoris in alto stetit. Sic morantes infelix Nicosiæ nuncius, heu nimiùm tardos excepit: singulos duces pudor, & conscientia desidiæ mutuis obtutibus arguebat: præclarum fuisset, & utile, ut, quicquid irarum in castris conceptum erat, in hostium capita continuò effunderetur; quia puncto sæpè temporis maximarum rerum momenta vertuntur: unum Cypriæ salutis auxilium in celeritate situm erat. Verùm Columna, & Auria muneris sui obliti occidentem solem deliberato in hyberna animo spectaverunt: ita, proh nefas, continuata socordia Veneti quoque relicta Cilicia, Cretam repetiere, quò tuta omnino Turcæ triumphatori Byzantium pateret via. Levia exinde, ac variæ sortis prælia ad Parum insulam gessit Vincentius Maria Priolus, & ad Pargam Franciscus Cornelius: Ille de speculatoriis hostium navibus, vel in morte victor; hic illustris jactura oppidi, atque adeò in ipso quidem aspectu Corcyreæ classis notus. Intereà perculsus improsperis successibus Senatus Zannio diem dixit, summumque maris imperium meliori spe Sebastiano Venerio commendavit, designatis in bellicam legationem Marco Quirino, & Petro Throno, ut vel sic

cum

cum ducibus fortuna tandem mutaretur. Pium quoque Pontificem non levis publici excidii angebat cura, nec prorogandam censebat hostium vindictam, cùmque non posset ab uno Veneto imminens Christianæ Religioni servitium repelli, salubri, constantique opus esse fœdere. In hoc dum summus Antistes Hispanum accuratè concitat, Granvellanus ambitiosa controversia cuncta suo Regi deferens, societatem nobis cum pernicie, sibi cum fortuna securitatem deposcebat. Cæsarem haud oblitum induciarum memoria octennalis pacti: Carolum Gallorum Regem intestina dissidia nunc etiam à laude, officioque continuere.

Tamassus expugnata.
MDLXXI.

QVasi non esset usquam dimicatum sic arma rursus præsenti anno tractata, licèt Turca, ut Barbarus, Venetus legatus nunciabat, belli calores difflaret mendacio pacis. Primùm Marcus Antonius Quirinus copias auxiliares XII triremibus cum supplemento Tamassum festinare jussus: & secuta consilia ducis est mitior aura, quæ intra quintum diem classem in portum dedit, ubi desidia, & securitate effusos hostes circumvenit, eosque cum insigni navium clade disjecit, ac suos annona juvit. Verùm qui per belli compendia Epidamnum tentabat Venerius, modica fama, & exitu nullo Corcyram discessit, ut Pargam muniret, cui, fuso id temporis Emanuele Murmuro, Turca imminebat. Pari fortuna acta res apud Alexium Scodræ munimentum per Jacobum Malatestam, rebus tamen adversis laudatum, quòd à suis desertus caperetur. Subinde in maximam spem belli, lætis ubique omnibus, Venetiis nunciatum est, fœdus Romæ sancitum inter Pontificem Pium, Hispaniarum Regem, & Venetum Senatum: in legem mutuæ fidei CC triremes, naves C decretæ, quibus

L mil-

L millia peditum Europæorum. IV equitum, & quingenti cum valido apparatu per Joannem Austriacum summum totius classis Præfectum in hostes quamprimùm moverentur. Sed hæc Principum Christianorum studia cito occursu eludenda sibi ratus Selymus imperio maris Pertaum acrem virum suffecit, abrogato Piale, qui per ignaviam, Cypro superiori anno digrediens; Venetis Cilico littore jactatis pepercisse ferebatur: Halis quoque, destinato cum milite per Lybicum mare, ascitis sibi in itinere Epidauriis, & Mitylenæis auxiliis, in Cyprum primo vere trajecit. His auctus Mustaphas, positis confestim operibus Tamassum circumsedit; at iterùm Bragadenus contracto militum robore cum Baleonio insultantes Turcas ingenti animo, & civium fide sustinuit: plura ausurus, si de suppetiis Nicolai Donati constitisset, quem mari orta tempestas in Cretam denuò rejecerat: eoque loci maximam belli famam agebat Pertaus circa Cydonem urbem, ferro & flammis in obvia quæque sæviens: erat eadem in ora Quirinus XXX triremibus, & in oppido Lucas Michaelius incolarum fido robore subnixus. Hi disposita classiariorum, & civium opera ingruentem tum maximè Turcam à portis cum strage repulere. Hæc propter ille in Rethymnam trahitur prosperiore eventu; cùm inde egressus Hieronymus Iustinianus cum parva suorum manu in tutiora loca viam sibi aperuisset, densatos hostium cuneos cædendo: Ita in vacuam urbem translata sunt arma, militibusque permissum vastare, vrere, agere prædas, atque etiam desævire in sepultorum cineres insigni flagitio, quod tandem pòst diro naufragio strageque non modica eadem in insula castigatum accepimus. Parem barbarorum insolentiam, furoremque Cythera, Aegialia, & Zacynthos persensit; nonnullæque nostrorum naves fraude deceptæ in arbitrium hostium venere, at vix integræ, propugnantium fortitudine. Joannis Thomæ Constantii virtus florenti adhuc ætate, & pro religione consecrata captivitas

vitas nulla privata laudatione indiget. Omnia Senatui à Venerio nunciabantur: quamobrem illi Patrum responso injunctum, ut, relicto ad Corcyram opportuno præsidio ad Messanam Siciliæ urbem se Pontificiis,& Regiis conjungeret, communibus consiliis in posterum usurus. Digresso Venerio, amor potiundæ Corcyræ hostes invasit: quare in provinciam reversi, & ex insperato aliquot nostrorum triremes adorti, Franciscum Thronum trierarcham in ipso portu in vincula conjecerunt: ad hæc, dilapsis in fugam reliquis auxiliaribus, Pargam occuparunt, conversisque proris, viribusque Suppotum primùm vi, inde Olchinium deditione ceperunt, paciscente Hieronymo Venerio urbis Prætore corpora & vitam. sed nihil in barbaro milite sancti: pro genio, odioque gentis debacchatum. turpis exempli, similisque exitus contagium contraxit Alexander Donatus,& Augustinus Pascalicus: hic Butuam fuga reliquit hostibus; ille, quamvis incitante Joanne Bruno præsule, ut pensitaret quid patriæ, quid sibi deberet, Antibaris extitit inutilis Prætor. Elati successibus hisce Barbari, & Adriaticum ingressi Uluzzalio duce cum LX triremibus Corcyram nigram (ea hodie est Curzala) invaserunt: non fortior hìc Rector, neque robustiores oppidani, qui cum Antonio Balbo Prætore conjugum ac liberorum immemores silentio noctis in specus, & latebras abierunt. Memoriam apud posteros æternam assecutæ sunt mulieres, quæ armatos, & incubantes urbi Turcàs fugientium virorum armis aditu prohibuere, vigilias, stationes, & si quæ alia præsens usus exegerat viriliter inter se partitæ. Ad nuncium intimæ classis, mediterranei quoque hostes in Epiro, atque Illyrio in fines Reipubl. irrupere, Salonamque & Saxum castrum subverterunt: Spalatum in fide mansit. Sævum hoc cladis miserandæ fatum vix verbis exprimi potest, quàm Patres,& cives, intumescente magis, magisque hostilium victoriarum cursu, torserit. Etenim cùm de unius re-

medio consultaretur, alia superstabat calamitas: quin vis credebatur etiam strui, qua, domita Histria, excidio urbs ipsa Venetiarum destinaretur. Verùm nihil omissum in ancipiti hoc Reip. statu; volutatisque rationibus placitum littora communiri solertia Vincentii Mauroceni, & subinde Iulii Savorgnani præsidio firmari. Sensit hostis ex metu vim, & socia arma citiùs opinione sua parari, & ideò reditum in Hellespontum occludi posse: itaque neglecto Ascrivio, Aulonem primùm, inde curata classe Corcyram latus est, haud læto exitu. Animum ab ipsa necessitate mutuatus Aloysius Georgius, cœsis, qui per imam planitiem obstabant, cæteros omnes suburbiis fractos, & nihil prætereà ausos in classem rejecit: illi fœdata incendiis insula, Naupactum navigarunt. Hæc inter legati ab Senatu missi fœderatos ad bellum, & ad opus tempestivè ciebant, ne si diutiùs protraherentur suppetiæ, Tamassus belli causa per cunctationem hostibus cederet: itaque effectum, ut maturatis plùs solito rebus, Barchinone tandem Joannes Austriacus Genuam, inde Neapolim solveret, ubi XIX. Kal. Septembr. fœderatæ militiæ signa solemniter suscepit: hinc digressus Messanam pervenit, festivis à classe acclamationibus, & omni genere cultus à ducibus Columna, & Venerio exceptus. Porrò, dum hæc ad Messanam, in Cypro Tamassum sua fata agebant. Huc enim intentus Mustaphas, & accelerandæ victoriæ attentior tractare omnes oppugnationis vias, & quatuor erectis munitionibus, XXIV magnis tormentis, suffossis utrimque ad tutos remeatus aggeribus, mœnia certissimis ictibus verberabat, ita pluribus diebus hostium assiduitas egregiæ disciplinæ ducem Baleonium non sine aliquo damno fatigavit. Orta sub hæc à milite sæva lues promiscuis morbis urbem miserabiliter afflixit, quæ res non leviter Bragadenum exercuit, coegitque inutili plebe, ceu pestis esca, urbem exonerare. Cæterùm Turcæ stratis viis, congestisque telis augere obsessis pericula, & propinquo

quo terrere discrimine, amolirique defensores. Nostris haud absimili vigore reddebant intorto igne inimicas vices, simulque ultionis, & gloriæ avidi perfidos hostes pilis eminus fundebant. Sed & apertæ vi occultos etiam dolos Turcis addere visum est: cuniculis enim indiderunt tormentarium pulverem, qui concepto igne ita repentè solum, urbisque muros elisit, ut horribili fragore tota insula, quasi suis sedibus avulsa, contremisceret, disruptæque ingentis ponderis moles urbem, ceu quodam destinato fulmine, ferirent. Hinc Mustaphas hortatur suos, ut in denudatas phalanges impetum facerent, viamque strage Venetorum in mœnia capesserent. Sic plerosque irruptionem conantes Nestoris Martinengi, & Herculis Malatestæ occurrens virtus continuit. Turca, quia tum non vicisset, quasi pro victo esset, ad tertium Id. Quintil. oppugnationem aliquantò atrociorem, quàm ante aggreditur. Eo die pro fato concursum, utrisque necessitas aderat. spes hosti in sua virtute, salus ex victoria Veneto erat, cui expectationem externæ opis per id tempus imminuerat nuncia è Creta navis. Igitur hostis inaudito stratagemate urbem aggreditur: pice illitas frondes, & sicca virgulta, & si qua materies apta alendo fovendoq; igni, ad mœnia coagmentat, farcitque stupa & plumis, qua inflammata tantum repentè mixta caligine incendium excitatum est, ut miseri cives fumo, & nidore propè suffocarentur, aucto etiam per eos dies ventorum impetu, quo tetra illa nubes faciliùs sese in miserabiles animas insinuaret: hisce tenebris addita frequens oppugnatio, quæ continuos dies, noctesque summa laborum, & cladium specie durata est: emissæque è muralibus machinis horridæ grandines: quantoque conspicui minùs propugnatores, tantò pluribus vulneribus obnoxii. In hunc modum promotæ vires, artesq; in III. Kal. Sext. ubi exoneratis primùm omnibus æneis tormentis patentes ruinas corona adorti, per summam contentio-

nem muris hæsere, aut mortem, aut victoriam eo momento reportaturi. Prioris voti compotes fuere primi murorum inscensores, acriter, & ab invicto hucusque Bragadeno, & Baleonio accepti missilibus flammis, quibus ita temperatum legitur, ut sub hanc diem in summa copia tres tormentarii pulveris cadi obsessis solùm superessent. Et erat ea Veneto duci mens commissæ sibi urbis ruinæ immori, ni Mustaphas mentione colloquii civibus fiduciam vel pacis, vel vitæ intulisset. Simul itaque primores civitatis Prætorem circumfusi orant, ne, si erga Rempubl. Venetam sat fidei, & sanguinis datum ab omnibus insulæ ordinibus constaret, Tamassum mallet imminentis excidii triste bustum, quàm vivam communis constantiæ, & laudis imaginem: hæc gemitu & lacrimis omnium, & maximè futura volventis Baleonii hortatu, ferebantur. Itaque sibi ipsis permissi cives deditionem cum jurato Turca his pactis præscribunt, ut militi, & si cui alteri magis liberet, discessus ex insula tutus esset: incolis futuris libera religio, integræ fortunæ, utque omnis injuria plena pace sopita foret. Mustaphas judicium in præsens haud aspernatus, primos congressus Bragadeni, Procerumq; mira lenitate captavit non vultu alienatus, non verbis, ita iram barbarus condiderat: vagis deindè sermonibus Prætorem criminatus, contra fidem suprema nocte ducentos Turcas in arce necatos arguit: neganti accusationem vincula, & contumelias adjecit Mustaphas, prolapsumque ad pedes ambabus auribus obmutilari jussit, mortem quoque minitatus. Itali sub id & Græcorum plures à juris humani ignaris occisi: inde in publicam ferociam itum, solo & parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ, objecta feris cadavera, aræ, & Divini numinis majestas sacrilegio fœdatæ, versæ in superstitionem impii ritus sacræ ædes, totaque civitas cruore, & probris commaculata. Bragadenus duodecimum post diem hostilibus castris extracto, ubi nequicquam

blan-

blanditiis ad novam gentis, cultusque insaniam pellectus esset, vivo detracta pellis, acerbissimo genere mortis, laceræ carnes bestiis projectæ sunt, fartamque palea cutem ad vivi hominis simulacrum per vicos & urbis compita barbarus miles, perque Ciliciæ atque Syriæ littora circumtulit Turcica classis, vt sic mortuo etiam per scelestum ludibrium illuderent hostes, utque nullus extaret locus, in quo crudelitatis ac perfidiæ impressa vestigia non inspicerentur. Hæc Tamassi, celeberrimæ in Cypro urbis, expugnatio fuit: hic totius Insulæ occasus: spoliis, viris, terris ingens victoria Barbaris, quorum evertendo imperio utique suffecturæ essent Christianæ vires. Sed dum inanibus titulis hac tempestate jactamur, ab iis contenti non lacessiri, pacis, bellique momenta expectamus, ac intereà nostris vitiis, & sua virtute, felicius Turcis imperium sternitur.

Navalis de Turcis victoria ad Echinadas. MDLXXI.

CÆterùm hunc ipsum annum omni posteritate memorandum effecit navalis de Turcis victoria. Ne igitur fœderati imperatores cunctando semper Messanæ desides hærerent, lustrata classe Corcyram XV Kal. Octobr. adnavigarunt pari consilio, animisque ut quamprimùm prælio cum hoste decernerent. Ubi illum Naupacti sinum CL. navibus tenere cognitum est, Uluzzalium Methone commeatus aliis L. procurare, tum in altum provecta Christianorum classis quæ CC erat triremium, quinqueremium majorum VI, navium verò XXV, & complurium navicularum, post varias in rem præsentem deliberationes, Nonis Octob. sub primam lucem ad Echinadas scopulos, Acarnaniæ adjacentes ex adverso ostii Acheloi fluminis, vulgò Curzulares, subsedit. Hic hostem in conspectu habuit

auctum

auctum robore, suffultumque triremibus CCXXX; biremibus LX, quamvis errore speculatorum utrinque pauciores crederentur. Interim numero suorum Halis falsò confisus è portu Corinthiaco solvit, sinuataq; in medium orbem fronte Galatam tenuit, postridie ad libitum nostros, ut rebatur, invasurus: proinde fœderati in Corinthiacum, tunc vacuum, sinum proras & ipsi obverterunt, inter quas freti fauces cùm laxare commodis intervallis non possent remorum ordines, superata portus angustia hostem non plus millia passuum XV cominus obvium conspexerunt, cùm subitò consecuta maris tranquillitate, sudum cœlum factum est, ut Superos præsentis naumachiæ spectaculum duxisse fatereris. Joannes Austriacus præsentium rerum momento quàm maximè permotus, celoce hinc inde pernix singulos duces militesque virtutis admonuit, atque ex ea acie cunctis aut compedes, aut certè direpti possessique maris ingentes manubias pendere: nec minùs Venerius maritima nostræ gentis trophæa, & in hos ipsos hostes olim illatas strages, & cõmunia libertatis hucusque jura proponebat. Sed & ipsi Turcæ diversis ducum verbis incitati vocum strepitu, armorumque tumultu truces, more gentis, personabant. Cùm intra teli jactum remigio hinc inde proventum est, Halim ferunt non mediocriter defixum hæsisse, ubi paratas ad prælium nostrorum vidisset naves, quas fugam meditari opinabatur, specie stationis ab Auria in altum effusæ. E quinqueremibus in proximum, procacemque hostem in primis detonuit Franciscus Duodus, similiter cæteri myoparonum præfecti jaculabantur glandium nubes, quas dum exterriti Turcæ per citatos remiges, & à fronte, & à tergo, & à lateribus ingruentem declinare student, in dispares intricatosque giros dissipatur nauticus labor: ita per confusos circuitus nisusque statis ordinibus erratum est, incœptam auxere turbationem nostri, majorum minorumque tormentorum jugi ac horribili

fra-

fragore, qui circumjacentibus ſcopulis & anfractibus repercuſſo gemitu terras, & maria concutere ruina gravi,, & cœlum ipſum largo mugitu ſubvertere videbatur. Nec ſegniùs ignibus ſuis furebant barbari, diſpare tamen clade: quippe eminentes ſuarum triremium, naviumque proræ altiùs globos projectabant, quàm ut ſubmiſſas noſtrum puppes contingerent: noſtræ recta, nec incaſſum unquam in hoſticum apparatum collineabant: ſic non paucæ perforatæ, contuſæque ſub initium aquis demerſæ ſunt: atrox exinde pugna, & promiſcuæ clades, nunc hos, nunc illos impellente fortuna. At ſpem pugnantium augebant ipſi Imperatores Auſtriacus, & Venerius, qui in triremem Halis vivido conatu delati, ipſum belli caput adfectabant: & hic acerrimus quiſque noviſſimam vim parabat: nec minùs effuſis hoſtibus ad tutelam acrior impetus, & jam noſtros ab infeſſa puppe exturbaverant. Porrò nova acie impetitus Halis plumbea glande corruit, & imperatoriam navem noſtris, vitamque ſimul deſeruit. Halis præciſum caput in conto omnibus ſtatim oſtentui fuit. Poſtmodum altera capta navis, qua præfecti claſſis vehebantur liberi, Pertai, & Caracozæ tribunorum triremes quoque in poteſtatem venere, momentoque ipſe Pertaus, in fugam actus, Naupactum ſe recepit, Caracoza in prælio cecidit. Sic media acies uno conatu profligata eſt, cùm interim ex alia parte XXX roſtratæ in cuneum ſtrictæ à reliquis fuga disjungebantur. Non tulere incruentam hanc hoſtium fugam legati Antonius Canalius, & Marcus Quirinus, perſecutique fugientes crebris tormentorum ictibus disjecere. At verò in dextero cornu horribilis armorum erat facies, & aliæ ſuper alias cædes impigrè utrinque geminabantur. Uluzzalius in XV fœderatarum, quæ ſpatio à cæteris avellebantur, libero illatus curſu, cùm viribus & numero impares inveniſſet, peſſimè turbatas habuit, culpa plus juſto diſtantis Auriæ, qui tamen ratione callidioris diſciplinæ exinde

exinde vitium texit, quasi in restrictos, & circumventos hostes incitatiore à tergo impetu fuisset recursurus. Cæterùm Uluzzalius, cùm ob hæc & scissum agmen, & fractos ordines signorum, & surdas ad imperia suorum aures, & in se properos hostes videt, è re periculum instans cavit, cursuque celeri per hosticam lapsus classem, obversis in Echinadas proris rapitur effusa fuga in Corinthiacum sinũ: cęteri hostium suo fracti periculo nostris concesserunt. Hoc maximè modo ad Echinadas à confœderatis Principibus navali prælio pugnatum est, quo fusus Turca documento fuit Barbaros vinci posse. maximum ad victoriam momentum fuerunt Venetæ majores quinqueremes sex, vulgo galeatiæ, quæ ipsius Austriaci judicio solido robore, & usu tormentorum longè alias naves præstiterunt. Certatum est à decima septima diei ad vigesimam secundam, victoriaque parta, quam Pontifex verè Pius certam à Deo fuerat pollicitus; eiusque lætus, ac felicissimus exitus non per homines, sed per cœlestes nuncios eidem allatus dicitur ipsamet die, qua contigit, Nonis Octobr. martyri Justinæ sacris, in cujus templo Senatus memor ingentis beneficii solemnitate anniversaria convenit. Atque in ea celeberrima pugna alter ducum alteri ita profuit, ut dijudicari vix possit uter utri virtute anteferendus. Pontificius, Hispanus, & Venetus laudatis facinoribus se gessere. Nullus de loco, summis ut antea simultatibus, contenderat: singuli privatas controversias pro Republica, tunc periclitante, in hostes vertere, tanto virtutis consensu, quantum præteritis annis fortasse fuerat inter diversos moribus, & æmulatione dissidium. Captæ triremes ferme CC: ad XXX Turcarum millia extincta: VI millia captivitati tradita: Christianorum XV millia servitio exempta: ducta ingens præda: nec ulla re magis hostium strages, quàm sub vesperam patuit, cùm per infectum sanguine, & spoliis æquor sex millibus passuum victrix classis veheretur in portum Petalam: unde divisis

visis

visis prædis; & jam ingruente hyeme, Austriacus Messanam, Columna Romam abierunt. Nostris per varias impressiones acta hyems est, Malgaritinum in Epiro funditus excisum, duce Venerio: Suppotum à suis metu derelictum flammi exustum: Leucas terra marique nequicquam tentata per Jacobum Superantiun, imbribus, & hostium disciplina nostris infausta fuit.

Varii cum Turca conflictus. Pax. MDLXXII.

MAjus videbatur imperium suum Selymo, quàm quòd ullis externis viribus debilitari posset. Pertinacem itaque animum in nostros sua armabat rabie; nec cunctanter quidem Uluzzalio ferocia pro virtute erat. Is anno insequenti summus classis imperator cum C & X triremibus, compluribusque aliis navibus Hellesponto egressus nostrorum cogitationes, & consilia non parùm acuebat: & multum sanè Reipub. decessisse videbatur morte Pii Quinti, etsi in Gregorio XIII idem studium revixisset, ut communibus viribus, renovato inter Christianos Principes fœdere, communis hostis penitus debellaretur. At dum plus nimiò ab Hispanis mora trahitur, Senatus veritus, ne quid Austriaci tarditas præsenti rerum statui imminueret, Jacobum Fuscarenum Venerii legatum jubet cum Marco Antonio Columna, iterùm in expeditionem destinato, Corcyra per Ionium in Turcas quàmprimùm solvere. Classis, quæ erat CIX triremium præter alias omnis formę naves, & myoparones, ad Gomenitias primùm delata à speculatoribus intellexit hostem in Argolico sinu tutum, nec propelli natura, & situ loci, nec in pugnam trahi posse: quare ad Maleam visum est abire, ut vel sic aperto mari ultrò prorumperet. Ita elatæ aliquot hosticæ triremes cùm in Colubrarias insulas eveherentur nonnul-

lis tormentorum ictibus in certamen sollicitabantur. Uluzzalius victricis classis impetum retardare contentus, cunctando, fugiendoque novis artibus nostrorum conatus elusit. Ejus tum impetum veritus ad Cytheræ littus suas naves inducit cauta vafritie, ut eodem tempore quinqueremium fulmina evitaret, & simul ubi res suaderet, facilè in terram è propinquo exiliret. Dolus Legatum haud latuit: ille continenti prior succedens hosticas in agmen trahere connixus est. at hostis nostrarum machinarum, fumum & atram caliginem tormentis suis excitans, cùm jam etiam tenebresceret, nocte & astu cum tota classe ad Tænarium promontorium confœderatorum ictus & oculos pariter evasit. Illi fugientem aliquantisper insecuti sera nocte Cytheram reversi sunt: neque hìc diu hæsitatum, quin altera suborra luce Turcam excirent. Hosti nonnihil increvit audaciæ, pugnamque, ubi necessitas postulasset, non derrectando, erupit, paratisque lunata specie puppibus, veterem ignominiam aboliturus, in certamen processit. è vestigio adfuit à dextero cornu Jacobus Superanrius, jugique vi Turcam momento ferme perturbatum obliqua strage pressit, & in ipsa fuga dissipavit. Plurimùm nunc quoque nostrorum ducum virtus in media acie potuit, ubi Uluzzalius dirè exagitatus cunctari, subsistere, nec sat mentem, & arma expedire, undique hostili captus manu. Hanc properè conficiendi belli occasionem cernens Fuscarenus in desperatos, & jam cedentes vocavit Columnam: hic verò, nescio quid caussatus, subsidens, hosti commodam, proh nefas! præbuit fugam: atque ita Uluzzalius citro remige, sed magis nostris dissidiis, vitam tulit. Exinde, surgente notho, cùm nihil aliud posset, nostra classis Cytheram delata est. At enim Nicolaus Surianus, Adriatici sinus Præfectus ignitis artibus, & valida oppugnatione Scardonam novam aggressus, eandem scalis admotis hosti extorsit. Intereà Austriacus cum Hispanorum classe Corcyram venit, cui obviàm universæ

fœde-

fœderatorum turmæ socias jungunt puppes: & visum est præter cætera Fuscareno cum toto apparatu CC navium in perturbatos hostes ferri, qui, ut habebatur, imminuta multùm incondita fuga, & pestifero morbo classe, partim ad Pilum, partim ad Methonem auxilia expectabundi morabantur. Hos adoriri placuit, indictaque acie Uluzzalius per multas horas evocatus, cùm prælium detrectaret, Coronem nostri deferuntur, cujus periculo excitatus Turca, relicta Methone classe, in eam oram duo millia peditum exponit, Austriacus totidem Hispanorum: ubi dum levibus dimicationibus pugna lacessitur, fœderatis animus subit Pilum, vel Methonem oppugnandi. Negotium Alexandro Farnesio cum sex millibus demandatum exitu nullo; patentibus quippe campis, nec materiam circa Pilum munitionibus aggeribusque aptam suppeditante humo, in naves truditur aperta strage. Quibus difficultatibus pressi Austriacus, & Columna, nullo alio memorabili facto, in Italiam, non sine aliorum querelis, & propria nota properarunt. Qui recessus, vt aliàs, multùm Patres perturbavit. Hos nempe esse socios, qui ne bellum tolerarent, rixas inducerent; quorum pars amica parùm Venetis, pars amica tantùm nomine; nulla boni spe classem ab ultimo oceano evocatam tempus itineribus, nõ bello terere, & ubi manus miscuerint cuncta sibi prætendere; ab hoste securitatem haberi post pacem; ab infido socio nec in pace quidem; tandem præteritam victoriam divinitus contigisse. At non cunctabatur Selymus: ad CCCC varii generis naves, duce eodem Uluzzalio, primo proximi anni vere educturus nunciabatur. Qui ingentes apparatus cùm reciproca classe, & opera excipiendi forent tempestivè, nihil tamen aliud parabatur apud socios, quàm societatis, & fœderum splendida nomina, & leves arrogantiæ tituli: immutato jam tum etiam Pontificis per nonnullos animo, in quo salutis cardo versabatur. Videndum itaque prudentibus erat, qua potissi-

mùm via bellum omne Veneta Respubl. conficeret. Eam sanè Purpuratorum unus Mehemetus Legatum docuit. bellùm pertæsus, ruinas, & incertos exitus, & quam, vel maximè Selymus oderat, navalem nostrorum gloriam, concordiæ nomen per internuncios cum Barbaro, Veneto Oratore attrectavit. Quare, ne Veneti semper externæ opis indigerent in communi malo, ne vita populorum per incerta maris, & tempestatum sine lucro, sed cum cæde volveretur, ne urbium, & provinciarum copiæ civibus turbas, non salutem parerent, Patres sub principatu Aloysii Mocenici pietatem suam adhiberi passi sunt his conditionibus, ut Suppotum Turcis restitueretur, possessa ante bellum in Epiro, atque Illyrio oppida eorum essent, quorum tunc temporis in potestatem devenissent, redderentur utrimque quæ bona negotiatoribus nondum soluto in pugnam dissidio, adempta fuissent.

Uscochi denuò repressi.
MDLXXVI.

QVamvis composito Turca maritimos turbines sustulisset, nondum tamen ad quietis stabilitatem profecerat Venetus, cùm fomes quidam, & quotidianæ turbationis causæ, Uscochi, superessent: & ut illi discretis variisque prædationibus maria turbaverant, sic à nostris quoque imperatoribus, non continuè flagitii pœnas persolvebant. Primùm sub hæc tempora, Sebastiano Venerio Duce, in eos classem intulit Hermolaus Theupolus, cùm illi piraticam rabiem per finitimos Turcas, Venetosque pari crudelitate exercuissent: jamque videbatur ipsum Hydræ receptaculum & fons Senia arctissima fame casura in dies, ad tantæ pervicaciæ internecionem, nisi diligens Maximiliani Cæsaris causa latronum pœnis, satisdationibusque nostros per dilationem tantisper exarmasset.

Nec

Nec diu apud assuetam latrociniis gentem, & jura gentium, & leges sui Principis potuere. Inscendere enim biennio pòst myoparones suos, & Illyricum subinde prænavigantes, primùm Turcici juris Macarscam furtis facibusque, inde Venetæ ditionis Sicenses, & Almissanos pudendis damnis perculerunt. Etenim cùm Rudolphus sua successione per eos dies nihil præter bonam mentem turbatis rebus, severitatis verò, & modi in suos expers imperium attulisset, Aloysio Balbo jussum, facinus piratarum acerrima obsidione, & quovis genere cladium vindicare. At non est morituris necessitas, versa in rabiem fame, inventaq; ex aliis latebris insolenti eruptione in Narentam amnem, ubi navigium Venetum multa ac pretiosa merce dives per scelus raptum est, & viginti Turcæ occisi. Non Senatus ultra, non Præfectus maris vim extremam differendam censuere, conjectantes præcipuum argumentum magni & implacabilis Turcici motus, si, ut aliæ gentis cædes, hæc quoque Amurathi, fervido dignitatis suæ assertori, nunciaretur. Rudolphus igitur, quantò summæ belli propior, tantò impensiùs pro pace niti cœpit. Itaque Carolo Archiduci non jam levem rei circumspectionem soliti moris, sed finem tam nocenti malo, solidamq; vicinorum requiem demandavit: Latrones perlato certæ mortis supplicio paulùm ficta obedientia siluerunt. Sexennio quievere: ac tandem rediit mos crimini suus, excursumq; frequenti rapina mare, non sine gravissimis Turcarum dispendiis, & querela. Hermolaus igitur Theupolus rursus classi præficitur cum mandatis, ut bellum ad internecionem in perfidos latrones administraret, eoq; necessitatis adigeret altrices impiorum terras, Seniam, Fluminis Vinadolique fauces, ut sua vastitate apud posteros fidem facerent nefarii & execrandi hospitii. Theupolus, ut jussus erat, per continentis oram, ultra, citraque scelestos nidos igne ferroque populatur. Serisam etiam, & præsidia castri aggressus, loci Præfectum trucidat:

turres

turres quondam perfugia latronum solo coæquat, famem intentat, omnia ultimò excidio depressurus: & jam ipsa vis dubios oppresserat, cùm ad nuncium Turcicæ expeditionis circùm Ubizam, quæ ad Seniæ littus protrahenda à Turcis ferebatur, victoria dirempta est. Quippe Senatus reliqui maris tutandi cupidus vincentem Theupolum, & extrema prælii meditantem ad Ascrivium cum classe ablegavit. Non ideò tamen tot cladibus pressi latrociniis diu abstinuere: seu levibus stipendiis, seu prædæ dulcedine permoti, rursus in furta sua, & in suas naves resiluerunt, & rapaciùs, & latiùs quàm ante. Nam Pharo, Brachia, & Corcyra nigra insulis expilatis, obvia quæque, tum Christianorum, tum Turcarum navigia, & merces depopulabantur: & jam labem, omnibus portubus incubantem, Amurathes in perpetuum volens extinguere, instructo apparatu Seniam cogitabat, nisi singulari consilio Marci Venerii Oratoris prospectum esset, ne classis emandaretur jure sancitæ pacis, & obtentu præstandæ in posterum per Venetos maritimæ securitatis. Et severiora quidem remedia temporum, ac pietatis conditio abhorrebat, infessa Pannonia, Mysia, & Liburnia: nam metus incesserat diffluere Turcam odio Austriaci Principis, maximè quia Clissam astu militari rapuerat per Uscochos in nostrorum confiniis, in quibus nihil movere fidei & quietis ad communem Italiæ tutelam intererat. Profectus tamen in Illyricum Benedictus Maurus est, ut jam ausuros populares vicino successu in officio contineret: nam erat animus comprovincialibus juvare Clissenses; sed eos exterruit Maurus, huc illuc ferens arma, & Uscochos, nostris maribus auxilia comportare ausos, opportuna classe cohibuit, quæ res Clementem VIII non mediocriter affecit: sed omnia tentare præstat tuendæ Reipubl. causa, & etiam barbaris servanda sunt sua fœdera. Cæterùm anniversarii hostes, nec ob id suarum artium obliti ad longum tempus sunt, Rovinii namque portum in Histria ingressi

ingressi nocturna manu mercatorias omnes diripuerunt: cùmque Hermolaus Theupolus sceleratos ad ultionem quaquaversum inquireret, ipse in accuratissimo conatu vitam fato reliquit ad maximam perfidorum licentiam. Illi metu soluti, quingenti Curictam delati, trecentis, qui facinus jam tum inibi expectabant, junctis, in ipso portu quinque Epirotarum longa navigia, & duas triremes invadunt: Epirotas, infesta sibi nomina, ad unum omnes trucidant, cæteros miserrima clade conficiunt: idem ausuri in Albonam, si per Marini Molini, tunc loci Prætoris, violentiam licuisset. hæsit tamen in Flanona barbaries, occisis incolis, occupatoque castello, ubi probro Venetorum Cæsariana signa extulerunt, extorto etiam per vim ab oppressis oppidanis sacramento fidelitatis. Neque atrocitas hæc per oratorem Ferdinandi Archiducis Josephum Rabatam excusari, aut componi potuit apud Venetos. Concitus per hæc Nicolaus Donatus non modò Seniam, conterminosque tractus, sed etiam ipsum Tergestum acriter insedit, in prædones ubique intentus, erectis duabus munitionibus, quà transitus fœdæ genti patebat. Non tamen animus pervicax ob id cessit, non quidem fiducia virium, sed quia extrema mole bellum pariter liberis, conjugibusque ingrueret, & quia maximè vegeti solent esse impetus pro vita dimicantium. Igitur insuetum iter in Histros per abrupta montium juga, & confragosos plerumque saltus, qui Germaniam disterminant, ingressi omni genere populationis in provinciam feruntur, vulgus trucidatum, ira & fames sanguine & rapinis satiata, annonam ex victoria retulere: & jam omnia circumfusi prædonis famam horruerant, & infestum agris agmen fugiebant vicinæ gentes, cùm Franciscus Cornelius furorem latronum pari motu, reciprocisque damnis continuit in pessimam Austriacorum perniciem, quæ demum populorum miserandis ejulatibus adacta, aures Cæsaris Matthiæ, & Ferdinandi allisit, ut incisis mali fibris orbi

Chri-

Christiano medicatum vellent:nec distulit Josephus Rabata in sontes,qui totis fermè viginti quatuor annis res alienas sollicitarant, ultimam supplicii legem: securi enim in prædonum duces,& capita ad cæterorum terrorem severa animadversione detonuit,& ipse infami latronum manu mox inhumaniter trucidandus.Sic nonnihil paci consultum est.

Expeditio septima in piratas. MDCI.

At sub hæc non semel ipsi Neapolis, & Siciliæ Proreges conjuncta classe maria ad quæstum fœdarunt: nec dubiè Franciscus Superantius Orator Philippo Regi facinus detulit;sed hujus litteræ suorum damnantis furta magis apud Senatum optimæ voluntatis fuere testes, quàm apud prædatores imperii notæ. proinde majoribus etiam remediis, & navibus Reipubl. sibi prospicere ad repellendam vim placuit. Nec minùs furor Australis hæc nostra littora afflavit quinquennio pòst: cùm circa Corcyram in nostrorum navigia sæviissent quinque Numidicæ triremes; missus est Augustinus Canalius classis Legatus, qui deliberato rei gerendæ momento cum Sinus Præfecto Francisco Molino,ita bipartito excursu in fugaces delatus,ut ultimam hosticarum ad primos appulsus tormentis disjecerit:nec segniùs in primam Lucæ Pisauri puppem effrenis hostis mortem trudebat, dilabentibus aliis,cùm sibi integram victoriam eripi latronum fuga putaret,Legatus incitato remigio fugitivis insistit. Ferebantur in singulis Numidicis præter socios remiges militum C.& XL.Nostris in robore constabat virtus:itaque rates hostiles vel latè conquassatæ sunt,vel alto demersæ,fures aperta strage trucidati. Sic per extrema connixum improbum genus alienum æquor suo sanguine infecit. Dragutes Archipirata Peloponnesiacus Canalii, quantumvis saucii,manu confossus interiit. Eandem virtutis

tis

tis gloriam brevi pòst adeptus est Antonius Civranus, qui in Meli portu aggressus piraticam pestem, unà cum infamibus lignis furta latrocinantibus extorsit, & scelestas Barbarorum animas ad Orcum detrusit.

Interdictum Pontificium in Venetos. MDCVI.

A Piratico bello ad contentionem ventum est scribendi apparatu, & licentia summam; sed exitu levem. Hoc enim ad pompam inter togatos Principes dissidium, non tam momento suo, quàm sermonibus populorum æternitati mandatum est. Imminutæ Pontificiæ auctoritatis suspicio Paulum Quintum Burghesium in Venetam Rempublicam concitavit. Ille veluti acerrimus Sacrorum defensor volebat irritum omnino quidquid in Ecclesiasticos viros, eorumq; bona decretum esset: nostri majorum suorum statuta, legesq; & temporis, & usus firmata privilegiis asserebant; ne subditorum contumeliæ impunes essent; civiumq; patrimonia distraherentur. Nihil tamen profectum apud Pontificem: à quo properè in universam Rempublicam districtæ secures: urbe interdictum: indigenæ diris devoti. Patres communi sententię Interdicto obstiterunt litteris quocunq; locorum suæ ditionis Leonardi Donati Principis nomine transmissis; ut populi in fide perstarent; quibus non ignota Pontificis mens jusque suum. Res interim eo loco erat; urgentibus hinc inde partibus, ut sine ferro & incendio, sævissimoq; bello componi haud posse videretur.

Tandem Christianorum Principum interventu, ac in primis Gallorum Regis Henrici IV. per Franciscum Jojeusam purpuratum Præsulem hæ Italiæ turbæ rixæque inter pium Patrem, & charissimos Filios sublatæ sunt.

FINIS LIBRI QVARTI.



IOANNIS BAPTISTÆ VERI

CANONICI PATAVINI

RERVM VENETARVM

LIBER QVINTVS.

Bellum Auſtriacum quartum, Uſcochi *deleti.*
MDCXV.



Ræter efferos nativæ ferociæ ſpiritus, hoc tempore, Uſcochi Aulico quoque favore procaces animos attollebant. Nec dubium erat Joſephi Rabatæ cædem, ab ipſis manifeſto læſæ majeſtatis crimine commiſſam, apud Ferdinandum Auſtriæ Archiducem imputari aperto Venetorum ſtudio. Unde egregii quaſi facinoris miniſtri noſtrorum criminationibus inconcuſſi debacchabantur. Quid igitur mirum, quòd Georgio Danicicchio duce, Hieronymum Marcellum pro maris libertate excubantem, inopinata perfidia ad Beſcham vinculis gravarint? quòd Antonium Georgium, promiſſa

Scriſſæ

Scrissæ deditione deceptum, per summam superbiam, angore, simul & minis maceratum Seniæ in ludibrium nationis, traduxerint? quòd Christophorum Venerium in Mandra, Pagi insulæ portu cum trireme agentem, furtim interceperint, occisi sanguinem circumlatum ex pateris biberint, cor coxerint, ac devorarint? Inhumana hæc cladium series altiùs exasperarat Patrum animos, quàm ut solitis antea lenitatis, & gratiæ officiis dignæ viderentur immanes belluæ impunè grassantes. Itaque Senatus consulto decernitur conscribi, & comparari exercitus, deligi Duces, & in Archiducales terras impiæ gentis asyla, omnem expeditionem conferri. Laurentius Venerius Dalmatiæ Præfectus eligitur, cujus animo cùm altiùs inhærerent tot in Rempublicam injuriæ, & Georgii nex; de ultione solicitus, adornata classe, Novium oppidum, in quo interceptæ triremis armamenta, magno conatu adoritur; flammis, ferroque expugnat: ac, tum capto Præside, tum multis ex prædonibus interfectis, furta reposcendo, eximium suæ virtutis decus reportat. Subinde vltrò res Venetas cœpit lacessere Volfgangus Tersacii comes, facinorosorum antesignanus; & Ferdinandus, Venerii factis graviter offensus, Venetorum in sua ditione degentium bona, quæ damna resarcirent, jussit occupari: quo exemplo docta Respublica, cui majora detrimenta piratæ intulerant, Archiducalium mercatorum fortunas penès se retinuit. Hæc dum aguntur, Volfgangum propria immanitas, & à majoribus quondam suis possessa Curicta, recensq; incensi, direptique Novii casus, ad populationes, incursionesque per Istros excitarunt. Aggressus Benedictum Legium castella Tergestinorum, salinasque vastantem: ac proscriptum Petatii Comitis temeritate, captum abduxisset, ni Fabius Gallus chiliarca acriter repugnans insequentem tandiu distineret, donec Legius se in tutum reciperet. Verùm, ipse ab exundante hostium multitudine oppressus interiit. Hinc victoria animum arrogan-

tiùs erexit,qui flagitiosissimo quoq;in societatem assumpto, cui ob egestatem,& odium,Veneti nominis vehemens perfurendi libido esset,in Forum-julium irrupit;& cuncta prosperè adversus inermes egit,ustis, compilatisq; provincialibus.Petenti Montem-falconium, Franciscus Ericius, Provinciæ Præses, festinata expeditione objecit legiones, Palma,Utinoq;excitas,quę primis congressibus prędabundum coërcuerunt. Præmissus etiam cum delecta manu Pompejus Justinianus Ligur, navandæ operæ avidus, incultæ oræ citra Natisonem pagos omnes, vicosque occupavit, præter Lucinisium, quod in ea regione futuris rebus magis erat idoneum, ut ipso demum experimento deprehensum est. Cùm itaq; utrinq; non modica belli contentione disceptaretur, placuit Senatui, Gradisciæ Styriæ oppidi, quondam sui juris, obsidio; pollicente Justiniano ex ea faciliorem transitum in hosticum ultra Natisonem. Jussus opus perficere,tanta celeritate, ipso sequentis anni mense Februario oppidum circumdedit aggeribus, & propugnaculis,ut habitatores improvisò conclusi deditionem facturi fuissent, si Venetæ acies continuò irruissent in obstupefactos, ac perterritos. Sed orta inter armorum Præfectos discordia ex invidia', quæ labes in Reipublicæ castris semper viguit, occasionem rei benè gerendæ eripuit. Alii criminabantur Justinianum, qui alienissimo tempore illud instituerat obsidium:contendebant alii, fortunam in bellis pendere à prudentia,non à temeritate. Cæterùm quæ mora interjecta est nostris, ut valde nocuit, sic summè profuit obsessis, quibus opitulatum advolavit Adamus Trautmensdorfius,cum expeditis Germanorum agminibus:& Gradisciam, eique proximam Norejam, nunc Goritiam, impositis præsidiis,validissimè communivit. Attamen Ferdinandus ad circumsepti oppidi nuncium, veritus ne dilaberetur in obsidentium manus, cœpit per Pontificem, Hispanum Regem, & Magnum Hetruriæ Ducem, sequestres, explicare negotia,

aut

aut de pace, aut de induciis. Respublica ad utrumque inclinare visa est: quietis tamen amantior, malebat ea seruari pacta, in quæ pridem suus Orator, Hieronymus Superantius Viennæ convenerat cum Mathia Imperatore. Ut scilicet delerentur Uscochorum receptacula: & illis toto mari expulsis, sinum præternavigantibus illibata securitas esset. Verùm, quia non pauci apud Archiducē, & in Cęsaris Aula dynastæ prędonibus patrocinabantur, recusantes Senię demolitionem; spes omnis quiescēdi ab armis evanuit: & vix mēse exacto latrones ad priora scelera suis è latibulis erupere.

Igitur, hoc anno, moderante Rempublicam Joanne Bembo, vindicta potiùs dilata, quàm repressa, gravior ad Gradisciam erupit. Senatus validis primùm armis, concursuque Ducum, & nationum: deinde valido apparatu, instructisque classibus, magnam paravit expeditionem. Ipsos etiam Archiducales armarunt Germanæ, Hispanæque vires, tum terrestres, tum maritimæ: ut jam nemo ignoraret imminere bellum terra marique acerrimum.

Quassabat Petrus Barbadicus obsidionalibus tormentis Gradisciam; & emissis peditum copiis, equitumq; turmis, finitimos premebat. Porrò, cùm magis ad rapinas, quàm ad pugnas discurrerent, ab erumpente ex insidiis prævalida Uscochorum caterva profligantur. Post hæc rarus concursus: neque ulla cum hostibus per eos dies par dimicatio. Trepidabant milites ex agrestium delectu, quoties ad armorum exercitationem educebantur: gliscebant in castris turbæ ob effrenem Volonum licentiam: & subinde in Ducibus, circa belli administrationem dispar consilium oriebatur, atque de dignatione contentio. Certiores de hoc rerum statu Austriaci, nocturno impetu Venetas stationes aggressi sunt: & sepultos tenebris ad unum oppressissent, nisi ad ejulantium voces accurrisset Justinianus; qui spreto vitæ discrimine, per conferta hostium agmina ruens eos repressit, consternatosque & saucios coëgit redire ad suos.

Inter-

Interea, quia nunquam cessabant ab utraque parte bombardarum globi, horum unus ab Gradiscia fortuito ictu prostravit Danielem Antoninum, explorantem ex officio obsidionales accessus. Mortui nomen, & virtus beneficio Senatus equestri statua in majori Utini templo condecorata sunt, ut habeant posteri, & cives, quem colant, & imitentur. Horatius Baleonius oppido succedens, tentavit per transversa sepimenta actis cuniculis molem portæ præstructam subruere. Inceptum opus non caruisset expetito eventu, si Gallis, quos ad reptandum audacter per ardua munimenti largitio munerum animavit, alia manus, ex populari militum grege compacta, ausa esset in auxilium procedere, ex condicto, & sustinere aggressores. Quare, explorata ignavia, quæ Veneto exercitui erat dedecori: atque per idem tempus renovata à Pontificio legato pacis habendæ fiducia, annuit Senatus Barbadico, ut armis desisteret, & Marianum copias traduceret. Tunc aliquibus nostrorum socordiam deridentibus existimatum fuit oppidum obsidione solutum. At cùm primùm venit in Provinciam Antonius Priolus, infensioribus animis bellum instauratum est; accedentibus cum eo universi exercitus imperatore duobus legatis, Joanne Baptista Fuscareno, & Francisco Ericio. Mox in belli communi deliberatione decretum, Austriacos proprio exemplo, nocturno impetu adoriri. Mittuntur in antelucanam expeditionem peditum quinque millia, & equites mille quingenti. His viribus Camillus Trivisanus, levis armaturæ ductor, & Baleonius, effusi per hostium castra, magnam undique trepidationem incutiunt, capiuntque bina propugnacula, interfectis propugnatoribus: sed ulteriùs progredientibus consternatione, & cædibus, mora injecta Epirotarum avaritia; quibus adhuc circa prędas intentis jam dies inclinaverat. Properavit ad pugnæ locum Trautmensdorfius, & solicitus quò clamores, ac bellantium strepitus illum vocarent, victoriam nostris eripuit. Justinianus, qui mili-

militum rapacitate felicioris fortunæ spem abjecerat, sagaci consilio receptui canere jussit, & cum suo non adeò imminuto agmine, in aperta planitie explicato, hostem ad certamen provocavit. Hanc audaciam metuens Trautmensdorfius, intra munimenta se continuit: Subinde Priolus Gradisciæ obsidionem vehementiùs urgebat: eòque certior de expugnatione, quò opportuniùs ingruens pestis cœperat Austriacas vires debilitare; & Venetæ acies tum occupato Lucinisio, omnem fermè agrum citra Natisonem Reipublicæ subdiderunt. Ericius Faræ propugnaculum ab hoste perterrito desertum occupavit, aliaque finitima loca: Vipulzanum, & Caporetum, vi subacta recepit, strenuè decertantibus Livio Puppio, & Trivisano. Tolmissum Nicolao Gualdo obstitit, ab arce omni missilium genere propugnatum; quorum jaculationes gregarius miles pertimescebat. Pontebam, frequens emporium Italis, Germanisque ultro, citroque negotiantibus in duas partes dividit amnis interfluens, & communis pons disterminat Archiducales, & Venetos agros. Quæ pars Reipublicæ paret, ab Archiducalibus tum fuit hostiliter petita, & usurpata: facinus indignè tulit Fuscarenus; quamobrem coacto agmine, in hostes furenti procurrit impetu: oppido eos expulit: & persequutus fugiẽtes usque ad Telminum, cuncta sibi obvia diripuit, ac inflammavit. Hoc victoriæ progressu Pontebam Reipublicæ reddidit, divesque opimis spoliis, & gloria præclarus, in suas stationes remigravit. Alibi fortuna adversis prospera semper alternans, cum morte ab omnibus complorata, Justinianum abripuit; Perscrutantem quo loco Natisoni pontem imponeret plumbea glans interfecit, displosa è tumulo mœnium Norejæ, adversus quam moliebatur irruptionem. Virum magnæ in re bellica famæ publica funeris pompa Senatus extulit: & illius gloriam equestri statua in Sacra divorum Joannis & Pauli Æde immortalitati commendavit.

Defun-

Defuncto ſubſtituitur Joannes Mediceus: hic ſtatim ſuſcepto munere in Trautmensdorſium, qui ſuperato Natiſone in Veneta caſtra parabat inſidias, Epiroticum equitatum immiſit:at is, conſpecto hoſte, ratus ſe imparem ſuſtinendo incurſui, retrò ruit, latuitque poſt loricatos equites: quæ cauſa fuit,ut omnes metu correpti fugam capeſſerent, peditibuſque ponè ſequentibus incuterent trepidationem. Magna ea die clades noſtris fuiſſet illata, niſi Mediceus opportunè periclitantibus præſtò fuiſſet. cum expeditorum manipulis obvius fugientes ſuſtinuit, ſicque repreſſit inſectantes,ut ſua præſentia, & viribus audaciores facti in terga perſequentium ſe verterent, cogerentque Trautmenſdorſium cedere, & in ſtativa redire. Cæterùm hæc belli flamma, quæ primùm ſparſa per Carinthiam, & Forum-julium pluribus in locis flagrans reluxit: mox effuſa in Iſtriam, Dalmatiamque videbatur vno repentè incendio omnia conſumptura.Ideò non levem illius reſtinguendæ ſolicitudinem attulit Reipublicæ; propterea ne latiùs ſerperet, juſſus eſt Marcus Lauretanus in Iſtriam properare. Ut acceſſit, continuò in Auſtriacos , & Uſcochos per maritimas oras populabundus caſtra movit: & quæ damna Veneti incolæ acceperant abundè compenſavit Tergeſtini agri, atque ſalinarum vaſtatio: neque his contentus, per hoſticum arma circumtulit, & Antignanum ex Piſini comitatu ſubduxit, interceptoque Galignano, Zemino terrorem injecit, ſolo victoris conſpectu. Sub idem tempus navigavit in Dalmatiam Nicolaus Donatus, qui eodem vindictæ,armorumq; fremitu Moſchenizzam , & Scriſſiam ad Fumii ripas eripuit hoſti.cujus quoque audito acceſſu, ad rapinas in continenti, expoſitis claſſiariis prædanti fuit obvius: & conſerta manu,victor oblata ſpolia in fugam acto extorſit.Scriſſiam infame latronum latibulum, Joannes Jacobus Zannius, totius claſsis Navarchus intempeſta nocte validè impetitum, pulſatumque crebris tormentorum ictibus , ſpontè deditum

tum

tum recepit, incassum repugnante Scricchio Uscocho, qui oppido præerat. Hujus scelesti hominis caput accolæ Zannio attulerunt, à quo benignè accepti libertate donantur, præter perditissimæ gentis asseclas ad unum decollatos. Trautmensdorfius ad Scrissiæ casum spe tardior comparuit, quam ut debellatam illicò Zannius solo æquari mandavit: ille omne odium in oppugnantes Zeminium Pisinii refudit: uberemque Polesanæ planitiem, qua potuit vi, & injuria diripuit, ac dissipavit. Pejora cogitantem retraxit in Carnos nostrorum incursio: at suorum facinorum successorem reliquit Andream Ferlitichium, Uscochæ gentis, & pessimum prædatoriæ artis magistrum. Hic in portu, Sylvarum appellato, sex armatas celoces, & biremem furtim aggressus oppressit crudeliter, & cum suis captam prædam dispertitus est. Per eos dies Aloysius Georgius, postquam in nemore illius tractus constructum propugnaculum subegerat, ampla quoque spolia retulit ab Vermii expugnatione: non minùs abundè ditescunt nautici milites Justi Antonii Bellenii, quibus data discurrendi licentia per hostiles terras, in præmium expugnatæ Duini oppidi turris, ingens prædandi occasio se obtulit, Tergestum usque. Atque ita, ut plurimùm latrocinii magis, quàm belli modo tunc pugnabatur.

Hæc intra biennium gesta; sequens annus ex intemperie cœli gravis, ac propè pestilens, insanabili quadam pernicie diminuit exercitum. Ducum aliquot in Istria vel mors absumpsit, vel morbus à castris submovit.

Aegrotanti Priolo suffectus est Antonius Landus: & hoc imperante, auxere Venetas copias quatuor Batavorum millia, quos Comes Ernestus Nassavius ad Reipublicæ stipendia traduxerat. His viribus, ineunte Junio, nostris transeuntibus in Carnos nullus fuit obex à principio:

in progressu Franciscus Strasoldus Gradisciȩ Prȩfectus,cum peditum cohortibus,equitumque turmis non contemnendis,vadato Natisone se opposuit. Acies hinc inde,minantibus armis, videbantur pugnam exposcere: sed non ultra processum;cùm hostiles præ timore pedem referrent;nullo igitur obsistente, Venetis patuit via ad concutienda faciliùs Austriaca propugnacula. His demoliendis excubabat Medicei cura,vt Gradisciam militaribus operibus circumdatã ad angustias redigeret:obsidere vias, intercludere commeatus,& in ipsis Norejæ campis locare castra. Verùm ob hanc causam, Natisonem transmittere cogitanti denuò obstant Austriaci: in utraque fluminis ripa fuit acerrimè dimicatum,nutante plerumq; fortuna inter varios armorum exitus. E superiore loco Stellæ munimenti præsidium acriùs repugnabat: idcircò in spem illius potiundi duo Comites, Gualdus,& Montius susceptæ curæ magnoperè incubuere, ut scilicet præsidiarios,nisi aliò diverterent, saltem ad sua tuenda distinerent.

Nocturno itaque,tacitoque accessu; alter Gradisciæ portam arietans,affixo pyloclastro; alter armata manu in Stellæ munitiones irrumpens, terrore maximo replerunt præsidia: utrumque tamen speratus frustratur eventus; dum nox obscurissima remoratur milites ferendæ opi destinatos. Austriaci hoc explorato consilio attentiùs circa ejus propugnaculi custodiam vigilarunt: cujus situs parùm distans ab Gradiscia, in adverso Natisonis litore, introducendis commeatibus erat percommodus, atque ob montium anfractus usque immunis ab insidiantibus. Aliud etiam Rubiæ tutamen Trautmensdorfius diligentissimè observabat: quod expugnatu difficile, Mediceus tamen obsidione sepsit. Batavi longo circuitu,per Carnos, in Norejæ planitiem traducti, & firmissimum propugnaculum, & acrem Ducis industriam assiduis impressionibus diu fatigarunt: tandem insilientes in muros, Trautmensdorfium portæ munimentum

tum præstruentem, castrensis tormenti ictu sustulerunt. Maradius occisi successor, & vindex, recensito non modicarum virium exercitu, haud veritus tranare flumen, sub auroram Venetas turbavit stationes. Intempestivus insultus adeò exterruit confusos, ut nullus esset, qui constanti animo vim repelleret. Tribunorum virtus ignominiosæ fugæ turpitudinem delevit,& cohibuit,cum paucis audentioribus,per castra insolentissimè furentes. Multi in hac dimicatione cecidere: ex nostris non obscuri nominis, Marcus Antonius Manzanus, Petrus Avogadrus, Leonardus Gualdus,equitum Præfecti. Arcta intereà obsidione premebatur Gradiscia;etsi omni arte,& ingenio allaborabant Austriaci, ne obsessis annona deficeret, quam excavatis arborum truncis, in usum lintrium, aliquando submittebant. Hæc, quæ furtim; & alia, quæ nonnunquam importabantur subsidia,nostri,ut arriperent,hostes,ut inferrent; hi propugnando,illi expugnando;Natisonis ripas,& aquas multo sanguine fœdarunt. Non ea porrò ubique solertia, & vigilantia;quamvis extructi in amnis alveo detinerent implicitos lintres,ratesque ne opitulatum accederent:quinimò aliquando aliqua inferret audentiùs, promptum ad difficiliora,Principis Valstaini ingenium. Sub oculis Venetorum Ducum aperto sibi per convalles montium itinere, obsessis frequens auxilio erat. Horatius Baleonius pari fortitudine ad illos obstruendos aditus, cum sexcentis peditibus in eas angustias penetravit. At iniquam expertus fortunam,quasi magno conatui invideret susceptæ expeditionis,ne forti viro res secunda obtingeret,dum strenuè dimicat,à Valstaino interficitur.Hujus ingenti spiritu,& militari disciplina,clarissimi Ducis famam Senatus posteritati commendatam voluit, ornavitque honorifico tumulo in augusto Geminorum Templo. Pugnæ superstites non inertes, neque incruenti,Baleonii necem ulti sunt, cum obseptis Valstaino, & Maradio itineribus ad extrema quæque, suadente fame,

Gradiſciam redegiſſent, ut citiſſimæ deditionis ſpem obſidentibus non demeret.

Hiſpanæ expeditiones terra marique coërcitæ. MDCXVII.

NE bellum ullo loco Reipublicæ deeſſet, Petrus Toletanus Mediolani Gubernator, & Petrus Gironus Oſſunæ Dux, Regni Neapolitani Prorex: ambo nomine, atque odio pares in Venetos, omni conatu ſtatuerunt hos avertere ab impreſſionibus in Archiducales terras, ut plures in partes diſtracti, ad injurias propulſandas minùs valerent. Primùm igitur Toletanus ab Inſubribus erumpens armatus, Cremenſis agri pagos, vicos, tectaque incendiis, direptionibuſque barbarum in modum, attrivit, & compilavit. Senatus furenti occurrere juſſit Hieronymum Cornelium: hic manu, & ingenio celer, collegit ex præſidiis ſelectiores ad vim arcendam: quibus in hoſtem ſuo exemplo incitatis, ejus incurſiones cohibuit, ac propulſavit; ut in poſterum à vexandis confiniis abſtinuerit. Toletani temeritas tota in populationibus coercita fuit, & obſtricta conditionibus Pacis, ſuperiori anno initæ in Aſtenſi conventu.

Præctereà multiplex à mari terror ingruit nuncio præpotentis claſſis Adriaticum obſidentis. Oſſunæ Dux proſperis Venetorum ſucceſſibus invidebat: & potiſsimùm, quòd penè deſperata Gradiſciæ propugnatione, non dubitabant Auſtriaci, quin illa brevì deditionem faceret. Hinc ille concordiæ, & quietis oſor, ſubmiſſis copiis impulerat Toletanum ad arma in Cremenſes: atque ex ſe conſtituerat, parata claſſe Adriatici maris jura Reipublicæ evertere. Vocat igitur Uſcochos, quibus impensè patrocinabatur, ut conſuetis rapinis Venetas navigationes turbarent; & aliquod in Iſtria oppidum caperent, ex quo tutò paterent in obſeſ-

obsessam urbem commeatus. In hunc finem è Brundusino portu bis sena magnæ molis navigia emittit, quæ ductu Francisci Riberæ lacesserent Venetos, quos Adriaci Sinus usurpatores appellabat. Patres, se cuique fortunæ committere assueti, percepto perfidæ classis transitu in sua maria, illicò imperant Justo Antonio Bellenio Navarcho, ut instructo nautico apparatu in illa contendat, cum Laurentio Venerio navium Præfecto. Unà egressi ea alacritate, qua militares animi studio pugnæ incenduntur, è Phariæ portu, qui nunc Lesinæ dicitur, non procul Curzola, olim Corcyra Melena, infestæ Ossunæ classi occurrunt, & ad eam oppugnandam conatu maximo contendunt. At Ribera, cognito periculo, cui patebat, subita fuga mare transgressus, Brundusium repetit. Ille in portu abditus, & ab arce missilibus protectus, Venerium, qui fugientem erat insequutus, diu ludificatus est, provocantem ad certamen. Ergo frustrà classiarii, bombardarum, tubarumque clangoribus, & lituorum stridore, intermistis vocibus, conclamantes, sublatis anchoris digrediuntur, & excursione facta per totam Apuliæ oram, ubique metus, terroresque inferendo, se Phariæ restituunt. Ossuna rei gestæ nuntio majori concitatus rabie, addit licentiæ scelus, & aliud scriptis molitur bellum, quo Rempublicam expellat de sinus Adriaci dominio. Acuit legulejorum calamos, & commentitiis rationibus probare nititur, nullum esse Venetis præsumpti maris dominium: propterea liberum cuique ejus navigandi arbitrium. Hæc mendacia literis exarata evulgat, provocatque Principes ad commune commercium. Verùm quia nemini erat ignotum, quod omnis vetustas acceperat, Adriaci pelagi imperium à majoribus sanguine partum, proprio, inconcussoque jure ad Venetos pertinere, insani hominis irritamenta deriserunt. Ad Turcas conversus, hos muneribus, & complurium mancipiorum donatione ten-

tentavit allicere, ut in Cretam facerent irruptiones. Porrò & Barbari, quos ille barbarie vincebat, indignum scelus abhorrentes, responderunt, se potiùs auxiliaturos Reipublicæ adversus communem hostem, qui Uscochæ gentis pernicitate, & fraudibus, toto mari exturbabat commeantes. Repulsus ab omnibus, obstinatusque ad parendum regiis præceptis, noluit ab injuriis discedere: quin secretioribus mandatis prætexebat suum odium in Venetos, quasi hostes omnium pessimos, uti jactabat, erga Hispanos. Interim, nec mora, nec requies irato: citissimè instaurat classem una de viginti triremibus, regendam Petri Leivæ imperio, Ribera comite; utrique injungit, ut forte per omnia tentata, Polam in Istria occupatam munirent. Hoc jussu educta Brundusio vagatur aliquandiu circa Dalmatiæ portus, ac tandem in conspectum Phariæ iterùm se dat; & certior facta ab actuariis Venetam ibidem contineri, numero exiguam, & ob reflatum, non erupturam; Leivam & Riberam reddit insolentiores. Ideò nostros ad eruptionem, & ad pugnam audaciùs evocabant, at hi nulla obsecundante aura, inclusi, fauces portus binis septiremibus armarunt, majoraque disposuere tormenta in utrumque latus: mox frequenter acclamatum est à classiariis, ut illi propiùs accederent, statimque in eos, patrio fastu turgidos longè jaculati missilia, terrorem inferunt, & formidinem: unde repressa temeritate coerciti, canunt receptui, & sub vesperam Brundusium versus iterùm dirigunt proras. Casu accidit, revertentibus, cujusdam navis occursus, quam piratarum more capiunt, & diripiunt. Hoc uno suorum facinorum testimonio Proregem Leivæ succensum, quod nullum à Venetis oris municipium pugnando abduxisset, placabilem sibi effecerunt. Hæc ubi nuntiata sunt, Patres minimè rerum suarum obliti, decernunt augere clasem, cujus administratio foret penès Jacobum Zannium, Cretæ gubernacula tunc temporis moderantem: eidem mandatur,

ut

ut confestim abductis ab Insula decem triremibus, Phariam contendat, iisque totidem adjungat, ex urbe transmissas; & reliquas addat à Bellenio receptas. Sic ex duabus classibus unam componat, unius ac triginta triremium numero, præter septiremes sex, bisque septem magna navigia, ac multas liburnicas. Cum hoc apparatu egressus de portu, lustret omnes Adriacos recessus, percurrat Istriæ, Dalmatiæque littora, cunctaque agat, ne illi, qui Veneti maris ambiret, & affectaret dominationem, ullo in loco damna inferre liceat. Zannius dum sua in statione ex Senatus decreto nauticam instruit expeditionem, nihilo negligentior Ossuna Siponti suam adornabat classem, quam cùm Octavius Aragoniæ Dux septemdecim Ligusticis auxisset triremibus, injecta est nostris de Regio consensu suspicio. In hostica numerabantur triremes triginta tres, duo de viginti gauli, & pauca minora navigia. Illius ducendæ cura demandata erat Aragonio, quem sequebantur Leiva, & Ribera. Prætervectus Epidauri ostia, Hispanis amica, quia Venetis infensa, Phariam adnavigat. Stans in anchoris ante Insulæ portum, videbatur promptus ad pugnam; quam nostri non detrectabant: erat enim in omnibus idem animorum vigor, & conferendæ manus par cupiditas. At fortuna jam solita invidere prosperis Reipublicæ rebus, eos continuit occlusos, invalescente improvisò adversa ventorum vi. Venerius tamen impavidus, & longioris moræ pertæsus, sibi portus ostium vel intempestivè aperuit, navibusque ad tormenti ictum in aciem explicatis, classicum cecinit. Sed hostes spem provocantis deludunt: ac si magis ad virium suarum ostentationem, quàm ut pugnæ aleam subirent, illuc usque progressi essent: sublatis enim repentè anchoris, altum tenuere, è conspectu submoti. Verumtamen, ut docuit eventus, hæc fuga non fuit, sed voluntarius recessus, propter certam divitis prædæ fiduciam. Occultarunt se sub scopulosis veteris Tragurii latebris: è quibus

busmox furtim erumpentes triremes, duas numero, quæ oneri ferendo, non prælio committendo, aptæ, convectabant ad Venetos venales ab Syria merces, interceperunt, simul cum una ex septem ad onerariarum custodiam destinatis, ductore Antonio Civrano, reliquæ intuitæ eminùs piraticæ classis fraudes, cum viatoribus in proxima littora remigrarunt. Hispani Duces opima præda potiti, ac si debellassent, lætabundi Brundusium, inde Neapolim, remis, velisque contendentes, Proregi captas triremes, & spolia in triumphi speciem obtulere. Sub idem tempus, quidam rumor, at incerto auctore, dispersus, increbrescebat de prospero conflictu Venetæ classis cum Hispana: propterea universa urbs in lætitiam effusa, festis ignibus, hilarique voce sua gaudia testabatur. Senatus verò, qui certiores nuntios expectabat, ægrè vulgus à contumelia, & impetu in Alphonsum Quevam, Regium Oratorem compescuit. Denique, re comperta, nullum commissum certamen, at liberum Hispanorum cursum per Venetum mare; rapta navigia, factasque prædas, & inter pretiosiora computari onerarias triremes, mutantur gaudia mœroribus. Accusantur socordiæ Navarchi; neque excusationes admittuntur nunquam potuisse cum hostibus aperto marte congredi: contraria semper ventorum, tempestatumque sævitie: clausos, detentos, neque se liberos unquam pugnam inire cum recusantibus, aut dimicare cum fugientibus, more piratarum, in loca tuta. Querebantur de mercium jactura negotiatores, poscebantque incuriæ coram judice Civranum. Qui rem sedula perquisitione decernat, Petrus Foscarenus Senatus consulto deligitur: qui subitò profectus in provinciam, accurata indagine perscrutatur, quo modo postulatus reus se gesserit: reversus retulit nullum in Civrano comperiri negligentiæ, aut inertiæ crimen: sed, quod acciderat, imputandum inevitabili fortunæ fato. Cœterùm summè anxia Respublica, ne tam numerosa hostium classe finiti-

finitimæ urbi oræ Metamauci, & Clodiæ trepidarent: vel maritima Polæ, & Parentii oppida illius paterent insultui; omnia Joannis Garzonii, & Francisci Mauroceni sedulitate, munienda, atque armanda præsidiis curavit. Acceptam insuper injuriam acri ultione flagrans reponere, aliarum triremium paravit subsidia: & amoto Zannio, quem æquè animi, corporisque urgebant angustiæ, rei navalis administrationi præfecit Laurentium Venerium; naviumque regimini Maurocenum. Utrique tandem imperat cuncta agere, & audere, quæ Veneta arma, deleta socordiæ nota, si qua inusta foret, in pristinum decus assererent. Delecti Duces conjunctis animis, auctisque viribus & immensæ magnitudinis navi, quæ Gaulus Balbi ab inventore nominabatur, per Adriaticum huc, illuc volitantes, in medio habuere obvios hostes; qui, ducente Ribera, Siponto venerant, cum quindecim rostratis navigiis. Nostri eo læti conspectu, subitis bombardarum tonitrubus Riberam ad concertandum extimulant: at ille in sua statione immotus præstolabatur tacitus provocantium accessum: ac proinde factum est, ut in quasdam, quæ audacissimè præcesserant, naves, ea omnis generis missilia jacularentur; ut una vel altera fœdè lacerata, retrocedendo, reliquas pavore, & metu compleret: eoque deformi aspectu territa classis formidaret hostilem incursum. Venerius, qui nihil indignius sibi ferendum putavit, quàm à suis deseri, conscendit liburnicam, & classiarios hortatur deponere metum, fiduciam induere, & unà secum ad victoriam properare. Nunquam tamen potuit confusos rursum componere: idcircò, reluctantibus cæteris se præeuntem sequi per incerta bellorum eventa, ipse cum suis perpeti nocte coram hostibus stetit, & pulsatos assiduo tormentorum fragore, consternavit: cùmque postero die in eorum navigia collimasset è septiremi-

bus grandiores machinas, ab harum gravi percussu satis apparuit, contusis, fractisque nullam aliam spem salutis subesse, quàm fugæ. Hanc igitur expansis velis Brundusium versus parantes, ille conscenso Balbi gaulo, datoque septiremibus remulco, quanta potuit celeritate persequitur. At quæ vis fati! quo momento fugientium tergo imminet eos apprehendere, & infligere temeritatis pœnas sibi arrogantibus Veneti sinus imperium; repens turbo, & fretum insanis fluctibus horridum intercessit. Itaque in ea maris, cœlique turba timens naufragium, iniquo fato obsecundare coactus est, & se credere tempestati. Hujus jactatus, atque agitatus injuriis, tandem in Sanctæ Crucis stationem cum sua classe appulit, haud longè ab Epidauro. Eadem ventorum, pontique procella in Dalmatiæ scopulos impegit naves, triremesque quæ metu concussæ ab hostium conflictu se subtraxerant: ex istis quinque fretum absorbuit: atque adeò ignominiæ labem abluerunt aquæ: gloriæ loco, quam virtus patriæ debuit.

Gradiscia obsidione liberata. Pax.

MDCXVIII.

POstquam Venerius inimicas classes cladis imminenti periculo deterritas, toto Adriatico expulit; hoc solum deerat Reipublicæ bonum, ut Gradiscia expugnata, & Uscochis exturbatis, optata pace frueretur. Oppidum ad rerum omnium angustias compulsum, clauso flumine; intercluso aggeribus agro; validisque custodiis impedito commeantium accessu, deditionem propediem facturum videbatur. Cœterùm ne veniret in potestatem à magnis concordiæ arbitris Ludovico Galliarum Rege XIII. & Carolo Allobrogum Duce impetravit. Repentinus nuncius de Pace inter Venetos, & Austriacos firmata, has retulit

præ-

præcipuas conditiones. Suum cuique reddendum: Uscochorum infame nomen, & exercitium penitùs terra marique exterminandum: myoparones comburendos: omnia insuper lattonum effugia, & latibula demolienda. Attamen cùm nulla facta fuerit mentio de captivarum navium, triremiumque, cum mercibus restitutione, Senatus his, quæ gesserant se inconsulto duo Legati, Octavianus Bonus, & Vincentius Gussonius assentiri noluit: quinimò Parisios festinare jussit Simonem Contarenum, qui utrique publico decreto diem diceret, ob neglectum mandatum. Præsentissima tamen Regis officia purgarunt Legatos; asserentes triremium negotium prorsus alienum esse à rebus cum Ferdinando Archiduce componendis. Idcircò, quæ acta fuerant sequutus est optimi Senatus lubens assensus: quo se non tam vacuum gloria æstimavit, ut post compressos latrones, & armis extortam maris securitatem, inane Archiduci oppidum, ceu virtutis suæ præmium mallet, quàm sinceram famæ laudem, & desideratæ quietis securitatem. Sic adeptus, quæ magis è publica visa sunt, ex decoro Senatus, conservandæ tranquillitatis amantissimus in Curictam Dalmatiæ insulam suos Conquisitores misit Antonium Priolum, & Hieronymum Justinianum, ut cum Carolo Arcacio, & Joanne Jacobo Edilingo Ferdinandi ministris ratum haberent, quod Parisis XV. Kal. Octobris conventum fuerat de Pace. Hanc Respublica per integrum fermè quadriennium grauissimo bello agitata, magna sua gloria obtinuit, extincta Uscochæ perfidæ gentis memoria.

Conjurationes in Rempublicam detectæ & punitæ.

SOrs Venetæ Reipublicæ prospera ob firmatam Pacem, Toletano, & Ossunæ nunciata, ita eorum animos

exasperavit, ut hostilia molirentur, & moliendo profiterentur suum implacabile odium, vel in mutuæ concordiæ gratia, vel in communis utilitatis beneficio. Vastus utriusque animus, & audax in Venetarum rerum perniciem, excidiumque conspiravit. Uterque hoc maximè cupiebat clandestinis dolis assequi, quod hucusque aperta vi nequiverat. Hi ergo insidiarum molitores conueniunt stipendiariorum fidelitatem tentare; oppugnare municipia; & ipsos quoque urbanos lares inquietare, convellere. Toletanus jam egerat cum Joanne Bernardo Gallici peditatus Chiliarcha, in Cremensi præsidio, de arce prodenda, & militum plurimos amplis promissis corruperat. Aderat facinori præstituta dies; & adjutrices turmæ proditoria signa expectantes Laude Pompeja morabantur. At Superis placuit, ut quidam è sociis exosi scelus hoc ad portas deprehensum proderent. Consurgit igitur in perduelles Magistratus; Bernardus capitur, & non pauci cum eo infamis flagitii participes. Omnes convicti proditionis crimine, fractis laqueo cervicibus de ferali trabe pependerunt. Sic ab imminenti periculo Crema servata, & spes Toletanæ machinationis concisa.

Per id tempus etiam Ossunæ naves Adriaticum hostiliter pererrabant, latitantes aliquandiu post Jaderæ scopulos nuncium, qui eas ad occupandam Fossam Clodiam vocaret expectabant. Diem, & modum ejus adoriendæ Alexander Spinosa, Romanus gubernator præfinierat. Actum est tamen favente fortuna, ut priùs quàm fraudes maturescerent, & à perfido proditore urbs traderetur, qua in potestatem redacta, parata erat in Veneta stagna irruptio, scelesta machinatio pateret indiciis. Proditionis hujus compertus reus strangulatur, inversoque capite furcæ appenditur. Hic ignominiosus periit; & hostes dejecti, cum opprobrio in suas stationes redierunt. Nihilominùs à stru-

endis

endis insidiis nunquam quievit Ossunæ adversùs Rempublicam livor, & odium, cui facilè par erat invidentia Alphonsi Quævæ, Regii Oratoris, ægrè ferentis secundos illius successus. Dum igitur Veneti foris Gradisciæ obsidioni attentissimè incumbebant, illi domi, & in patrias eorumdē sedes sceleratas machinantur conspirationes: & hoc execrandum nefas per milites, qui Reipublicæ stipendia merebant. Queva in primis circumiens publica diversoria, Battavos adhuc pestis suspectos à Venetis signis abducere conabatur, majori spe lucri: & alios ex conductis amplis pollicitationibus sibi obnoxios, fidosque facere. Hæc omnia clanculùm cum hominibus facinorosis, quos ad perturbandam Rempublicam, & insana rabies, & vasta rapinarum fiducia stimulabant. Inter hæc Neapolim appulit insignis pirata, natione Gallus, nomine Jacobus Petrus, Ossunæ maximè charus, tanquam aptissimus ad omne scelus minister. Habito de proditione consilio; ut hoc tegerent, causas effingunt inter se odii, & inimicitiæ gravissimas: alter indignatione plenus Neapoli discedit: alter furore percitus illius uxorem Messanæ detinet in custodia. Jacobus Romam profectus se valdè cupidum merendi apud Rempublicam, in re maritima Veneto Oratori Simoni Contareno prodit: qui tamen, quoniam de ingenio, & fide hominis dubitabatur, cujus consobrinus, Tazzii dominus, apud Ossunam militabat; cautè sua differebat officia. Vicit tandem procrastinantem Galli legati optimum de Jacobo testimonium non minùs, quàm per eos dies summa ducum, militumque penuria. Dimissus Venetias cum Lengado socio, in machinis incendiariis expertissimo; & duabus navibus conductis, stipendium meruit ducentorum aureorum in singulos menses. Hujus adventum prævertit Nicolaus Rinaldus Tarvisinus, Quevæ inter conspiratores acceptissimus, confictis literis, & Ossunæ manu obsignatis, quæ viri

mili-

militarem peritiam, ac vota Proregis, ejus reditum flagrantissimè designantis, repræsentabant. Quamobrem, ubi in conspectum se dedit, eò gratior Patribus fuit, quò importunissimo hosti ex animo infensior visus est: quotidie cum plurimis differendo, vel de perdenda Hispanorum classe, vel de occupandis eorum arcibus in Apulia. Interdum (donec detestabile facinus erumperet) stipatus facinorosa caterva, quam maxima parte conflabant Burgundiones, & Galli, totam circuibat civitatem; publica, privataque ædificia; insularum, pontium, canaliumque situs, structuras, & metas diligentissimè observabat: cùmque omnia sibi apparerent admiratione digna, palàm extollebat Reipublicæ majestatem, & urbis magnificentiam. Hisce dolis insidiarum tempori obsequebatur: nocturni cœtus agebantur in secretioribus Quevæ conclavibus: ibi conveniebant conspirantium capita; & crebris subinde tabellariis admonebant Ossunam, ut paratam classem in Adriaticum immitteret; cùm in promptu esset, quod exitu facillimum pollicebatur commilitonum fides, dispositis concubia nocte, per universam urbem oppugnationibus. Armamentarium incendere: ærarium subruere: interscindere pontes: igni præcipua loca absumere: auxiliorum impedire commercia, ex optimatibus ditissimos, & nobilissimos quosque interficere: domos, & divites officinas, occultis characteribus signatas, rapere, expilare: omnia denique passim ita miscere, atq; confundere, ac si offusa Venetæ urbi sempiterna nox instaret. Hæ machinæ vigilantibus curis pessimos homines exercebant, quorum plures quotidie Marcianam turrim conscendentes; ut, quò latiùs patebat in mare prospectus, eò citiùs adventum nautici apparatus specularentur; certiores facti; opere complerent nefarium scelus. Ducebat classem vir Anglus; cognomento Haillot, aliquot magnis navibus adornatam; quæ jussa consistere ad anchoras in Fori-julii sinubus, opportuno adessent subsidio conjuratis; & complu-
ribus

ribus parvis biremibus, lintribusque quorum agilis esset excursus per æstuaria, & euripos; explorata pridem aquarum altitudine à Jacobo, qui cum suis satellitibus ocreatus quotidie incedebat, veluti propediem in expeditionem iturus. Dum hæc perfida consilia alto silentio premuntur, una totius urbis erupit vox, utique cœlitus emissa, Ducis Ossunæ classem partim captam à piratis, partim naufragio dispersam, quæ furtim in Adriaticum descenderat. Diffitus rumor solicitos habuit conspirantes: monuitque Patres sufficere Laurentio Venerio Petrum Barbadicum cum mandatis, ut illicò navigaret: atque inter primores classiarios recenseret Jacobum Petrum, Lendagum, & alios, quos ille secum vellet conducere: qui verò remanebant ex conjuratis, in autumnum suos opprimendæ ciuitatis conatus distulerunt. Sed interim contigit, ut ex eo numero duo, Gabriel Montecassinus, & Balthassar Juvenus, nobiles Galli, sceleris atrocitate commoti, infandæque societatis commercia detestati, totam conspirationis seriem Decem-viris palàm facerent. Statim per nota symbola, tesserasque in hospitiis, tabernis, domiciliis, & meritoriis, omni loco, & cura perquisiti, & inventi proditores in vincula conjiciuntur. Constituta de perduellibus quæstione, alii in carceribus laqueo præfocantur: alii publico suspendio plectuntur cum Rinaldo, tanti criminis antesignano. Multi arrepta fuga, properarunt vel Neapolim ad Proregem, vel Mediolanum ad Gubernatorem: ad quem, & Queva, tumultuantis vulgi metuens lapidationem. Eodem die expeditis myoparonibus, nuntiatur Barbadico, ut de Jacobo, Lengado, cæterisque nominatis perfidi ausus consortibus, surdus ad cujuscunque preces, & querelas, hoc sumat supplicium: omnes singulis culeis inclusos, consutosque in mare jubeat præcipitari, & demergi. Extinctis in hunc modum, fugatisque publicæ libertatis hostibus, Deo servatori, ac vindici supplices gratias egit Senatus, & universa Civitas à cædibus, incendiis, rapinis, ac ab omni

omni inusitato prorsus, ac tristissimo genere calamitatis divinitus defensa,& liberata. Verùm Ossuna, neque hoc suæ temeritatis infelici successu deterritus, conceptum in Venetos odium concoxit. Altera classe Adriaticum infestum reddidit latrociniis: & maximè per extorres Uscochos; horumque omnium sceleſtissimum Andream Ferlitichium. In maris perturbatores, qui piratica facientes Venetas naves prædabantur, insurrexit Barbadicus quadraginta ingentibus navigiis, ac totidem octo supra triremibus, hostesque in mare Inferum compulit depressis, captisque aliquot eorum navibus. Decollatur Ferlitichius; exhibetur negotiatoribus commeandi securitas: atque per eos dies, jussu Regis ex Adriaco Sinu hostilis classis submovetur; & onerariæ triremes ab Aragonio surreptæ restituuntur cum mercibus,plurimùm tamen ob avaritiam diminutis. Accessit etiam ad pacis complementum Ossunæ reditus in Hispaniam: qui affectati Neapolitani Regni insimulatus: & de læsæ Majestatis crimine condemnatus, in vinculis misertimè obiit. Ex hoc pervicaci, & quietis nescio viro capiat documentum quicunque insatiabili animo majora, quàm pro sua fortuna, pari dementia, temerè aggreditur.

Vallis Tellinæ tumultus exorti & compressi. MDCXXII.

VAllis Tellina Rhætis, qui hodie Grisones dicuntur, cum Bormii & Clavenæ Comitatibus parebat. Hanc Addua fluvius erumpens ab Alpibus alluit;& è Lario lacu,quo excipitur, emissus inter utramque dominationem Mediolanensem, ac Venetam decurrit in Padum. Superiori tempestate duabus agitata factionibus: altera Catholica, quam tuebatur Rhodulphus Planta,vir nobilis & potens: altera Hæretica cui ad hærebat Hercules Saliceus homo turbidus & audax,apertis inquietabatur dissidiis. Sibi invicem adver-

adversantes Planta, & Saliceus primas tenere contendebant in ferendis rogationibus designandisque Magistratibus. Cùm igitur uterque auctoritate polleret, trahebat in diversa studia populares; propterea gravissimæ exarserunt contentiones: alii seorsum euntes in alios, discordantes Religione, à verborum jurgiis ad armorum strepitus processerunt. Ruebant Catholici in Hæreticos, & hi mutuam vicem reponentes, civili quodam certamine, totam Vallem cædibus, atque incendiis fœdabant.

Præsentes adauxit calamitates Jacobus Robustellus, qui Vallis populis suasit nunc adesse tempus, quo se Rhætica servitute exuerent, facta Hispanis deditione. Sic illi, eo hujus facinoris molitore impellente, in fidem ac tutelam recepti, fortique manu adjuti à Feriæ Duce Mediolani Gubernatore Rhætos inopinatò invadunt, & vires suas hostiliter ostentant. Qui contrà furentis ultionis ardore perciti, omnia ferro flammisque vastant, ac populantur maximo incolarum terrore, & luctu promiscuè in omnem sexum bacchantes: atque tanta utrinque occisione, ut visus sit Addua sanguine magis, quàm fluctibus redundasse. Per hæc Rhęti conantes reducere ad pristina obsequia rebelles vocarunt Helvetios in auxilium; & externam Gallorum, Venetorumque opem implorarunt. Missis legationibus ad Rempublicam exponebant illud esse Hispanorum arcanum. Quòd retenta Valle Tellina, quæ se voluntati eorum, atque imperio tradiderat, Germanicas Austriacæ Domus ditiones conjungere cum Insubrum dominatu; & clausis Alpibus, obsessisque fluviorum ostiis arcere ab externis auxiliis Italos Principes, eosque cogere in suam clientelam: & hoc esse præcipuum Hispanæ cupiditatis votum. Igitur celeri, ac opportuno remedio occurrendum erat huic certo discrimini, antequam in omnium perniciem se verteret suspectæ gentis machinatio. Quare his rationibus, & præsenti periculo deterriti. Hel-

vetii: metuque non contemnendæ suspicionis commoti Rex Gallus & Venetus Senatus decreverunt percusso fœdere tueri communem libertatem, atque collatis armis efficere, ut Vallis suis dominis restitueretur; ut Alpium ingressus, regressusque tutò cunctis paterent; perque apertos fluminum alveos, disjectis obicibus, commercia ultro citroquè liberè commearent. Nulla interim officiorum intermissio facta fuit, ut jus suum cuique redderetur; sed incassum peracta omnia; ac propterea eò citiùs parata sunt arma. Helvetii eduxere in expeditionem tria peditum millia: Veneti validum confecti exercitus robur curæ Nicolai Barbullii commendarunt; Joannes Grangæus Rhætici agminis, & belli administrator cum auxiliaribus copiis apud Tirianum pugnavit cum Hispanis vario fortunæ successu; quædam tamen capta sunt castra, Regia præsidia depulsa, fugati indigenæ, incensi vici, dirutæ domus, profanata templa, atque hinc inde in corpora sævitum insatiabili ferme crudelitate. Cæterùm dum ita inhumaniter pugnatur in Rhætia, de pace Madriti agebatur. Illam curabant Veneti Oratores, missi extra ordinem, gratulatum Philippo Quarto successionem Regni & nuptias: Legati quoque Pontificis, & Galliæ Regis in eandem curam incumbebant. Altero inchoati belli anno septimo Kal. Maji sancita fuit his, præter alias, conditionibus. Reponendæ Vallis in Rhætorum potestatem: sed abolita essent quæcumque decreta adversus Catholicos: Feriæ Dux arma dimoveret à Valle; auferret præsidia; occupata loca relinqueret; & dirueret arces, propugnacula, & quælibet munimenta, vicinis Principibus suspecta. Verùm. Feria aspernari ausus initæ pacis conventa nulla in re mandatis Regiis obtemperavit; immò cum Archiduce Leopoldo agitabat consilia de Valle non deserenda, cujus possessio Austriacis erat valdè opportuna, eo sane justo prætextu; quòd Tellinæ gens recusaret iterùm collum subdere jugo servitutis, & dominium barbarorum homi-

hominum ſubire. Rhæti furenti rabie ſtimulati corripiunt arma, & efferatis animis irruentes adoriuntur Hiſpanos, Curiam ingreſſi impetum faciunt, atque inde fugant Auſtriacos. Qua euentuum proſperitate, & fama aſciti in fœdus Allobrogum Ducis, quem nimia Hiſpanorum potentia offendebat, Leopoldus & Feria conſultarunt è re ſua eſſe, quod tum temporis ratio poſtulabat in Summi Pontificis manus Vallem Tellinam deponere, cum caſtris, propugnaculis, ac munitionibus, donec ille omnem controuerſiam ſua auctoritate dirimeret. Placuit fœderatis oblata depoſiti conditio accepta anni ſequentis menſe Majo; ſed quæ intra bimeſtre adimplenda eſſet: cui Gregorius Decimusquintus annuens illicò fratrem ſuum Fiani Ducem à ſe dimiſit, ut illud acciperet. Spes erat cum Vallis reſtitutione omnem armorum ſtrepitum ſopitum iri: hoc vnum Principes efflagitabant à Pontifice. Nullus tamen preci locus. Gregorium Catholicæ Religionis cauſam intuitus, & commiſeratus jncolarum mala, quæ iterùm acerbiùs paſſuri dicebantur, ſi hæreticis ſubjicerentur; conſtantiſſimè eorum officia rejecit. Hæc inter illius obitus ſupervenit, & in ſucceſſorem electus fuit Urbanus Octavus: ad hunc etiã frequentes fuere petitiones porrectæ de celeri componendæ litis judicio; ſi optaret auferre bella, & in populis contentiones pacare. Qui tamen non ſecus eadem cauſatus, quæ ſuus Anteceſſor, ſententiam diſtulit, & Principes conceptis votis fruſtrati ſunt. Hac deliberandi intercapedine viſus eſt Pontifex adhærere Hiſpanis, & callidum fuiſſe inventum de Depoſito, quod capto tempore augebat Feriæ contumaciam. Tot igitur decepti titulis ſtatuere id bello conſequi, quod pacificè ſibi concedi negabatur: Et ideò in Soliduri conuentu, cui cum Gallo Præſide interfuere Hieronymus Cauaccius Venetus Reipublicæ Internuntius, cum Rhætorum Primoribus, actum fuit non diſcedendum ab armis, conjungendas eſſe copias, & Vallem priſcis dominis reſti-

Pp 2 tuen-

tuendam. Dum hæc decernũtur Aloysius Valaressius Eques ab Anglica legatione per Helvetios in patriam transiturus ab Senatũ accepit litteras, quibus monebatur, ne ab ea Provincia discederet, acturus de summa belli cum Regio duce Covureo; at paululùm ibidem moratus in febrim incidit, coactusq; abscedere habuit successorem Aloysium Georgium, qui strenuus, ac promptus citò adfuit suo muneri, secum adducens à Veneto Navali peritos, qui Lintres, celocesq; extruerent, navicularios qui regerent, & epibatas, qui depugnarent: cùm etiam in aquis decertandum esset. Francisco quoq; Ericio datur in mandatis, ut è Reipublicæ finibus, quando opus esset, militiam, & impedimenta subministraret. Tum Chiliarchæ Milandro Germano constitutum stipendium, ut cum scriptis extra Italiam cohortibus in hanc pergeret expeditionem: in quam jussus etiam est properare Comes Nicolaus Gualdus Italorum peditum Præfectus: Dynasta Candalis Gallus similiter huic bello vires attulit ex peditibus, equitibusq; confectas. Covureus, qui Regiis copiis præsidebat cum auxiliaribus, lustrato exercitu decem millium bellãtium, Curiam citato, repentinoq; cursu ingressus incautos propellit Austriacos, arcem deditione recipit, ulteriusq; victor progressus Bormium, & Clavennã occupat; quorum fortunam Vallis sequebatur. Hispani adversus omnia insultãtes è Ripæ propugnaculo audacissimè egressi prorumpunt in aciem. Commissa pugna à continẽti, à flumine, & à lacu; primis Hispanorum conatibus arrisit fortuna: nam acerrimo impetu in Rhætos invecti horum plurimos ferro, fugaq; dissiparunt: mox quia varia est; Milandrum excitavit ad vindictam; hic cum suis, & quadringentis Helvetiis illatam cladem Hìspanis reposuit: porrò avaritia, prædarumq; cupiditas effecit, ut qui victi erant regressi in campum irruerent impavidi in sparsos, implicitosque rapinis, eosq; ferè omnes ad satietatem trucidarent. quo momento & alios commissa naumachia in Clavennæ lacu

vice-

vicerunt,quia per apertos lacus aditus ab Insubribus decurrebant subsidia. Hæc utrinque obstinatissimè gesta jam tertium annum implebāt; & Vallis Tellina de suo statu maximè anxia querebatur de reciprocis incursionibus, quæ populabantur vastando, urendoque omnia: & præter hæc de pestilentia,& fame,quæ simul bella sequi solent,unde innumeri abrepti, & absumpti interibant, quasi satis non esset sæviente Marte uno mortis genere perire. Hæ lacrymabiles miseriarum series,& pertinaces duorum Regum provocationes valdè commoverunt Urbanum Pontificem desiderio concordiæ,& tranquillitatis. Ideò, ne conjuncta cum magna calamitate communis pernicies suscitaret incendium extinctu difficile,medius esse voluit inter inuicem sese lacessentes, quàm uni tantùm studere,& in alterius cadere suscipionem. Audierat parari iterùm arma,novos haberi delectus, dari supplementa militibus,& assignari stipendia: & denuò, fugatis Hispanis, à ducibus fœderati exercitus Valle recepta:propterea opportuno consilio decreuit Franciscum Cardinalem Barberinum suum ex fratre Nepotem ad Reges Legatum à Latere mittere,ut apud utrumque pacis sequestrem ageret. Munitus hac authoritate in Galliam iter direxit: splendidissimo ubiq; cultu exceptus fuit, ac ab ipso Rege singulari benevolentiæ & existimationis testimonio cumulatus. Multa ille loquutus ad communem quietem procurandam; ad tuendum,& conservandum sincerum Catholicæ Religionis cultum;obtinuit Regiam propensionem ad pacē,quæ eo in loco,qui destinatus esset,pangeretur. Verùm fatorum malignitate contigit,ut hoc ipso tempore concupitæ cōcordiæ spem eriperent plurium postulationes,& jura sibi vindicantium Vallem Tellinam,quę se Rhætis nō esse subditam cōtendebat, neq;illis parere ullo modo obstrictam. Hi prætextus,quos Galli,Austriaci,& Curiensis Episcopus deferebāt,bella,quæ credebātur sopita,recrudescendo vētura mala præsagiebāt;Pontificis animū altiùs

tiùs pupugerunt. Qua de causa, cum validis peditum, & equitum turmis Torquatum Comitem militari disciplina conspicuum destinat ducem in Insubres, ac esse intentum jubet in omnes bellicos motus: itidem Cardinalem Legatum ex Gallis regressum dimittit in Hispaniam, quo tempore in Regiis Aulis Principum Oratores sua interponebant officia de difficultatibus pacem disturbantibus amoliendis. Accessit Legatus Regi acceptissimus, & indicto congressu Montione, quæ urbs est Aragoniæ, in eo ab arbitris, & sequestribus expensæ omnes de pace conditiones: hæ post multas disceptationes fuere præcipuæ. Rhætiæ, Vallis Tellinæ, Bormii, & Clauennæ omnia restituantur in pristinum statum. Nulla alia in Valle, Bormio, & Clavenna Religio colatur præter Catholicam: In his locis extructæ arces, & propugnacula, depositi nomine, tradantur in manus Pontificis. Quibus omnibus ex fide servatis, omnia Vallis Tellinæ munimenta, nunquam deinceps ædificanda diruantur. Pax hæc, quia morabatur complere statuta, displicuit Gallis potissimùm bella nondum pertæsis. Adhuc erant Germanicis copiis custoditæ Alpes; Rhætis in ambiguo liberum in Valle dominium; Veneti observabant interclusam Vallem ab Insubribus; & erectas arces ad suos confines manere indejectas. Igitur ad arma majori quàm antea tumultu conclamatur; & Vallis Tellinæ iteratò suarum calamitatum spectatrix extitit. Bello Hispanis enunciato Dux Rhotomagus Gallus Vallem ingreditur; hanc obtinet, & vicinæ loca facili victoriarum cursu: Regio exercitui duo millia peditum adhæserunt conducta à Venetis, qui Italicæ libertatis amantes peroptabant, ut Valle reddita ad quos de jure attinebat, paratum Italiæ jugum dissolveretur. Quæ demum integro ferme triennio gesserint hostiliter inter se Galli adjuvantibus Venetis, Austriaci, & Hispani, non tam infensissimis quàm obstinatissimis animis, ab aliis fusè, & copiosè explicata habentur: nostri est instituti in pauca multa con-

ta con-

ta conferre. Quod ergo incendium parva favilla cupiditatis,& ambitionis excitarat,Deo tandem placuit restinguere Pace Oeneponti confecta. Viderunt Hispani diu experti fœderatorum Principum fortunam suis conatibus non respondere;& factum arduum velle cum illis contendere de recuperanda,retinendaque Valle:Quare,& inter alios cogitationum æstus fluctuantes, capta colloquii occasione cum quodam Rhætorum Conquisitore in ea urbe commorante, Federici Enriquezii Hispani, apud Archiducem legati, opera sécretum fœdus conficiunt; cujus pacta,hæc primum locum obtinebant. Communi vi Gallorum expulsio è tota Valle; Concessum indigenis unius Catholicæ Religionis exercitium,absque ullo hæresis interventu;Vallis restitutio, & subjectio Rhætis antiquis dominis; quorum imperium si recusaret, omni auxilio Hispano tanquam contumacem sciret se destitutam. Rhætica Respublica de fœdere monita,ad ea promissa porrexit aures,& solutis ante tempus pensionibus corroborata diffudit animum. Rhæti & propriis viribus, & acceptis ab Insubria subsidiis robustiores inopinata aggressione consternant Gallos intercepto Duce Rhotomago. In custodiis coactus ad arcium,& propugnaculorum restitutionem, omnia tradidit: ac intra septuaginta dies promisit è tota Valle Gallorum militum egressum: admonuit interim Regem de improviso successu. Elapso denique præstituto tempore libertate donatus à Valle Tellina, & Rhætia recollectos Gallos secum abduxit. Porrò Vallis populi minimè læti, quia rursum in Rhætorum potestatem devenerant, supplices legarunt preces ad Regem Hispanum, ut ille suos dedititios in perpetuum dignaretur agnoscere, receptosque in fidem subtraheret ab hæretico, & immani regimine. Verùm hæc submissè petentibus responsum fuit: Ut quiescerent qualicunque parta patriæ libertate:moderato,justoque futuro Rhætorum imperio audientes essent: ipsos nihil acerbius, & gravius in indigenas

con-

consulturos, ne violata fide ab irritato Rege majora amissa Valle superioribus mala paticogerentur.

Hic dicitur fuisse exitus belli pro Valle Tellina suscepti; sed gestum fuit præcipuè impensis Venetæ Reipublicæ, non alio proposito fine, nisi ut sibi, cæterisque Italiæ Principibus, antiquam assereret libertatem.

Mantuani Belli Origo.
MDCXXVIII.

TEstamentum Vincentii Gonzagæ Mantuanorum Ducum postremi, hujus belli origo fuit; quo nullum aliud calamitosius, si Mantuæ urbis antiquæ cladem spectes, vel clarissimarum civitatum ab illato contagio depopulationem.

Vincentius absque liberis excessurus è vivis, Carolum Nivernii Ducem, Ludovici fratris Guilielmi Ducis avi sui filium, in Gallia natum sibi ex cæteris suæ familiæ consanguinitate proximiorem, hæredem, & sui Ducatus successorem, instituit: mox imminente morte, Carolo ejus primogenito, Retelii Principi, sua in aula educato, Francisci fratris filiam nuptui tradidit: & à civibus in absentia patris fidei sacramentum præstari voluit.

Omnia hæc summo peracta silentio, defuncto testatore VIII Kal. Januarii, in publicum prodidere, non sine invidia, & indignatione accepta. Aliqui Gonzagiaco sanguine procreati, præcipuè Ferdinandus Guastallæ Dux, ægrè ferebant Principatui inhiantes, prælatum sibi advenam, & inconsulto Cæsare, jura successionis perturbata.

Querebatur Sabaudus præreptam eo arcano connubio ex matre neptem, in sponsam Mauritio filio destinatam, ut causa dotis in Monte-ferrato sua jura dilataret, Non minùs fremebat Consalvus Cordubensis Mediolani Gubernator, quòd in Mantuanam ditionem homo Gallus irrepsisset: invisæ

visæ Hispanis nationi futurum instrumentum Insubriæ crebrò infestandæ: & ostium ad occupandam Italiam opportunissimum.

Intereà Carolus certior de extremis Vincentii tabulis, Mantuam per transversa itinera ad hæreditatem capessendam properat, elusis insidiis, quas transeunti paraverant invidi illius felicitati, ut opprimerent inermem, & obnoxium injuriæ.

Intrantem urbem sub ineuntis anni exordium cives obviàm effusi festis acclamationibus Dominum, & Ducem salutantes excipiunt. Verùm quia sæpè solent lætis rebus immisceri tristia, hoc Mantuanorum gaudium breve fuit: jam livor, & odium in novum Principem sua arma exacuerant.

Illum Hispani quotidianis criminationibus apud Ferdinandum Imperatorem onerabant: quòd spreta Imperii majestate, nullo jure, & nulla sanguinis prærogativa Vir alienigena sibi vindicaret Mantuæ Principatum. Allobroges clandestinum accusabant conjugium: & unà perfidiam exaggerantes; igni ferroque puniendam esse temeritatem exclamabant, & Cæsaream Aulam ad vindictam urgebant. Ex-adverso Veneta Respublica justæ causæ patrocinata per suos Oratores mitiora suggerebat consilia, à quibus non abhorrebat lenis Ferdinandi animus. Itaque visum est, priùs quàm armorum denuntiatione Carolus terreretur, dimittere in Italiam Joannem Comitem Nassavium; qui ab eo Mantuam Cæsareo nomine reposceret, donec inspecta consanguineorum serie, illius ex Gonzaga gente dominatio digna appareret, cui Imperatorium decretum convenire censeretur. Comparuit Nassavius, & ad Carolum Cæsaris mandatum detulit, admonuitque, ut pareret, ne ab irato cogeretur ad sibi indicta Imperiali proscriptione. Hæc exponenti, minantique respondit Dux; nullis legibus obstringi posse, qui à propinquo susceperat

hæreditatem: nullam fieri Cæsareæ Majestati injuriam, qui se Austriaci Imperii beneficiarium, victurumque perpetuò cum filiis in ejus ære, & obsequio profitebatur. Alios jam misisse Viennam, & postremò primogenitum suum, per quos Ferdinandus edoctus de successionis jure, & de calumniis, quibus malignè afficiebatur, sibi hæreditarii Principatus Imperatorio diplomate, confirmationem impertiret. Veneti constantes in protegenda Caroli causa omni ope contendebant, ut Princeps Retelius ad Ferdinandi genua provolutus sui Patris officia, & obsequia deferret, exponeretque conditiones, quas offerebat, ad tollendam controversiam. Ut, una excepta Mantua, cum Casalis arce, diruto propugnaculo, quod incubans urbi offendebat Hispanos; reliqua Montis-ferrati, & Mantuani Ducatus oppida Cæsariani milites retinerent, donec justi arbitri Nivernii rationes, & jura decernerent. Hispani verò continuò infensi obstrepebant; non esse è Cæsaris dignitate, quæ proponebantur: nec responsa data Nassavio audienda, plena temeritatis, & audaciæ. Cùm itaque nihil profectum esset, Mediolani Gubernator, & Carolus Dux Sabaudiæ, facti suorum votorum compotes, arma pridem parata in Montem-ferratum, expediunt, tanta ejus potiundi spe, ut oppidorum, & castrorum ex pacto divisionem præverterent. Verùm irrita, & inanis utriusque expeditio. Consaluus fugatur inglorius ab Casalis oppugnatione: ausæ quoque fœminæ concurrere, ne quis sexus à laude cessaret; Sabaudus, quæ castra parùm munita facilè occupavit, coactus restituit, supervenientibus ab Rupellæ expugnatione Gallis. Interim Carolus, collecto in Gallia duodecim millium exercitu jus suum armis defendere statuit; & Regio protegendus auxilio, Rupella domita, ausus est pro viribus referre vicem, & Cremonensem agrum illatis vastationibus lacessere. Propter hæc Hispani acerbiùs conquesti, ad Nivernii conatus compescendos reposcebant à Ferdinan-

do

do auxilia, memorantes opem datam adversus rebelles in Germania. Tot querelis exaggerata Caroli audacia, Cæsarem impulit ad arma: non auditur Princeps Retelius, & ne maneat in custodiis, admonetur à Veneto Oratore, ut clanculùm ab Aula discedat; Patriq; suo nuntiet in eum conflatum bellum, pro Hispanorum, & Allobrogum votis.

Veneta auxilia Mantuæ à Germanis oppugnatæ. MDCXXIX.

FErdinandus Imperator in suscepti belli expeditionem adversus Carolum Nivernii Ducem, tot agmina mandavit è Svevicis stationibus educi, quot suffectura viderentur coërcendæ ejusdem contumaciæ: & delecti exercitus summam administrationem demandari Rambaldo Collalto: Qui, suis à majoribus hæreditarium, Venetæ Nobilitatis decus assequutus, meruit disciplinæ militari addictus in Cæsareis castris supremos bellici imperii dignitatis gradus. Hoc itaque duce, duo & viginti peditum, tria equitum millia, per incustoditos, patentesque Alpium saltus, ingressa Italiam tenuere. Tanta inconditæ gentis colluvies, quam pestifera lues comitata est, vt cum duplici hoste pugnandum esset. Matthia Galassio, & Joanne Aldringherio, Tribunis, primùm infestavit Cremonensem agrum duris exactionibus: deinde, Ollio flumine tranato, in Mantuana loca, abrupti instar torrentis latè sese effudit, vastans omnia sacra, profanaque immani feritate: Sub idem tempus Ambrosius Spinula pervenit Mediolanum, Cordubensis successor: cum quo Collaltus Laude-Pompeja mansit. Inter hos Duces inito de belli cura consilio, constitutum fuit, contra Mantuam urbem Germanas acies dirigere; cum Hispanis Montem-ferratum invadere, vno eodem tempore, & impetu, ut pluribus in locis Nivernii arma distraherentur. Non minùs Carolus sibi providus, jam Casale pro-

pugnaculis, militibusque validissimè obfirmaverat: jam castra, & oppida, quæ in Mantuano agro patebant primis hostium assultibus, Hostianum, Volengum, Gazolum, præsidiis munierat. Sed hæc ubi primùm conspexere Cæsarea signa, & phalanges tristia minantes procurrere, & ob oculos micare gladios, protinùs in turpissimam deditionem inclinarunt. Cannetto non modicè munito præsidebat Angelus Corrarius, Patricius Venetus, tum ablegatus à Patria. Vir cupidus cum hoste manus conserendi, properis literis accitur à Duce, quem timor incesserat, ne cum præsidiariis accurreret, quò magis urgebat necessitas. Deditis, desertisque in hunc modum oppidis, quæ ingruentes Germanos aliquandiu remorari poterant, extemplò insurgit ubique terror, metus, & fuga incolarum, quorum ingens vis ex trepidatione Mantuam confugit. Direpto, & incenso Gubernulo, propè Mincium in Padum influentem, Aldringherius ante conspectum urbis suas copias exposuit; locaq; ponendis castris idonea occupavit: qui accessus magnum civibus pavorem intulit. Sed illum Dux ab eorum animis dispellere conabatur, spe, & fiducia in Gallorum auxiliis, atque in proximis Venetorum suppetiis, cum utrisque sancito fœdere confirmatus. Hæc inter Respublica audito periculo, in quo Mantua versabatur, in Valle gio, Veronensis agri loco eminentiore contraxerat sub signis millia militum decem & octo à Francisco Ericio regenda: & Marco Justiniano aliis quatuor bellatorum millibus mandaverat, Adduæ, & Olli riparum custodiam: ne quis fieret in Venetos fines hostium excursus. Permiserat quoque Duci suis in provinciis conscribere milites, comparare commeatus, & arma; atque pro viribus sperare subsidia, quotiescunque Galli venirent in ejus auxilium. Sed interim Mantuana rura, villæ, & ædes omni calamitatis genere hostis effusus diripiebat, vastabatque, & urbem, quam arcta premebat obsidio, dira insuper lues miserè ve-

xabat:

xabat: cujus sæviente rabie, opus erat, & militiæ, ob diutinos labores deficienti supplementum dari, & famelicis annonam. Hæc omnia Ericius subministrauit, mille milites, decem muralia tormenta, plaustraque centum rebus bellicis onusta subsidio misit, & pecuniam, ne retardata stipendia coactas turmas disperderent.

Cuncta Petrus Quirinus prospero exitu invexit in urbem, & in regressu dedit in fugam hostilem equitum alam, potitus præda, quæ rapta ex incolarum fortunis in castra convectabatur. Tunc temporis, Collalto Cremonæ ægrotante, penès Aldringherium erat omnis gerendi belli potestas. Is, cùm explorasset, Godium oppidum ad Mincii fauces nimis opportunum ferendæ opi obsessis, ejus decernit expugnationem. Igitur trajecto fluvio, cum expedita militum manu irruit in munitiones: at repulsam passus adeò excanduit, ut admotis tormentis illud diruere, & nemini parcere minatus sit; quare iis exoneratis, qui præsidio præerat, nihil æstimans nominis infamiam, omnium primus cæteris suasit deditionem. Hic Godii casus Mantuanis rebus visus est extremus: nullus alius tutior aditus relictus erat auxiliis: quo præcluso ostio Germani avidiùs inhiantes urbis direptioni, è suburbio suas in mœnia collinearunt machinas: & subacto Cereso, per cuniculos moliti sunt sibi transitum in vicinam insulam, angusto fossæ trajectu ab urbe sejunctam. Disturbat Durantes Venetus Chiliarcha hostium consilium: Deresum recipit, & subterraneos meatus subruit pro dirutis in mœnibus propugnaculis alia confestim excitat; & hæc impigrè propugnans, cogit oppugnantes ab incœptis desistere. Carolus multis subinde velitationibus Cæsarea castra fatigabat: noctu Vergilianam stationem ingressus, plures è præsidio cæcidit; & plurimos in fugam compulsos amnis, fracto ponte, suis aquis obruit. Tum ubique discurrendo per hosticum, commercia quærebat intercipere, & auxiliantibus

tuta

tuta aperire itinera. Verùm dum hæc fiunt, Mantuæ pestilens morbus furenter grassabatur: sua quoque virulentia Germanas acies exhauriebat. Aderat etiam malorum extremum fames, quam vastatus ager, vacuusque cultoribus invexerat. Ad hæc Mantuæ situs è medio lacu surgentis magnum hostibus conflabat negotium: illa expugnatu difficilis: & Venetorum constantia in ferendis suppetiis nunquam defutura: quibus de causis non semel illi cogitarunt laboriosam obsidionem deserere. At Mantuæ suum impendebat fatum: Vicina Ferraria, Germanis mercando Italiæ libertatem, & obsessæ urbis salutem, per summum avaritiæ scelus, accepto pretio, rei frumentariæ copiam, & abundantiam ministravit. Ita vindicati ab inedia; & proxima jam hyeme suis in castris permansere; & urbem latiori vallo cinxere; ac ut eidem nullum importaretur adjumentum, quotidianis discursibus sedulò invigilarunt. In hoc rerum articulo res Mantuanas fortuna deprehenderat: cùm Urbanus Octavus Pontifex, qui conterminis Ecclesiasticæ ditionis oppidis, & in arce, Vrbana dicta, ad forum Gallorum excitata, duo de viginti hominum millia imposuerat, miseratus finitimi Principis fortunam, legavit ad dissidentes Joannem Jacobum Pancirolum. Cupiebat, aut pacem, aut inducias: atque ut cessante bello, in aliquot dies, ageretur de concordia universæ Italiæ optatissima. Pancirolus Collaltum primò, deinde Carolum convenit: verùm cum utroque monita, consilia, preces, & officia incassum adhibuit. Alter petebat iniqua: alter negabat esse sui arbitrii, obstrictus Regis Gallorum nutibus: ex quo irrita legatione, Pontificius minister Romam rediit: & renovatæ fuere dimicationes: à Carolo quibusdam in locis res feliciter gestæ; quibusdam fortiter propugnatæ. Nulla interim in urbe requies: magis in dies gliscebat contagium: augebaturque difficultas intromittendi arma, & cibaria. Hæc duo gravissima mala, pestis, & esuries assiduis fune-

funeribus exhauriebant miseram civitatem: cui suspecta quoque quorundam nobilium fides videbatur ultimam minari cladem. Erant, qui Ducem multo curarum æstu fluctuantem, & ad quæcumque credulum, malebant potiùs perdere, quàm servare.

Hoc tempore infirmi Ericii vices ex Senatus consulto implebat Zacharias Sagredus; & Carolus Rhodigum pagum aggredi, è re militari, & publica esse putabat; eo quippe subacto, difficile haud fore Venetis commeatibus tutum aditum recludere. Igitur subsidiarias copias petit ab Sagredo, duorum peditum millia, & equites quadringentos: has obtinuit; sed opportunè submittendas Atestini Principis ductu. Ille tamen compulsus à suis consiliariis properè festinare, non expectat promissum ex condicto subsidium, & callido obsequutus consilio Rhodigum furens adoritur. At dum eo capto exultat, curatque circumvallare, tum detegitur fraus. Erumpit ex occulto majori vi Galassius, solo æquat aggeres; proterit milites; quos captivos non habet, interficit; & Duci fugienti parcens, mavult ipsum redire, suis civibus infausti facinoris nuntium. Adverso item exitu fortuna obstitit Alphonso Guernerio, & Carolo Rubeo; qui egressi ad occupandam Hostiliam, vix in ejus conspectum explicant agmen, cùm subitò ab insequente Aldringherio, & ab emissis ex oppido stationariis, cæde, & fuga plectuntur. Sagredus in his successibus ne parùm cautus putaretur, & providus, postquam Valegii recensuerat militum octo millia, illudque constituerat horreum, & armamentarium; Villam-bonam teneri voluit à Valleta Gallo, fossa, valloque circumseptam: & eo loco validum extrui propugnaculum, & muniri militibus, ex numero trium millium, quos ille secum adducebat. Non latuit hostes quid Venetus Imperator, obfirmata Villa-bona moliretur; & arcanum de Godio recuperando: unde Galassius sua diligentia prævertit opus: & antequam solicitante Valleta inceptæ munitiones

firmiùs

firmiùs consurgerent, in eas improvisus insiliit, quem nostris summa vi, & propugnatione exceperunt. Ab utraque parte pugnatur obstinatissimè; dubio aliquandiu prælio, ancipitique fortuna, quæ cùm in primis pronior Venetis appareret; postremò nutare cœpit, atque tunc protinùs elusit, quando eductis ab Galassio tormentis, compacti recenter tumuli corruère, & incessanti verberatione percussi, ac soluti, inclusis omne vitæ effugium ademit. Necantur plurimi: Valleta, dum palantes, dispersosque prensare, & confirmare contendit, circumventus ab hoste capitur. Hic infelix exitus Sagredum minimè deterruit, qui in opere multus, statim Antonium Conquisitorem subsidio mittit, cum validissimo copiarum delectu, non desperans, renovato sine mora certamine, debellatum iri cum fessis. Porrò illum hæc fiducia fefellit: nam egressæ cohortes, ubi ad locum, quem Capitellum vocant, præmissas habuere obuias, effusas, & consternatas; panico pavore concussæ cum eisdem regrediuntur in castra, turpi exemplo ignominiosissimæ fugæ. Quod infame dedecus Sagredus occultare voluit, ne alios terreret; illos non fugatos, sed reductos admittens; & illicò decrevit cum belli consiliariis, in Germanos eminùs instantes universum immittere equitatum, quem pedestres copiæ ponè sequerentur. Confertæ acies inter se cohærent, & omnes, tanquam morti destinatæ, vehementi contentione concurrunt. In multas horas atrox efferbuit dimicatio, lusitque sors dubia quò se inclinaret: vsque adeò instabilis, donec nostros à campo perpulit dejectos ab ictibus ignitorum missilium, quæ hostes clàm ex ædium occupatarum foribus jaculabantur: his, cùm equestris militia acriùs urgeretur, laxatis habenis conversa in fugam, & in peditum ordines irruens, magnam eorum partem protrivit. Hinc tanta in Galassio crevit audacia, ut persequendo fugientes haud procul Vallegio, insultans diu noctuque multa verbo-

rum

rum dicacitate occlusos, provocaret ad eruptionem. Sed provocanti responsum nullum, nisi per nunquam intermissa tormentorum fulmina, ne propiùs accederet, datum. Sagredus, cui nihil tam inopinatum, neque tam insperatum contingere potuit; expertus, quæ trepidatio, quæ ignavia esset in exercitu, ex vario hominum genere collecto, in eam se opinionem ab armorum arbitris, & ducibus, passus est adduci, ut non alios iniquioris sortis tentaret eventus, Vallegium clàm desereret: & Pischeriam peteret quàm ocyssimè. Decretus itaque recessus concubia nocte: & imperatum militi, ut municipio bellicis impedimentis spoliato, consumptoque igni nitrato puluere, quisque sub suis signis sine strepitu, & cum silentio ad paratas alibi stationes commigraret. Præceptum hujus profectionis à gregario, rudique peditum vulgo sinistrè acceptum; ac si juberet, ut fugæ se committeret, qui propriæ saluti consultum vellet; continuò meticulosæ turbæ ducentium abnuentes voces, & imperia, dissolutis ordinibus, ruere cœperunt in tenebris, incertæ quam in partem dirigerent iter; manè usque per agros errantes mox dederunt suæ desertionis pœnas. Galassius audito nostrorum discessu Vallegium citato cursu accurrit: & cùm illud prorsus vacuum vidisset, fugientes insequutus est. Quos comperit per campestria dispersos, occidit: & extremum Gallicum Candalis agmen, totum fermè profligat. Casu elapsos à furentis manu, Pischeria, in qua Sagredus se receperat, & Verona saucios, semineces, & pestilentia infectos susceperunt. Nuntii, & literæ, quas uno eodem tempore Senatus accepit, tum de clade ad Villam-bonam illata, Tertio Kal. Junii: deque totius propè exercitus internecione apud Vallegium; tum de peste traducta in Venetam ditionem, vix credi potest, quo incitato animorum furore, & impetu universam civitatem perturbarint. Quapropter Sagredus Venetias accersitus dixit causam suam & peracta quæstione ab Senatu delatis

Rr hono-

honoribus exuitur. Verùm infortunium hoc Patris Nicolaus filius redemit, quem ob singulares animi dotes in Magistratibus, in Legationibus ferè cunctis, domi forisque præclarissimè gestis ad Procuratoriam divi Marci dignitatem assumptum: & in defuncti Dominici Contareni Principis locum, præcurrentibus totius Urbis acclamationibus Eligentium vota, suffectum vidimus.

Mantua Germanis prodita. MDCXXX.

REvocato Sagredo, Respublica, nescia rebus adversis turbari, iterùm suffecit Ericium: huic sine cunctatione in provinciam profecturo, mandat ne Mantuæ deessent auxilia: & ut reparatis viribus hostiles progressus impediret. Omnem solicitudinem exigebant, & queruli Ducis querelę, & Gallici Oratoris officia; nunciantis à Monteferrato Regias copias discessuras, nisi omni conatu obsessæ urbi subventum esset. Igitur Ericius cum primùm Veronam repetiit, extemplò curavit novos largo stipendio legere milites, revocare extorres, dispersos ad signa reducere, & accurata diligentia eum conscribere exercitum, qui par esset, non minùs Reipublicæ securitati, quàm Mantuæ defensioni. Aldringherius verò cum Galassio, qui stationario milite Vallegium munierat, junctis armis, quibus nostrorum socordia paraverat existimationem, ad intercludendas suppetias ubique struebat insidias. Omni tamen metu deposito, Ericius, modò aperta, modò furtiva, tum militum, tum commeatuum submittebat auxilia. Ab ipsis etiam Brixiani, & Veronensis agrorum finibus convehebantur crebrò subsidia patefactis vi aditibus. Unde Venetos immeritò calumniabantur, veluti Mantuanis rebus parùm utiles; decebat quidem conqueri inimicam Caroli fortunam: & esse, quod lueret præteritorum Ducum licentiam,

tiam, & Cives suo luxu perditos. Cæterùm per hos dies Mantuam multiplices angustiæ urgebant, cujus mœstissima facies, & sæva contentio cum duplici hoste; ut quos gladius non occideret, pestilens morbi ingluvies voraret, Carolum impulerunt ire ad Collaltum, in Benedictino cœnobio morantem. Accepta fide cum ipso colloquitur, & obtestatur suam in Cæsarem fidelitatem, & obsequium perennaturum in filiis, atque enixè rogat, ut miseris, ac fessis daret requiem, aliqua saltem induciarum conditione. Illas Collaltus supplici concessit, sed in paucos dies, suadente Aldringherio, cui Federicus Gonzaga, metuens, ut dicebatur, vicini hostis vires, & insolentiam, divi Georgii suburbium tradiderat, servata arce, quæ ponti incubans prohibebat ingressum in civitatem.

Dum igitur feriatur à dimicationibus Aldringherius suas copias inducit in suburbium: qua rei novitate conterriti cives; & occupato Cerasorum propugnaculo sibi extrema imminere suspicantes, cuncta subitò miscent tumultu, conscendunt muros, & in quos credebant fedifragos, tormenta explodunt. Hic non expectatus successus in eumdem errorem violati pacti induciarum traxit Germanos: qui repentè correptis armis impetum faciunt in Arcem: & obtruncatis præsidiariis, intrassent urbem, nisi furentes, & iratos pons opportunè sublatus repulisset. Repentinus casus datam utrinque à bello vacationem sustulit: & Mantuæ validiùs circumsessæ majorem deinceps attulit difficultatem ad opem. Quotidie, ac si parum esset cruento ferro exhauriri, plangebant exanima corpora, domi, forisque exposita, magis increscente pestilentiæ carnificina, & metu omnibus propediem similis imminentis mortis: malignos, & semper infra necessitatem apportari victus: viduari mœnia defensoribus: & in jejunis corporibus dominari esuriem: & quod tantis obruebatur ærumnis, ob nimiam sui Ducis credulitatem, in deteriora mentis consi-

lia, illorum perfidia, & æmulatione, qui nihil aliud exoptabant magis, quàm publica pernicie privata odia exſaturare. Hæc vulgo: Cæterùm ſi Carolus tantiſper Hiſpanam induiſſet perſonam: ſi Cæſari morem geſſiſſet, recepto in Arce Caſalis qualicumque præſidio, certiſſimè res ſuas ſervaſſet, & civium fortunas incolumes. At omnia retrorſum ibant arcana fatorum vi. Tot inter calamitates, ac trepidationes deploratæ Ciuitatis, ſola Veneta Reſpublica reperta eſt, quæ egenti, & afflictæ ſubveniret; Gallis excuſantibus ſe ſua auxilia in Montis-ferrati propugnatione detineri. Illa hoc unum frequens in mandatis inculcabat Ericio, ut quoties proſpera ſors affulgeret, tranſportanda curaret obſeſſis parata arma, annonam, & pecuniam. Quod quidem munus tanta ſolertia obivit Venetus imperator, ut Germani admirantes illius conſtantiam, fidemque in ferendis ſubſidiis, rurſus laborum tædio affecti, & imbecillitate diminuti exercitus extenuati, de remouendis caſtris cogitarent. Verumtamen nulla vis humana, vel virtus obſtare poteſt Divinæ prouidentiæ decreto; propterea ſuſpenſis, & hæſitantibus affuit infandæ proditionis machinator. Hic docuit ſub denſiſſimæ noctis ſilentio parva quædam navigia robuſta bellatorum manu repleri; cum his lento remigio tranari lacum uſque ad portam divi Georgii: facto ibi tacito deſcenſu occiderentur vigiles, de taciturnitate pridem præmoniti, ne ſubmiſſum à Venetis ſubſidium detegerent: poſt hæc, qui miſſi erant, portam pyroclaſtro proſtratam occuparent.

Paulò ante Valleta è Godii cuſtodia elapſus, has hoſtiles machinas de urbe furtim per proditionem intercipienda Duci aperuit: ſed ea referenti nulla fides; quia incredulo ſic illudebant aliqui: nunquam Mantuæ excidium vel ab univerſo inſultante exercitu, vel ab ullo perduellionis reo fore intentandum: Brevi tamen contigit conceptæ fraudis eventus; & nocturnas per tenebras proditionis facinus erupit.

pit. Dux exoneratæ machinæ sonitu; strepituque excitus, omnia confusè agere cœpit: properat Arcem versus ad egressum: & contendit ab ea parte inimicam reprimere irruptionem. Sed qui dolos dolis contexuerat, claves occuluit; quæ nullo in loco repertæ sunt ad reserandas fores: neque ulla ad ciendum bellicum instrumenta. Sub ipso momento, quo comperta fraude sistitur Ducis impetus; ex-adverso urbis ingens exauditur armorum fragor, qui à proditore confictus, eò cives vocabat ad inanem concertationem. Hæc inter duæ portæ patuere hostibus: altera, Pradellæ dicta, ab Ursino Romano impigrè defensa usque ad interitum: altera de Cereso, à Durante Veneto tandiu fortiter propugnata, donec ab ingrediente multitudine repulsus, vivus in hostiles manus incidit. His expugnatis, Germanicæ phalanges glomeratæ in urbem per pontem eadem nocte prosiliere: confertæque visæ sunt luce prima huc, illuc discurrere ad rapinas, ad vastationes, ad scelera. Eo aspectu Dux pristinum pugnandi ardorem exuit, execratusque suorum consilia, & fraudes, in Portum Arcem profugit, atque secum traduxit, quasi raperet, Nurum cum infantulo, inter bombardarum tonitrua enixam: Gallum quoque Oratorem, & alios ex domesticis sibi cariores. Mox, ne plusquam barbaro hostium furori succumberet, de se dedendo has conditiones accepit. Ut bona fide ipse cum suis Melariam, Ferrariensis agri castrum deduceretur. Ut Cæsariani Arcem Portum tenerent.

Respublica miserata lachrymabilem Caroli Ducis, & Mantuæ urbis casum: Principi eo in loco, quandiu mansit, omnia, quæ opus erant ad victum, cultumque abundè suppeditavit: atque afflictis, mœstisque civibus se nunquam defuturam promisit.

Omnis interim posteritas hujus Mantuanæ cladis immemor non erit. Urbs totius Italiæ delicium, quæ situ munitissima, & præsentibus Venetorum defensa auxiliis,

per

per proditionem, ut videretur aliter expugnari non potuisse, in Germanorum manus devenit, hoc anno sexcentesimo trigesimo supra millesimum XV Kal. Augusti: Hostibus opulentissima præda vix per triduum suffecit. Aldringherius, & Galassius pretiosiorem Ducalium Aedium supellectilem, multa, lauta, magnifica, planèque regia surripuerunt. Cæteri ductores, calones, lixæ, non solum fœda avaritia, Templa, & domos expilarunt: sed etiam ferina crudelitate in sacras, prophanasque personas grassati sunt. Excruciabant exquisitis tormentis divitum corpora, ut abdita, & defossa eruerent: nulli sexui parcebat hoc genus hominum barbarum, & petulantissimum, quia sine modo, sine ulla modestia temperare victoriæ, cupiditati, libidini, & iræ suæ nequibat; deploravit Eleonora Imperatrix suæ patriæ excidium: Cæsar quoque indignum facinus suo injussu patratum summè detestatus est. Ita Deo placuit: & postquam ille Mantuanam civitatem pestilentia, cædibus, incendiis, ac direptionibus, non obscuro suæ justitiæ exemplo expiasset; suæ quoque recordatus clementiæ, intra paucos dies eidem pristinum Ducem, pacem, & tranquillitatem redonavit. Pax igitur Ratisponæ sancita III Id. Octobris ejusdem anni, Ferdinandi Cæsaris continentiam illustravit: & Caroli Nivernensis obsequium, tantæ debitum Majestati expressit. Itaque datis Viennæ diplomatibus, Carolus in Mantuani Ducatus, & Montisferrati possessionem, summa omnium Italorum Principum lætitia restitutus est.

Octava in Piratas expeditio.
MDCXXXVIII.

Eggressi è Tunetensium portubus Piratæ, octo suis myoparonibus ad pugnam, & ad rapinas instructis Adriacum Sinum, atque proxima maria latrociniis turbabant.

bant. In hoſtes humanæ ſocietatis Marcus Gradonicus, Veneti pelagi Præfectus bis ſeptem triremibus dimiſſus ab Joanne Mocenico, totius claſſis moderatore, eos contentus deterruiſſe ab infeſtationibus, ſuarum virium, ac nominis metu; incertum, quo conſilio fugientes non ſit ulteriùs inſequutus: ſed converſis proris in Corcyram appulerat. Cythera fuga elapſos occultavit: inde in Creticam oram ſolventes, improviſa deſcenſione pagos, vicoſque non opinato, & unius diei furto, diripiunt, & inflammant; repetuntque Tunetum, plurimis ſpoliis, & mancipiis graues, & onuſti.

Non multò pòſt, Halis Picininus triremes ſeptemdecim, quæ Utica (hodiè Biſerta) eductæ, ad Helleſponti cuſtodiam, ſub illius cura mittebantur (quo tempore Amurathes Turcarum Tyrannus adverſus Perſas bellum gerebat) in Superum mare traduxit. Impius Archipirata noſtræ fidei deſertor, confictа navigatione Liburniæ litora oberrat, & quos de ſuis prædatum emiſit, latrociniis, & accolarum captivitate, divites recepit. Prædatus eſt propè Aſcrivium onerariam navim; & Apuliam auſus infeſtare, Nicodrum depopulatus, ad majores raptus adjecit animum. Cùm igitur omnibus infeſtus, quocunque oculos intenderet, nihil niſi furta excogitaret, in ſacros Aedis Lauretanæ theſauros rapaces inferre manus cogitavit. Sacrilego operi accinctum, cœlitùs contigit, ut repens coorta tempeſtas, inmiſta grandine, ac tonitrubus in Aulonis, nunc Vallonæ, portum, cum piraticis lignis rejecerit.

Per hos dies Antonius Marinus Capellus, inter ſuos gentilitios nomine tertius, in locum Mocenici, claſſis imperator Cretam inſulam cuſtodiebat. Hic auditis Piratarum excurſibus, quibus maria obſidebantur, decem & octo triremes, & duas ſeptiremes, properata ſedulitate inſtruxit: cum hoc apparatu ex Creta ſolvit in prædones; & ſcrutatur omnes Veneti maris receſſus. Reperit tandem univerſam

Halis

Halis Picinini prædatoriam classem in Aulonis statione latere: & congruum tempus expectare ad egressum. Lætus hac occasione sumendi de prædone pœnas divinitus oblata, postquam dies aliquot ante portum constitisset ad anchoras, deliberavit in illum facere impetum, ne cessante malacia reflaret ventus, & perterrefacto postulata venirent auxilia. Sciebat id fieri nulla Turcarum offensa, cum quibus Reipublicæ conventa erant, ubique locorum Mahumetani imperii piratas insequendos esse, & abscissis capitibus mactandos. Itaque per classiarios discurrens omnes hortatur, ut communes hostes impigrè adoriantur, & manus fortiter conferant in spem certam victoriæ, & optimæ prædæ. His dictis, septiremes utrique portus lateri adhærere jubet, reliquas in conspectum explicari, ne ullus Barbaris aditus ad effugium esset. Cuncti accensis animis concurrunt ad pugnam: lacerant majoribus tormentis navigiorum latera, & fortiter vibrant in occlusos ignita missilia, quibus illi pavidi, atque tumultuantes, raptant in custodias mancipia, ne his libertate donatis, nostri suas vires augerent: prosiliunt in litus, & in continenti propugnant egestis tumulis; iisque contecti torquent innumeram telorum vim. Venetos nunquamà certamine removère vel crebri lapidum jactus, vel ab arce fulmina bombardarum, quorum unum avulso confracti mali fragmento Laurentii Marcelli brachium percussit ac debilitavit: Non tamen fluens sanguis absterruit à pugna intentum ad victoriam, quæ modico parta cruore, portum ingressi, consternatos, exterritosque egerunt in fugam. Perastini, quos Archipirata suis latrociniis graviter læserat, natantes sub aquis, funes anchorales, catenasque, quibus ad litora myoparones religabantur, dirumpunt, & præcidunt: quo ingenio, omnes vinculis exutos Capellus adeptus est.

Picininus à mari, & à portu cum suis asseclis exturbatus in montana conscendit; & inde speculatus suas puppes remulco

mulco trahi,& singulas in triumphum duci, furens, ac rabidus Byzantium festinato gressu advolavit. Bassas adorat, conspersus sudore, & lachrymis hic maledicus rei gestæ relator; tantaque in Venetos ingerit convitia,& contumelias, ut illi acriter concitati in iram, & vindictam citissimis nuntiis certiorem fecerint Amurathem in Babyloniis castris hærentem, de Picinini classe,in Aulonis portu, Turcicæ ditionis,lacerata, vique tracta; de oppidi arce muralibus machinis quassata; & insuper de ipsa diruta Mesquita. Tyrannus ad hæc æstuans truci indignatione rescribit vindicari scelus; custodiri Bajulum; interdici cum Venetis commercia; detineri negotiatores; & arma terra marique parari ad puniendam Venetam temeritatem. Interim Venetias nunciatum Capelli egregium facinus, quod VII Id. Augusti contigit, à Marino Molino trierarcho, ingenti lætitia complevit Urbem. Hæc duas piratarum rostratas, & insignem Picinini prætoriam suo in armamentario reponi vidit: virtutis ac fortitudinis monumentum: reliquæ exarmatæ, & inutiles in Corcyreis aquis demersæ Insulæ portum obfirmarunt, Senatus memor gratiarum, quæ supremo debentur Numini, illas singulari pietate egit: publicas omnium ferè Principum gratulationes accepit; & quæ præcipuè officia exequutus est Pontificius Legatus, nomine Vrbani Octaui: cum quo, non armis, sed verbis tunc disceptabatur, de quadam sublata ab Aulæ Regiæ parietibus epigraphe in Reipublicæ commendationem, propter gesta contra Federicum Ænobarbum, impugnantem auctoritatem Alexandri Tertii, quem illa hospitio suscepit, & irato Imperatori conciliavit. Cujus rei testimonium Innocentius X. successor eodem in loco reposuit. Dum hæc Venetiis aguntur, Byzantii Amurathis imperia opere implentur: Bassæ dant satellitibus custodiendum Aloysium Contarenum Bajulum: prohibent cum Venetis negotiationes: & paratas severæ animadversionis minas intentant. Quæ à Turcis

Sf acta

acta sunt Contarenus suis literis nunciat Senatui, qui, etiamsi dubius de proximo bello, ad terrestres tamen maritimasque propugnationes se accingit: expeditisque ad Principes legatis, orat ut in promptu habeant subsidia in communem causam promissa. Ita agendo, non timidè, sed cautè rebus suis prospiciebat. Non minori solertia Contarenus publica negotia curabat apud Bassas, armata donis & largitionibus facundia: asserebat intrepidus ad omnem injuriam ubique repulsandam, Venetis, nec proprias vires, nec externa auxilia defutura: illos justissimam tueri causam: in fœdera non peccasse: nam quocunque in loco eisdem data erat facultas impunè sectandi, & occidendi piratas. Demum Amurathes, capta Babylone, sed Persis non devictis, Byzantium redit, memor vindictæ in Venetos; & nunquam satur imperii prolatandi. Verùm cogitanti expeditionem adversus Rempublicam, Bassæ deliniti Bajuli rationibus, quas amplissima munera roborabant, persuaserunt; ut classes, & arma converteret in Russos, Euxini ponti perturbatores: atque ob eam causam fore nunc opportunius aliquid agere cum Venetis de concordia. Acquievit ille, quem pariter auri fames solicitabat, suorum consilio; & pacatus ad has accessit conditiones: Veneti damna Aulonis arci, & Mesquitæ illata numerato auro resarciant: restituant unam ex triremibus in suum navale traductis, quæ non erat ex piratarum numero: Bajulo in libertatem vindicato, pristina ultro citroque comeat navigatio: cæteris in rebus, conventa inter Turcas, & Venetos contra piratas Inferum Superumque maria infestantes, firma remaneant.

Ita armorum turbinem, qui Reipublicæ imminebat, dispulit Aloysii Contareni prudentia, & mira in gerendis rebus elegantia: eique uniuersa acclamavit Italia pacis & otii tranquillitatem adepta.

Bel-

Belli Parmensis causa. MDCXLI.

PAuli Tertii, & Clementis Octavi, summorum Pontificum favor in commodum Farnesiorum, Parmæ & Placentiæ Ducum, Petri Aloysii, atque Ranutii Mensam Numariam invenit in vrbe Roma; quæ Farnesia dicta, horum perplexis rebus prodesset, ex collatis ad quæstum pecuniis. Constitutæ Mensæ frumentarii proventus Roncilionis, & Castri fuere addicti: ut cum iis pro tempore locatores, & Mensarii quotannis per singula bimestria creditorum nomina expedirent. Hic solvendi mos, qui constans fuit in Ranutio, visus est aliquando in Odoardo filio vacillare, ac turbari; atque adeò intermitti. Quamobrem illi, quos res angusta maximè premebat, crebris onerabant contumeliis Siros, & Grillos Ligures; qui cùm essent locationis, & mensæ ministri, datam fidem ex præscripto non implerent: quanquam cum his immeritò agebatur; quia Odoardus impediebat exactiones redditũum, qui venum ad alienigenas mittebantur. Propter hæc gliscebant in dies gemitus, & querelæ pauperrimæ gentis, cui retardatæ solutiones surripiebant alimenta vitæ, & postquam tota urbe percrebuissent, tandem per nuncios ad ipsas Odoardi aures peruenere, ejusque adventum Caprarolam, regium Farnesiæ domus delicium, maturarunt. Eò profectus, ut res suas cum conductoribus, abdicare se hoc munere cupientibus, componeret; ab Urbano Pontifice invitatus Romam venit. Illum veneratus, adeò in sui gratiam, & amorem pellexit, acri, quo pollebat, ingenio, & exploratæ virtutis experimento, ut nihil non foret, quod optanti non largiretur Urbani humanitas, & Pontificiæ auctoritatis munificentia. Idcircò eidem alieno ære valdè obruto, altera constituitur Mensa, secundæ erectionis appellata, quæ

ob diminuta pecunias deponentibus lucra, plurima augebatur utilitate. Hoc oberati Ducis levamen ab exinanitis solutionibus, ut insolitum, nemini futurum erat in exemplum. Exinde Odoardus cum Urbano frequens, diutinus in colloquutionibus, ac semper acceptus, Aulicorum in se armavit æmulationem, & invidiam. Hæc duo antiqua vitia in Aula Romana illum pessimum in modum arietarunt, omnia suspecta, invisaque fecere Nepotibus, quæ rara, & eximia in juvene Principe Sanctissimus Patruus referebat ad animi ejusdem amœnitatem. Oblimis itaque cœpit oculis aspici; suboritur de dignatione contentio; debitis privatur honoribus; tandem ob illatas, & relatas mutuò offensiunculas, in acerbas utrinque criminationes ventum est: & Odoardum compulerunt ad discessum, quia sermones de eo sinistrè per urbem commeabant. Non tamen priùs abire voluit, quàm Pontifici causam sui discessus aperiret; imputando Nepotibus mutata in simultates officia: mox cæteris in Aula Proceribus valere jussis, Cardinales, Franciscum præ aliis sibi maximè invisum, & Antonium, cum Thaddæo urbis Præfecto, insalutatos reliquit. Propterea Barberini fratres, gravi hac contumelia affecti, dicuntur acri odio efferbuisse: & irritati ad vindictam, hoc consilio, ut propter æs alienum arma distringerent. Hæc iratis se obtulit occasio. Odoardus suo ex indignatione ab urbe Roma egressu, nihil de Farnesiæ Mensæ statu deliberavit, ad leniendas creditorum offensas: unde plurimi erumpentes in lamenta, & querelas, postulabant ejus bona venundari, ut æs alienum solidum solveretur: & miserabilium voces obtundebant in ipsis penetralibus Pontificias aures. Hinc factum est, ut illicò Castrum missi sint exactores, qui omnem rei frumentariæ copiam, quam locatores Apostolicæ Cameræ divenderant, ceu vectigalibus obnoxiam, in Romana horrea conveherent. At illi vacui, & repulsi redeuntes nuntiarunt universam annonam à Duce exactam,

impo-

impositam navigiis, traductamque ad exteros, violata conventorum fide. Insuper ab eodem, qui vim timebat, ipsum oppidum, semilunaribus munimentis, propugnaculis, militibusque validè obfirmatum. Hæc audita exasperatis animis indidere stimulos severæ coërcitionis adversus Refractarium. Primùm igitur admonitus fuit, præceptis, dirisque interminando, ut intra trigesimam diem dimitteret præsidia, & excitatas munitiones dirueret: deinde sciret se ultricibus armis fore oppugnandum, ni actutum pareat. Hæ minæ impendentis mali frustrà intentatæ sunt parato ad propugnandum, conantique probare, datis, editisque libellis agi contra se ex manifesta decretorum, atque denunciationum sævitia. Intereà dies sæpius prolati, ac præfiniti Odoardo, ut resipisceret, incassum effluxerunt: quare accusata ejus contumacia, de inferendo bello lata est sententia. Hanc vel omnino abrogare, vel prorogare, tam Cæsaris, Regumque Oratores, quàm Veneta Respublica, Magnus Etruriæ, & Mutinæ Duces, per suos legatos, integro fermè biennio enixiùs contenderunt cum Cardinali Francisco, ut inspectis rationibus, non districtis gladiis, exortæ contentiones dirimerentur. Sed quæcunque officia, nunquam per id tempus intermissa, parvi duci, detrectari, atque aliis ex aliis conditionibus deludi visa sunt, hoc responso.

Non esse, cur ampliùs de Odoardi causa agatur: se Beneficiarium agnoscat; Romam veniat inermis; & Pontificiis pedibus advolutus commissi criminis veniam imploret.

Barberina expeditio in Odoardum Parmæ Ducem. MDCXLII.

PRofligata spe pacificæ compositionis, postquam aliud quindecim dierum spatium Odoardo datum ad Pontificiis mandatis obsequendum præteriisset, illicò hastæ subjecta

jecta exponuntur contumacis bona, quæ Romæ, quæ foris erant, in debitorum solutionem; & anathemate devotus damnatur læsæ Majestatis reus, Parma Placentiaque urbibus,& omni alio dominatu exuitur. Conscribitur miles,parantur arma,tormentaque advehuntur:& Viterbii lustratur exercitus:eique datur Præfectus Ludovicus Matthæjus.Hic jussus exire in expeditionem V. Kal. Octobris, præmisit Cornelium Malvasiam, cum nongentorum equitum agmine, in plures turmas diviso, qui Tuscaniam primò, mox Montis-alti castellum, dejectis præsidiis occupavit: atque alia loca in Castri circuitu suis excursibus suscepit in fidem. Tandem oppido successit Matthæjus cum peditibus ordinata disciplina in aciem procedentibus:& illud III Nonas Octobris aggressus, postridie ejus diei obtinuit ignavè, ac turpiter deditum à Delphino Angelerio Præfecto, & à præsidiariis, cum primis tormentorum ictibus exteriora munimenta nutarent. Odoardus, audita Castri jactura,valdè excanduit, atque de Angelerio, qui proximum auxilium, ei promissum, non expectarat, in Placentiæ arce debitas exegit pœnas. Conqueritur, se præter jus offensum vi sibi illata ex injustitia,apud Principes affines, & amicos: Imperatorem,Galliæ,Hispaniæque Reges suos exposcit auxiliatores: eos communis periculi nomine adversus Barberinos concitabat:sed iterùm omnes sua officia, preces, & hortamenta ad pacem obtulerunt: sperantes hæc vota validiora, quàm arma cum his , quibus peculiaris Christiani Orbis tutela, paxque inter Catholicos Principes, diuino humanoque jure commendabatur. Hæc Parmensium rerum desperatio, quæ maximè Italorum Principum animis insidebat,Venetos in primis,Etruscos,& Mutinenses habuit solicitos:ne incendium, quod à non parva scintilla cœperat, & Castrum jam corripuerat, vi delatum in Insubriam, vicinas provincias suis flammis combureret.Itaque inter se coire decreverunt viribus, opibusque,testati se in Odoardi causa tuenda

Italiæ

Italiæ tranquillitati proſpicere. Dux hac fœderis ſpe recreatus, bello promptior, quàm paci, Parmam profectus, continuò admonuit Viros ſacro cultui mancipatos, & in clauſtris degentes, ne in vulgus ſchiſmata diſſeminarent: ſi quis dirarum jacula extimeſceret, aliud ſolum illicò peteret. Qui proprio edocti erant exemplo, hoc tempore cautiores, à ſui Ducis obſequio non receſſerunt. Cives, & vectigales, digna ſe ipſo facundia, hortatus eſt, ne in data ſemel fide, ob illa terriculamenta ab ipſo deficerent. Non multo labore id ſibi ſuaderi paſſi ſunt, cùm omnes una voce palàm profiterentur ſuam fidelitatem, & nunquam à ſuo in eum obſequio receſſuros, prompti pro ſuo Principe, & Farneſia domo, fortunas, liberos, ipſamque vitam profundere. Ita domi rebus compoſitis, militiæ adjecit animum, ſtudio tam celeri, ut brevi eduxerit in aciem validiſſimam bellatorum manum. Quantocyùs ineundæ pugnæ, nulla hoſtium ſuorum potentia territus, impotenti deſiderio æſtuabat.

Principum conſociatio in Parmenſis Ducis cauſa tuenda.

AUditi armorum ſtrepitus in Etruria; nunciata Caſtri deditio; Odoardi bonorum, & nominis proſcriptio, ſuſpectaque minarum tonitrua in Parmenſem Ducatum, impulere Venetam Rempublicam, Magnum Etruriæ, & Mutinæ Duces in unanimem conſenſum, & conſpirationem defendendi amici Principis cauſam: conjunctiſque viribus conſulendi populorum quieti, & rerum ſuarum incolumitati. Singulis tamen viſum fuit, priùs quàm properarent ad arma, repetere officia, & multa deprecatione à Barberinis contendere, ut placati darent Odoardo veniam errati, præcipiti juventutis æſtu: & ſatis intercepto Caſtro multatum in priſtinam gratiam reciperent. Sed iterùm hæ inanes, & irritæ rediere. Tunc etiam Senatum, qui

ſemper

semper intentissima cura in omnes componendi dissidii, bellique amoliendi occasiones incumbebat, quædam repentina novitas valde concussit. Inaudierat Barberinas copias ad oras Policinii traductas; excitata prope confinia propugnacula;& Melaræ præsidium impositum: hanc animorum commotionem sedare conatus est Vitellius, Legatus Pontificius, multa coram Patribus asserendo de amica Barberinorum propensione in Rempublicam. Verùm non multò pòst aperuit simulatum officium major suspicandi occasio. Ambrosius Carpineus, Thaddæi nomine, petiit à Mutinensi transitum Barberinis agminibus per ejus terras in Parmenses: quem si dissensus adimeret, vis extorqueret. Hac de causa variæ curæ distrahebant Senatum: cogitabat angustas Mutinæ res, qui viribus impar nequibat impedire profectionem:& identidem, quanta esset illius juvandi necessitas animo versabat. Ideò mandavit Aloysio Georgio, ut cum festinatione cìs Mincium transportaret exercitum; cujus Veronæ degens summam tenebat administrationem: & peditum tria millia, cum centum loricatis equitibus Alphonsi Antonini ductu expediret in Mutinensis auxilium, aliaque submitteret subsidia, si quis violentus fieret ab hostibus transitus. Magnus quoque Dux pari solicitudine Mutinensem pedestribus turmis juvit, & Parmensem, numerata pecunia in militum stipendia. Uterque pugnam anhelans, obstantes moras increpabat; eoque magis, quòd rursus eadem Carpinei postulatio Mutinensem urgebat. Hic, veluti coactus, annuit; modò acies recta procedentes, & manipulatim, suæ ditionis agrum ingrederentur quarto Idus Augusti, & ab eo egrederentur exacto quinto Kal. Septembris. Carpineus hoc responso, Matthejo, & sibi gratulatur: ac prudenti viro illa perexigui temporis conditio insidiosa visa est: non ignorabat auxilia transmissa à Venetis:& paratos Duces ad repellendos transeuntes. Quare, ne manifestæ cædi exponeret exercitum; qui ea prævisa mul-
torum

torum fuga extenuabatur, tutiori consilio abstinuit ulterius ire,& progredi; sed ne subitus recessus dedecori esset illum honestavit objecta induciarum conventio. Hæc in quindecim dies data est, ut interim apud sequestres ageretur de concordia: porrò tempus ex pacto concessum exactum est obstinatas inter altercationes. Prætendebant Barberini Pontificia decreta esse immutabilia: Odoardus recusabat à jure suo discedere: Principes, quos societas conjunxerat, profitebantur, se nunquam passuros, quæ publicæ tranquillitati, vel privato amicorum commodo repugnarent.

Bellum Sociale
Venetum, Etruscum, Mutinense, adversus Barberinos.

RES eo statu, quem diximus, multis difficultatibus conflictatę, solicitarunt ad fœdus Venetos, Etruscos, & Mutinenses; sancitum Venetiis Pridie Kal. Septembris, ab eorum delegatis, atque his præcipuè legibus confirmatum. Ut unusquisque fœderatorum suum pro viribus conscriberet exercitum, qui totus expleret numerum duo de viginti millia peditum: atque numeraret mille, ac quingentos equites. Ut socii mutuò se, resque suas tuerentur. Ut in pristinam Castri possessionem inducerent Odoardum, cui aditus in societatem admittendus, eodem sacramento, quo fœderati. Propterea quæ pro illius causa fuere concepta, eidem Senatus per Joannem Baptistam Ballarinum à secretis exposuit.

Sed, ne quis bellum, hoc nomine cum Barberinis indicendum, grande crederet aliquod nefas; palàm prolatum est, expers esse omni sceleris macula, & prudenter, ac justè susceptum, sanctè custodita Apostolicæ Sedis, Pontificiæque majestatis veneratione, adversus utentes Romanæ potentiæ armis, è re sua, ad inuisi Principis perniciem. His

propterea tribuenda fore sacrilegia, furta, vastationes, cædes, & quidquid mali parere solent arma victis, & victoribus. Initi fœderis fama non adeò terruit Barberinos, ut non sperarent fœdus inter plures pactum, facilè à gliscente sententiarum discrepantia circa belli administrationem, posse aut distrahi, aut rescindi. Nihilominùs dictitarunt omnia fore pacatissima: obligata ab Odoardo unius ex fœderatis fide: se, depositis armis, impleturum ea, quæ decent Pontificium vectigalem. Dux cognita hostium arte, qui cupiebant illum judicio circumvenire, repudiat judices in sua causa Barberinos, tanquam inimicos; & fatetur se paratum ad alia, cùm, penès amicum Principem deposito Castro, lis super eo actitata futuro Pontifici, reservaretur: alioquin jus suum reponebat in armis, ut injustè sibi ablata reposceret.

Cùm itaque bello gerenda res esset, Respublica collegit bissena militum millia omnis generis: eaque defuncto Georgio, regenda tradidit Joanni Pisauro, qui hoc bellum suaserat, & qui Romæ Orator, experientia noverat, quo animo Barberini res Venetas prosequerentur. Proficiscenti in provinciam injunctum fuit ponere castra in vico Policinii, Canda; Padi litora munire præsidiis: non ultra, citrave flumen ducere exercitum, inconsulto Senatu. Hæc mandarunt exequenda prudentissimi Patres; quia nunquam à concordia discordes fuere: atque semper, etiam inter bellicas rixas, de eadem componenda actum est Angeli Corrarii facundi Oratoris opera; qui instauratis congressibus plurimùm laboravit, ut ferocientes Ducum animos molliret: sed horum fervida juventa, incitante audacia prorumpendi in hosticum, ab omni suasione abhorrebat.

Ducis

Ducis Odoardi ingressus in Romanas ditiones.

ODoardus suo peracri ingenio inauditum facinus ausus est: à quo, cùm esset faciliùs verbis, quàm opere, nullis unquam rationibus, precibusve potuit dimoveri. Parma egressus cum tribus selectorum militum millibus, V. Kal. Octobris in Bononiense territorium irrupit, tanto Barberinorum terrore, ut ad famam irrumpentis Thaddæus metu consternatus Ferrariam aufugerit: & Matthæjus, Castrorum Præfectus, quòd nequisset suas copias sistere, panico quodam terrore correptas, Castrum-francum properarit. Dux, nullo quamvis tormentorum apparatu, exiguoque peditum robore instructus, audentior tamen ibat. Plumatium, sibi ausum repugnare, captum diripuit: quod oppidi discrimen omnes circum-incolas illius invasionis pavore, & stupore replevit. Denunciatione ejusdem periculi Bononiam attonitam reddidit: at placatus obsequiis, soloque incessu contentus, intactam reliquit. Alias Romanæ ditionis urbes, & oppida, vel mitibus delinita verbis, vel asperis minis deterrita, patefactis portis tutò pertransiit. Nemini injurius, nisi contrà obnitenti; quamobrem intentata vi Forum-livii prætergressus est. Meldulam flexo itinere petit, Aldobrandinæ gentis consanguineus: inde Magno Duce concedente affini suo ingressum in Etruriam, Aretium provehitur; quo loco Princeps Matthias illum lautè excepit, & ejus militibus in campis pabula ministravit. Refectum ex labore, & incommodo viarum, quas pluviarum defluxus ferè continuus reddidit infestissimas, hortatur ipse ad reditum ob incertum susceptæ expeditionis exitum: at ulteriùs progredi voluit: nam castrametatus in hostico, putabat non modicum Barberinis incutere metum; & ideò Castellam ad Lacum promovit. Oppidani conantes illum inde deturbare, vim sentiunt ultoris; irrumpit audacter, & occupatum

Tt 2 oppi-

oppidum muralibus machinis exuit, nemine hiſcere audente. Tunc rumore differtur Romæ Dux vicinus: eoque increbeſcente, urbs tota intremuit, ac expavit, tantaque omnium gentium, ordinumque confuſio exoritur, veluti ſi ab imminenti procella univerſa ciuitas proculcanda, & ad portas Annibal foret. In hac trepidatione illicò mittuntur Legati, qui cum Duce agerent de omni controverſia componenda. Et ecce currenti objecta remora. Primus ex ſequeſtribus Lionæus dynaſta, Galli Regis Orator Caſtelliam acceſſit, & cum Duce plurima colloquutus de tranſactionibus illi gratulatus eſt, quòd propenſus eſſet ad pacem, & paratus, dimiſſo agmine Romam proficiſci, provolutuſque ad pedes Pontificios veniam obſecrare, his conditionibus. Si aliquis fœderatus Caſtrum apud ſe depoſiti loco ſuſciperet: & ſi intra ſtatutum tempus illud ſibi reſtitueret. Lionæus ſpe conſtitutæ pacis erectus, citatis equis advolat Orepitum, ubi Cardinalis Spata, in eũdem finem deſtinatus degebat. Retulit omnia in pacifico ſtatu eſſe: Odoardum cuncta obſequii, & obedientiæ ſigna erga Pontificem coràm præſtiturum; tum, cùm Caſtrum in Matthiæ Principis manibus depoſitum, eidem ex temporis præſcripto redderetur. Sed, ac ſi nova, & inopinata Cardinali referret, cognovit purpuratum Virum eò veniſſe, non pacis miniſtrum, ſed moratum machinatorem. Nihil magis optabant Barberini, quàm aliqua intercapedine ſe liberos à præſenti ſolicitudine, atque ex induſtria prorogari dies, qui commodiùs ad cogendas vires ſufficerent. Dux hæc ubi reſciit, deteſtatur omnia callidè remorantem: itaque percitus Plebis urbem verſus adequitat: deinde Aquulam, incenſo in via Panicali oppido, quod ſuos pabulantes laceſſiſſet: ut proximiori appulſu mage terreret Barberinos, & eò citiùs adigeret in propoſitas à Regio Legato conditiones. Commeabant ultro, citroque Principum Oratores; & pro Veneta Republica Cor-

Corrarius, omnes intensissimè laborantes; ut infringerent difficultates, quæ à Spata obiiciebantur super Castri deposito. Proptereà pactæ sunt aliquorum dierum induciæ, & spes rediit reconciliationis inter dissidentes. Porrò Odoardus, insidiosæ procrastinationis pertæsus, conscius, quò collimarent Francisci Cardinalis machinamenta: & quòd collecta quindecim hominum millia ex omni ordine, sub Valenzęo Gallo duce, magnæ apud illos existimationis, propediem contra se hostiliter erant processura; sensit dare se pœnas suæ credulitatis, quia cunctando tot dies perdidisset, quod statim promovendo trepidanti urbi esset consequutus, vindex injuriarum, quas erepto Castro acceperat à Barberinis. Frustratus itaque spe victoriæ, quam conceperat ab incusso metu, Aquula discessit; metuens ab hostium multitudine circumfundi, & circumveniri per insidias; ad alia indignantis animi gesta. Per Etruscos commeatum suppeditantes, perque Caferonianam in Insubres festinatò descendit, animo hyemandi, cum Mutinensi Duce, in hostico. Subinde fœderati Principes indignatione, & ira succensi (quòd Spata nihil sanè, non astutè operatus esset, procrastinando transactionis negotium, ut suum votum maturaret; & nihil agendo aliorum deluderet officia) constituunt armis extorquere eam pacem, quam studium publicæ quietis impetrare non potuit.

Varii armorum successus
Odoardus Bondenum, & Stellatam occupat.

BArberini, qui, propter Castrum incruenta victoria acquisitum, majores sibi obsequentis fortunæ eventus spondebant, minabantur, ex valido copiarum delectu, dilatum, non dimissum transitum ad subigendum in Insubria Odoar-

Odoardi Principatum. Habebant sub signis viginti peditum, & duo equitum millia, in diversis locata stationibus: sed præcipuus nervus sui exercitus, cum Thaddęo Ferrariæ subsistebat. Parmæ, & Mutinæ Duces optimè consultum rati, si properatò præverterent hostium cœpta, atque turbarent; uterq; impatiens moræ suam instituit expeditionem. Mutinensis Ferrariam affectabat, urbem quondam Atestinæ domus; & illam furtiva aggressione ad pristina jura revocare: latebant intus aliqui suarum partium fautores, eum admissuri, si constitutæ noctis hora, signatæ portæ successisset. Verùm, quia festinatiùs præter condictum tempus præproperavit, audiunt excubiæ accedentis strepitum, & proditionem suspicati, movent arma, advocantque propugnatores. Nimia celeritas dolos detegit; festinatio Ducem frustrata est; merces machinantibus scelus suspendium fuit. Sors prosperior Odoardo afflavit. defixerat animum in duo oppida, Bondenum, & Stellatam, Ferrariensis agri. Quare utrumque exploratum mittit Carolum Soldatum, ingenio, atque experientia in arte militari sibi notissimum. Hic renunciat, neutrum satis firmè à Valenzæo vallatum, munitumque, & ea optanti acriores addit stimulos; quibus captis, aperta in Padum navigatione, tutus per uberem provinciam patebat excursus. In hanc itaque iturus expeditionem, quam suos celat silentio; sub capitis pœna indicit, ne quis in itinere molestiam inferat indigenis: hæc effatus, summo manè Bondenum versus contendit. fama Ducis adventantis exterritus Franciscus Muriconus Præfectus, admonito Valenzæo, opem implorat. Ille in crastinum promittit auxilia; interim jubet obsepiri vias equitatui, & viriliter venientem repellere. Dux interim sua solertia datum diem occupavit: sub prima noctis vigilia oppidum armorum vi concussum, pavidumque tenebricoso ingressu obtinuit, Muricono ex metu Ferrariam profugiente, ad soluendas suæ ignauiæ pœnas capitis obtruncatione. Hoc fœlici

lici eventu animi plenus, non minori diligentia Stellatam adorsus;cùm præsidii conatus uno impetu repressisset, ea in deditionem recepta, victoriam auxit. His potitus oppidis, existimavit sibi abundè pro Castro satisfactum: & quo studio unum, & alterum, Soldato instructore, munita voluit,latiori vallo,instructaque commeatu bellico; præsidiis, vigiliisque: eadem summa cura toto belli tempore observavit: nec ferè unquam recessit à custodia, & metuens suarum virium dispendia sæpè renuit societatem, & suppetias ferre iis,qui pro illius causa decertabant.

Dum hæc agebantur,Cardinalis Antonius propè Lacum obscurum propugnaculum excitabat, quod utrumque Padi aggerem ponte, & catena colligaret: Senatus prævidens illud opus promoveri in Policinium, imperat Pisauro, ut hostilem machinam destruat. Qui promptus ad jussa, eò cum valido agmine processit: dataque in conspectum acie propugnaculi demolitionem obtinuit. Sed statim ex hoc aperta animorum diffidia, mutuaque in damna rabies. Epirotæ in Sagis sinu, quædam navigia Ferrariam deferentia annonam suis dromonibus intercepere: contrà Barberini in iisdem aquis detinuere nonnullas naviculas, quæ mercibus onustæ Venetias cōmeabant: paulò pòst in urbem deducta navis, à nostris piscatorio astu decepta, captaq; dum à mari in Padum parabat ingressum. Tandem ad confinia Ferrariensis ditionis eligitur Nicolaus Delphinus,ut adversus portoria circumvectionis fraudantes, Reipublicæ antiqua jura custodiret. Vocatus subinde ab incolis, in obsequium Veneti nominis propensis, accurrit ad Ostia plena fluviatili, terrestrique apparatu;spe redigendi in potestatem Sagis turrim, faucibus Padi incubantem, & Arianum munitum oppidum. Qua igitur opus erat celeritate prævertens subsidia, quæ Ferraria mittebat, nocturna impressione, Turrim repentè consternatam occupat, data semisomni præsidio libera abeundi facultate. Posteà Arianum festinato

nato

nato incursu intercepit incautum, deditumque interruptis pontibus reddidit immune ab imminenti hostium accessu. Non minori studio sequutus exploratorem, sub primam lucem Codegaurum invadit. Municipium à propugnantium valida manu aliquandiu strenuè defensum, non semel repulit aggressores. Sed, ubi innotuit, proximas esse Francisci de Comitibus auxiliares copias, promissa militibus Codegauri præda, ita illos animavit ad impressiones, ut resistentes deturbarent à muris, irrumperent, & furiis agitati ob interitum Chiliarchi Ucchi, in fortunas, & corpora Codegaurensium effrænatè desævirent.

Exterrita hoc facto alia contermina loca, Delphino spontè se dediderunt. Eodem tempore Anconitanas aquas triremes Venetæ infestabant, interturbatis rerum commerciis. Cæsenaticum, à classiariis descensione facta, capitur, fugantur præsidiarii, & incendio fortuitò excitato conflagrat. Primarii turrim, tormentis à nostris occupatam, Barberini modico labore recipiunt: & ne iterùm in eorum potestatem veniret, funditus evertunt. Pisaurus veritus ne intumescentis Padi aquæ, disruptis fraude aggeribus, extra alveum effusæ Venetum Policinium inundarent; in riparum custodia sedulam adhibuit operam: atque ut securior fluminis foret custodia, quatuor selectos duces dimisit, Carrucium, Valletam, & Comites, Portum, & Martinengum, ad tot oppida, Melaram, Ficarolum, Lacum-obscurum, ac Trecentam, Reipublicæ subjicienda. Sed singula unicuique Duci spontaneam properarunt deditionem: indigenis novarum rerum cupidis in Venetos inclinantibus. Et Pisaurus Trecentæ statiua sibi castra constituit; commorantibus ad Candam, Jacobo Contareno, & Deghenfeldio Germano; qui Scultennæ pontem imponunt, muniuntque propter amnis liberam navigationem. Per eos dies Odoardus, prætextu necessariæ pabulationis, Padum transire tentat in Policinium: sed illi

obstitit

obstitit Venetus Imperator; & hanc repulsam Dux ægrè tulit: tamen cùm pro explorato habuit, ea loca, ad quæ animum adjecerat, ad Rempublicam ex fœdere pertinere, suos conatus compressit.

Multiplices Oppidorum aggressiones, & propugnationes.

EX his, quæ agebantur à nostris, Barberini, quodam metu pavidi, Ferrariæ se continebant. Tandem collegere animos, & egressi Castellum-francum contendunt: proximi Bondeno, & Finario. Huius municipium Mutinensis Ducatus, Angelus Corrarius curabat: qui timens, ne vicina agmina illud circumsepirent, opportunè Ducem vocat in auxilium. Accessit properè cum suis copiis, plenus tamen querelarum adversus Pisaurum, in opposita Padi ripa considentem: ejus quoque morositatem incusabat Parmæ Dux, suspicatus hostilia arma moveri in Bondeni oppugnationem.

His expostulationibus à Corrario relatis, Pisaurus suam ex Senatus decreto excusationem profert; quo inconsulto, ei non erat permissum acies ad Policinii custodiam in partes distrahere, vel ultra Padum deducere. Hoc responsum à Mutinensi legato Patribus redditum, elicuit mandata ad Pisaurum: ut conventa in fœdere compleret: Mutinæ Duci expeditionibus opem ferret, & iis adesset tempestivè. Ille jussa facturus, multis in re præsenti premebatur difficultatibus; videbat, divulso exercitu, debilitata præsidia; incustodita fluminis litora; & Policinium patere excursionibus. Tria itaque peditum millia, cum sexcentis equitibus, Padum transmissura committit Valletæ honorariæ militiæ ductori: parem bellantium numerum Gonzagæ tribuit, castrorum Præfecto. Quoniam verò in his trajiciendis copiis multiplex gerendarum rerum confusio , transi-

Vu tionem

sitionem ipsam tamdiu morata est, donec Barberini ab exploratoribus acceperint itura fœderata arma ad Centensis oppidi expugnationem: quare motis illicò castris ad ejus custodiam convolarunt. Socii nihilominùs eodem voto Valletæ negotium dedere explorandi Centi situm, & loca idonea aggressionibus. Qui diluculo deductus per invia sistitur clara luce ante oppidum; audacter tamen circumequitat mœnia, scrutatur munitiones, & occursantem equestrem turmam fugat. Fit ingens tumultus in oppido; erumpunt præsidiarii: & ille obsistit imperterritus: sed mox repulsus à Matthæjo: incolumis reuertitur ad suos, & nunciat, Oppidum non minus armis, quàm operibus esse instructissimum. Hac spe frustrati, dum aliis occupantur consiliis, subaudiunt, hostes in Mutinensem agrum effusos, omnia perturbare terroribus; Matthæjum intercepisse Spilimbertum, & Saxulum; atque minis armatum in montana conscensurum. Mutinæ Dux cum Corrario deliberat Scultennæ palustria relinquere, & hostilem sequi exercitum, cupidus aperto campo decertare. Matthæjus à fronte, à tergo, & lateribus hostibus circumfusus, ut congressus refugeret, capta castella, præter Spilimbertum deserit: Dux dejecto hoste, statuit in Crevalcorium socialia arma dirigere: præcessit Valleta, cum lectissima pugnātium manu, & duo secum vexit muralia tormenta. Quo impetu, & machinarum fragore, militumque audacia aggressus est oppidum: Pari eventu sperabat in subitas deditionis conditiones impellere Cautum Asculanum Præfectum. Sed hic non minis, non vi territus hortanti ad deditionem occludit aures; clàm datis literis, cita accersit auxilia. Cardinalis Antonius opis indigo, ut succurreret nullam interposuit moram. Igitur celeri cursu cum Valenzęo improvisus imminet obsidentibus, turbat ordines, persequi jubet fugientes, & dari neci per devia dispersos. Valleta minimè animo consternatus aggressione tàm repentina, superstites à

cæde,

cæde, & fuga reducit ad signa, repugnat fortiter, non sine spe victoriæ, nisi loricati equites turpiter aufugissent; & imploratum à vicino exercitu subsidium properasset. Igitur dum disceptabatur in castris, utrùm submittendum, an retrahendum auxilium; deliberatione facta, non esse exponendas copias incertis armorum casibus, nec victori hosti Mutinensem ditionem ad direptionem; Valleta subsidiis destitutus velitatim pugnando, campo decessit. Ducentos de suis in acie reliquit, de tormentis, alterum gravioris molis in cœnosa fovea defodit. Hoc Barberini inventum festis acclamationibus Bononiam invexere; eminentissimi triumphi præclarum monumentum. Ob hanc victoriam Romæ quoq; ingenti gaudio exultatum est; ac si cum fœderatis debellatum bellum esset: &, deposita pacis negotiatione, Legatis Principum denunciatur ab urbe recessus. Hoc exemplo Respublica Vitellium Nuncium, qui mollibus verbis multis quotidie pacificis promissis vana spe mulcebat Senatum, Venetiis abire jussit. Cardinalis, ut secundi eventus augeret lætitiam, servato, munitoque Crevalcorio, cogitavit de Nonantula adorienda, qua si potiretur, non diffidebat socialia arma prohiberi posse ab aperto in Mutinenses aditu; & ab incusso ipsi urbi metu. Ergo nox integra impenditur futuro apparatui; & quod fuit deliberatum, delecti Duces continuò exequuntur. Sub auroram Valenzæus, in castrum, profunda tantùm fossa circũdatum furenti rapitur impetu, cum muralibus tormentis: Matthæjus animo intercludendi subsidia, miserat ex militibus promptiores, qui Navicelli pontem insiderent: eoque tempore Cæsar Oddus, inter bombardarum strepitus, jam minatus erat municipii Præfecto necem, nisi se dedidisset. Omnes momento irruentes armis, & vocibus vbique insiliunt, & provocant: sed alius ac sperabatur, contingit eventus. Qui præsidio præerat, Eques Fontana, jactatas minas irridet; & confestim Ducem admonet opus

Vu 2 esse

esse celeritate, si ab impendenti discrimine vult salvam Nonantulam. Dictum, factum, nullo temporis intervallo: cum auxiliaribus equitum turmis Dux præmittit Comitem Raymundum Monte-cuculum: ipse tormentis, & peditatu plurimo subsequitur. Interim omnes prætergressus Conquisitor Panzeta, jam à pontis insessi custodia propulsarat Barberinas cohortes, quas ex fuga dispersas Comes excepit: deinde auctus à Duce valido pedestris militiæ incremento, fulminis instar terret, ac cædit Nonantulæ obsessores; dum Valenzęus ejus fossam cœperat complere ruderibus. Hostes, postquam sensere impressionem à tergo factam, & ob oculos micare gladios, diffisi custodia pontis, pavefacti tumultuantur, & vagantur ignari, quò se reciperent sine ductore: quare ex hac trepidatione plurimi in Raymundi manus corruère. Hæc fiunt, & Cardinalis facti inscius, cum Matthæjo properat ad pontem, quasi ad alterum triumphum. Dux certior factus de accessu, nihil in mora potius habuit, quàm insidias in transeuntes: occuluit in fossis, obsitis, ab utroque latere vepribus, expertos moschettarios: & hoc astu incautè proficiscentes decepit. A furiali glandium turbine concussi fuere gravis armaturæ equites: & hi præ metu infrænem cursum capessentes, peditum plures protritos interemerunt. Sors amica favit Cardinali, & Matthæjo, qui inter illa volitantia fulmina incolumes, & ab insequente Duce liberi regressi sunt. Mansit hoc factum Cardinali Antonio alta mente repositum, ita, ut illius in hostes referendi causa, omnes belli offensiones, tum in Mutinenses converteret, pericula, & damna excogitaret. Jussit conscendere in montana milites, fortitudine potiùs, quàm numero pollentes, qui hostilia ibidem patrarent: & inopinata procella gentes, & arces concuterent. Arx Julia capta fuit, ac magnus monticolis injectus pavor. Dux, postquam ad vindictam destinasset Matthiam Scittonum, promulgat, se per Bononienses grassaturum,

ut

ut à montanis hostem retraheret: & à Corrario, qui Venetas acies in Boni-porti statione dirigebat, petit opportuna subsidia: qui quò forent promptiora hanc curam delegavit Gonzagæ, in Castro-novo moranti. Sed quia Dux aliud, præter destinatum, iter instituerat, Scittonum in Montana sequutus: Corrarius, damnato congrediendi cum hoste consilio, in iis locis, absque impedimentis, & commeatibus, ad se revocat Gonzagam, non sine gravi Ducis querimonia. Dicebat, quòd ope destitutus, aliquot solùm insignia victoriæ, non victoriam reportasset, Scittono teste, qui cum tercentis militibus, per salebrosos montium anfractus, obstructasque viarum angustias, multos perdidit de Barberinis: ab Arce Julia deturbavit: & captivos abduxit in castra. Ex his magis cupidus suæ experiendæ fortunæ, ac si ubique prosperè cum ipsa ageret, iterùm de tentanda Bononia cogitabat. Corrarius suadebat à Finario non recedere: attamen, ut omnem de se eximeret contumaciæ suspicionem apud querulum, & facilem in suis ad Senatum expostulationibus, non servari cum eo fœderis pacta, in unum consentit cogere arma, & rectà Spilimbertum pergere. Verùm iter, quod maturandum erat, retardavit viarum difficultas, quæ per id tempus adeò tenaci luto operiebantur, ut qui alterum pedem vellet educere, alterum altiùs infigeret. Interrumpitur ab hac molestia transitus: & qui præcesserant, regrediuntur: nihilominùs Dux constans in suæ profectionis sententia, relicto Spilimberto, ultra Scultennam transportat exercitum, absque ulla Corrarii contentione, non aberrandi longiùs à Padi litoribus. Ad trajectum fluminis nullus obex, præter unius equitum alæ occursantis, quæ metu correpta sese è conspectu proripuit, nuntia Plumatio, adesse hostem. Oppidani deprædationis timore perculsi ultrò sociis ducibus fores aperuere. Ingressi oppidum, quo recepto videbatur non esse metuenda Bononia, milites, quia otiosè considebant conspiratione facta

exeunt

exeunt prædatum, nequicquam tribunis intonantibus minas, necesque. Excurrunt arroganter, & petulantiùs per domos, atque tuguria, quo tempore agricolæ colligendis messibus dabant operam; tantaque rapacitate pauperrimæ quoque gentis reculas surripiunt, & expilant; ut Duces impensè detestati effrænem audaciam, adempta miserabilibus restituerent; & illam in scelestiores ultimo supplicio vindicarent. Cæterùm à tumultuaria confusaque agrestium, & incolarum fuga, Bononia consternatione maxima concutitur: & ab audita paulò pòst Bazziani expugnatione, omni spe abjecta salutis, cum quilibet sinister casus in bello terrori sit, extimescebat, ne Barberinis devota, direptionibus, & incendiis funditus interiret.

Barberinæ militiæ irruptio in Policinium.

CArdinalis Antonius, cujus animo altiùs hærebant ea, quæ socia arma inferebant, ac minabantur damna, secum assiduè, & cum Valenzeo cogitabat, quo modo, & Bononiam à metu eriperet, & suis hostibus paria reponeret. Verùm quia omnia pendere videbantur à Republica, quæ propriis viribus magni erat momenti ad bellum, ad eas distrahendas, de occulta in Policinium irruptione hoc occurrit consilium: cui si afflante fortuna contigisset eam partem in qua Veneti Proceres suas fovent delitias, militari licentia diripere, vastare, & incendere, nulli erat dubium, quin illi coacti ad sua tuenda, ab alienis infestandis essent protinus recessuri.

Hanc itaque Cardinalis deliberationem amplexus, Ferrariam proficiscitur: ubi specie muniendæ validiùs urbis adversus suspectas hostium machinationes, omnia, ad vadandum Padum necessaria, accurato silentio disponit. Igitur in navigia clàm parata, quæ cum robustis bellatorum catervis noctu, non vna vice traductis Valenzeus, aliique stre-

ſtrenui duces conſcenderant, tranſvehuntur, impoſita ſex hominum millia, & plurima impedimenta; omniaque expoſita, in adverſos fluminis aggeres advicum, cui Paviolæ nomen. Deduxit hanc fluviatilem claſſem Comes Hyeronymus Roſſetus, litoralium Padi locorum peritiſſimus: qui & ab exploratoribus accepit, propugnaculũ ad Lacuſ-obſcuri pontem, architectorum æmulatione nondum ab humo excitatum carere loricis, non exuperabili vallo interceptum, & propterea expugnatu facile, ſi audax in illud fieret impetus. Latuit nocturnus his tranſitus noſtros, eorumdem incuria, & avaritia: nullus erat, qui hoſtilia opera ſpecularetur: nullus explorator, qui audita referret: & ideò ſigna tunc data à vigilibus de Barberino trajectu, habita ſunt ſomniantium deliramenta, donec invaleſcente per tenebras deſcendentiũ murmure, palàm innotuit, obſeſſum litus, & in aggere excitatum munimentùm. Qui è proximis ſtationibus poterant exilire ad repugnandum, aufugère terrore, metuque mortis occupati. Solus ad tumultum obequitavit, cum ſuis cataphractis, Eques Tritonius: at dum conatur, & noviſſimos premere, & primos prohibere aſcenſu, ab ingruente multitudine circumdatus, ſatis habuit ſe extricare, & periculum eludere. Eo repulſo Barberini, quorum orta dies prodidit, quot emerſiſſent agmina; catervatim, & furentes proceſſerunt ad expugnationem propugnaculi. Hoc ponti proximum propugnabat Comes Fortus, qui cum Marco Antonio Strozza, turbatis, ac dilabentibus obvius, hos dum ſiſtere, & aggreſſoribus objicere totis viribus connititur, à Valenzęo, in medio ſuperati propugnaculi, à præpotenti manu reprimitur, multis ſuorum interfectis. Compulſus in propinquum habitaculum, cum exiguo militum numero, ſex horas impigrè obſtitit inſequentibus, glandibus, piliſque; tandem admotis bombardis, cum tecta diruerent, & nulla ſubeſſet auxilii ſpes, Valenzęo dignis conditionibus ſe dedidit; à quo fuit per-

perhumaniter acceptus, ob exploratam animi sui fortitudinem. Non ampliùs, ex his, quæ agebantur, erat in ancipiti, Barberinos superasse flumen, & in propugnaculum irruisse. Idcircò Pisaurus festinavit mittere in suorum subsidium quingentos pedites, & equites centum: mox ipse præstò adfuturus cum reliquo exercitu: quamvis illum valde imminuerant missæ ultra Padum expeditiones, & collocata in pluribus castris præsidia. Antecesserat cum primis copiis Marcus Antonius Brancaccius, qui ubi ad colluviaria vada pervenit, audita à fugientibus Porti captivitate, & propugnaculi jactura, substitit, & succedenti Pisauro caussam exposuit sui retardati itineris. Hinc reditus consulitur ad castra, quæ à multis ob metum vicini hostis, fuere deserta: curritur ad Corrarium, ut cum festinatione opem afferat rebus periclitantibus in Policinio: cujus partem, quam occuparant Barberini, gliscentes numero, & audacia, flammis, & cædibus ferociter devastabant. Hæc inter, aggressoribus favebat nostrorum mora in deliberando, quomodo illos propulsarent, & discors opinio (ut constaret, sua quemq; sectando consilia, complurium imperium bello inutile esse) iisdem oportunum tempus præbet ad extruenda duo propugnacula propè Lacus-obscuri pontem, quæ fluminis utrique litori imminerent: & ad prospectum latiùs diffundendum, succidunt arbores, solo æquant ædificia in circuitu, ut prædas securiùs agerent. Per hæc momenta Corrarius decessit Finario; cujus vestigia Matthæjus sequutus ex occasione, aut suis opem, aut nostris damnum laturus, excitavit in Mutinæ Duce cupiditatem Centum iterùm adoriendi, sed magis urgebat præsens necessitas; quæ Bondeni coëgit in unum socios Principes & consiliarios, ut omnem cunctationem de rependendis ex æquo injuriis, abscinderent. Censebant Dux, & Corrarius, servatis armis citra Padum in Bononiensi tractu omnia hostiliter agi: Bononiam aggredi; cujus discrimen si

Bar-

Barberini animo conciperent, procul dubio, relicto Policinio accurrissent ad ejus tutelam, ; quod utique consilium expectationi respondisset. Contrà proponebant Deghenfeldius, & Gonzaga; ille quidem cum equestribus copiis subitum fieri impetum in ipsas hostium stationes : iste non sine peditatu quoque, & cum Parmensi equitatu. Huic opinioni Pisauro inclinanti Odoardus dissensit; nisi priùs data illi dies esset ad suas vires conferendas; & numerata pecunia, ut suis militibus stipendia solveret. Cognovit Dehenfeldius Ducis ingenium; ideò morarum impatiens, suum equitatum in aciem de castris produxit, & cum festinatione concurrit. Propugnaculum, Ricciæ dictum, strenuè invadit: acri prælio commisso, reboant tumultu, armorumque fremitu omnia circùm loca; nam superato vallo, per vias, septaque propugnaculi ruebat in neces. Ad dissonos clamores excitæ è vicinia reliquæ acies, integræ numero, & viribus, audacis bellatoris impetum, non ardorem restinxerunt. Tunc obstinatiùs conseritur manus, at non æquo marte, dum recentes pugnant cum fessis. Verùm, si poscenti subsidiarios, qui in omnem eventum parati esse debent, non obstitisset nimia imperantis cautio; metu, ne potior exercitus pars periret, fama est, pristinum armis Venetis decus eo die à præclara victoria futurum fuisse, ut restitueretur. Cùm igitur Deghenfeldius ampliùs obniti non posset, confertis ordinibus castra repetiit: & Barberini victricibus signis ubique cursitantes, cuncta cædibus, & rapinis fœdarunt. Igni magis, quàm ferro armati, nobiliora Policinii loca demoliti sunt. Proximæ urbes, Rhodigium, & Verona imminentis hostis terrore perculsæ conclamarunt ad arma: sed panicus ille timor brevi sedatus est prudentia Præsidum, & Civium constantia. Ex-adverso nuncius rei infeliciter gestæ in Policinio Senatum stupore maximo perculit, & ingenti mœstitia totam urbem affecit. Audiebat unusquisque vastatos agros, protrita vineta, dissi-

patas ædes, fugatos agricolas, incensa Patriciorum palatia, combustas fruges, abacta armenta, & nullum relictum locum in feraci provincia immunem à direptionibus, & sacrilegiis. Hæc damna passi auaritiæ, socordiæ, & negligentiæ Duces accusabant. Infelix imperantium conditio ut rerum successu conceptis spe minimè respondente ipsi omnium latratibus sint obnoxii. Patribus itaque placuit abrogare Pisauro amplissimam potestatem, duobus ei additis Legatis Angelo Corrario & Michaele Priolo; posteà citatus ad carceres & admissus ad dicendam causam, ita longiùs se objectum crimen amolitus est; ut quæ sequuta est omnium votis absolutionis sententia, clara ab offusis calumniæ tenebris prodiderit testimonia ejus prudentiæ, integritatis, & fidei in Rempublicam. Igitur in pristinam reversus existimationem, meruit tandem supremum Patriæ solium conscendere.

Marci Iustiniani Veneti Imperatoris expeditio. Inauspicatum Comitis Federici Miroli facinus.

PIsauro à bello ad judicium revocato, ei sufficitur Marcus Justinianus; cui dignitate, tituloque pari Senatus detulit rei militaris imperium. Vir ingentis animi festinatò excessit ab urbe, & hac fiducia apud omnes, ut esset deleturus maculas Venetis armis inustas. Ingressus Ficarolum, & lustrato exercitu, bellicum indixit conventum, in quo actum fuit de hostibus à Policinio submovendis. Interfuere Mutinæ, & Parmæ Duces, Legati, & Consiliarii. Mutinæ sententiam, quæ suadebat in Centense oppidum, à quo Matthæjus aberat, moveri arma, corrupit Odoardus, postulatis ab eo auxiliis, verisimilia adducens non posse Bondenum, & Stellatam suis præsidiis carere. Consulebant aliqui, vel oppugnationem Bentivoli propugnaculi, Venetis castris infestissimi, vel cum universis copiis subi-
tam

tam irruptionem in ipsa hostium munimenta: sed utraque expeditio damnabatur à sociis, ut difficillimi exitus: & ita de more altercatum discordantibus sententiis. Porrò Justinianus de sua apud Rempublicam existimatione solicitus, accusato inter tot concertationes temporis dispendio, illud arripuit consilium, quod, ne cunctando senesceret, illicò voluit executioni mandare. Hoc fuit in Ricciæ propugnaculum solis Venetorum agminibus ferri. Præmittit in expeditionem Valletam; qui cum tribus militum millibus propugnaculum ab inferiori litoris parte obsideat: vallum erigat: & super aggestos tumulos tormenta disponat. Tunc ipse statim se promittit affuturum cum Gonzaga, cùm de rebus ad exitum perductis esset admonitus. Ita factum, sed Valenzęus impiger in rebus agendis speculatus ea opera, irrequieto diu, noctuque bombardarum tonitru extructos aggeres concutiebat: pari damno nostri fulminabant propugnaculum: quare machinarum jacula nunquam cessantia, modò Barberinis, modò Venetis viam sternebant ad irruptiones, & pugnas, sæpiùs instauratas plurima cæde, & vices suas agente fortuna. Dubius Valenzęus de victoria, denuò recurrit ad stratagemata: ut sicuti furtivo ingressu in Policinium nostros provocaverat à Bononiensibus: sic alio occulto facinore eosdem removeret ab oppugnato propugnaculo. Seligit duo millia peditum, quibus ars dimicandi, & præsentis animi ad ardua tentanda. Hos prima noctis quiete, cis flumen, cujus libera erat navigatio, ducit cum silentio Comes Federicus Mirolus, singularis audaciæ vir. Transvectos, & albis fasciis præcinctos, ut inter se noscerentur, prohibet riparum ascensu, antequam signum ad insiliendum audirent, data tessera à transfuga Corso. His ita dispositis quievere, donec omnes audito signo exilientes, concordi conspiratione invadunt Gonzagæ Stationem, & furioso incursu tenebris circumfusos percutiunt. Resonat repentè armorum stre-

pitus, & oppressorum ejulatus, qui Gonzagam excitarunt ad opem illis ferendam, qui magis somno sepulti, quàm vigiles impunè mactabantur. Sustinuit ad horæ spatium nocturnos aggressores; quos & strenuè connixus est propellere. Verùm abjecta diutiùs obsistendi spe adversus hostem, qui ante comparatis viribus pugnabat; cùm sibi nullum classico vocatum mitti subsidium videret, retrò cedens, castra, & impedimenta permisit diripienda. Sed hujus tenebricosi insultus damna ita molestè tulit, ut ad ea reparanda nihil reliqui ad celeritatem fecerit. Confestim igitur cinctus prævalida Epiroticæ gentis caterva, firmoque instructus peditatu, sub primum auroræ exortum hostes prædis adhuc intentos, inopinatò aggreditur: & cito veluti turbine perculsos, vel cædit, vel vulnerat: & qui acti in fugam flumen petiere, vel gurgitibus absumpti sunt, vel inter cunctationem subeundi, aut oppressi, aut capti. Denique hunc prosperum vindictæ successum magna cumulavit lætitia ipsius Miroli captivitas: saucium, & fugientem cohibuit in amnis transitu Catruccius Epirotarum ductor: sed non contentus intercepisse gloriantem se illa nocte de Venetis triumphaturum, dum alios in litore palantes persequitur, tergum præbuit lethali vulneri: percussus enim plumbea glande interiit, & suo casu non parùm funestavit illustrem victoriam. Hunc virum, ex octingentis, ut fama retulit, in utraque acie interfectis, inter suos, præcipui nominis Veneti recensuere. Barberini verò Demarchum Sanctacrucium.

Variæ concertationes.

CArdinalis Antonius, cui militaris avaritia dissolverat Miroli prosperè incœptum facinus; alios ex occulto parabat dolos cum Valenzæo: atque utrique prompto ad iras, & ad insidias, omnis procrastinatio erat odiosa.

Medi-

Meditabantur alteram incursionem à flumine, quod, illis absque timore navigantibus, dabat securum appulsum ad ulteriores ripas. Non latuere Justinianum, quæ ab hostibus in quintum diem struebantur fraudes: idcircò cautiori consilio in stationes, non longè à propugnaculo dispositas, munitasque reduxit exercitum ab anteactis congressibus valdè fractum, ac mutilum. Hic tamen recessus ab inexpertis, quibus dulce bellum, non sine compellationibus, & probris in urbe exceptus fuit, visusque severa aliqua animadversione dignus; quia Barberini, cùm nullus obsisteret, suas munitiones pridem acriter oppugnatas, dirutasque eo temporis intervallo validiùs repararunt. Senatus, ne quid suæ, suorumque ducum prudentiæ detrimentum accederet, & existimationi; imperat Justiniano non abesse ab hostium conspectu: & ad quamcunque dimicationem expeditum instructa acie congredi: nihilque quod agendum, audendumque esset, prætermittere.

Dum per hæc in Policinio gesta fortuna alternis vicibus variabat casus; instructa classis: quam è Dalmaticis oris advexerat Laurentius Marcellus, litora legebat, ab Cæsenatico Senogalliam usque & milites crebra descensione plurima damna inferebant accolis. Tandem hærentes in portu Senogalliæ compressit ab excusso è mœnibus tormento Thomæ Contareni navarchi interitus: ac subinde repentinis tempestatibus turbatum mare. Ideò Marcellus, ne classis periret naufragio, illam veluti expulsam, & ejectam in portum, propera navigatione, imminenti periculo subduxit. Per id tempus Barberina agmina in Etruria quoque grassabantur: atque ea de causa Magnus Dux Reipublicæ poscebat auxilia. Hæc Senatus fœderato Principi se daturum promisit, in proximum annum terra, marique paranda: Armatas triremes novem, quæ sinum Adriacum excurrerent: ac totidem rostratas naues, quæ Tyrreni littora custodirent: præter peditum, equitumq; copias,

pias, quæ terra adversus hostes pugnarent. Mandat præterea Justiniano Barberinos distinere in Ferrariensi agro aliquo bellico motu: & Mutinæ Duci suppetias ferre, iterùm æstuanti cupiditate inquietandæ Bononiæ. Ut morem gereret, ille educto exercitu, & in prospectu Lacus-obscuri explicato, ostentavit quid virium, quid roboris secum haberet; ac si alteram propugnaculi oppugnationem esset moliturus. Sed, quia tum nihil audere, & experiri visi sunt hostes, qui antea quodam furoris impetu omnia sibi objecta disjicere minabantur; dato receptui signo in sua castra, eodem, quo exierat, ordine, reversus est. Hic regressus, quem aliqui criminati in præsens, à pluribus in futurum laudatus fuit: tunc resarcitæ fuere Mutinenses copiæ quinis peditum millibus, & equitibus octingentis: & auctæ vires Sebastiano Venerio, qui Delphino ægrotante, in Policinii tractu, ad Loretum interfecto præsidio, Coloniæ vicum combussit. Tunc Valleta, cum aliis infracti animi ducibus, navata egregiè opera trans Padum, majorem hostilium copiarum partem in Bononiensibus occupatam tenuit. His diebus Mutinenses Valenzæum in Etruriam properantem à tergo intercipiunt; & Montecuculus Monteviam, Serravallum, aliaque minora oppida suo Duci asserit. Cœterùm Panzettæ de generoso facinore breve gaudium; obscuræ noctis interventu in Crevalcorium sese immisit: & clara voce Mutinæ Principi vitam, valetudinemque precatus, confusione maxima replevit oppidanos: verùm, dum ingressæ turmæ, territis, & consternatis optima quæque surripiunt, præter opinionem accidit Codræi adventus; qui fortiter irrumpens ingressu suo oppressis lætitiam, & aggressoribus terrorem intulit, intercepto Panzetta, quem deseruere furaces prædantium manus, ut in tutum asportarent direpta spolia. Eadem igitur nocte, qua captum fuit, Crevalcorium Codræi fortitudo recuperat, atque extemplò communit firmioribus præsidiis. Intereà Valleta à Castro-franco,

co, ubi hostes erant castrametati, profligata equitum ala, Bononiam usque infestis excursibus discurrebat: hunc ad Spilimbertum reductum illi totis agminibus obsidere constituunt: at dux bellator, ejus consilii non ignarus, obviàm egreditur, divisoque equitatu, dispositisque in viarum angustiis peditibus, offendit incautos, & compulit re infecta, conceptaque spe vacuos retrò cedere. Non quievit ab offensis, qui manè à transfuga Liburni equitatus ala adjutus, stationarios adoritur, plures in castris occidit, ditatusq; nobili equorum præda ad suos regreditur. Quo tempore, & in Policinio, Delphinus, confirmato corpore à fluminis trajectu, apud Gardam robustos grassatorum, latronumque cuneos repressit: & Antonius Grimanus Crispinum tutatus incursantium per agros militum impetus sæpiùs propulsavit.

Eadem tempestate etiam in Etruria varii fuere hinc inde armorum conatus; & plerumque Barberinis irriti. Magnus Dux consilio, & opera Matthiæ Principis fratris sui, Alexandri Borri, aliorumque præstantissimorum ducum solertia, pluribus in locis violentos hostium conatus fregit: à furtivis Valenzæi assultibus Pistorium vindicavit: castella, oppida, vel accepit in deditionem, vel sibi capta recuperavit. Perusium grandi metu concussit; Petiliam obsidentes disjecit multa cæde, & omnibus exuit impedimentis: apud Montem Jovinum acri prælio vicit: Marram, inter militares duces præcipuum, Florentiam misit captivum: in fugam compulit Cardinales Legatos, elapso è manibus ob equi pernicitatem Francisco Barberino. Hæc, & alia à Magno Duce peracta, ubique adjuvantibus Venetis, relinquimus enarranda iis, qui de hoc Sociali bello copiosiùs scribunt.

Quæ interim horrida ingruebat hyems, coegit dimittere milites in hyberna, & feriari ab armis: sed utique hæc expeditiùs instauranda cùm ver novum appeteret. Proptereà man-

mandavit Senatus augeri diligentissimè copias; Helvetias conscribi centurias; & quibus è Germania conduxerat Gildas, vir pugnacis spiritus trium millium numero, dari stipendia. Classem quoque instrui, quæ à mari per occasiones vexaret hostes; & sociis opitularetur. Non secus Barberini suos ex exteris gentibus instituebant delectus: & Cardinalis Antonius tunc temporis Romam delatus assiduè petebat in proximas expeditiones nummum, commeatuum, militumque subsidia: quæ tamen postulata molestissima fuere Pontifici, & omnibus, qui huic teterrimo bello adversabantur.

Pax inter fœderatos Principes, & Barberinos. Castrum Odoardo Duci restitutum.

MDCXLIV.

Felicia auspicia præsentis anni ineuntis: cùm sub finem præteriti Cardinalis Alexander Bichius, Venetias appulisset, missus à Christianissimo Galliarum Rege Ludovico XIII. ut rescissis dissensionum nodis, Italos Principes, & Barberinos fratres in pristinam concordiam, amicitiamque redigeret, Patribus coràm Vir eminentissimus Regium animum de concilianda pace aperuit, reperitq; quòd omnium consensus par, & idem esset, ut ablegato bello pax succederet, cui semper intentissimè studuerant. Tamen dubitatum fuit de sagaci hostium ingenio, ac præcipuè de Cardinalis Francisci indole magnanima, & mutari nescia. Talia opinantibus ille addidit, Regia arma in eos, qui leges statutæ pacis non adimplerent, parata esse, modò aliud non peteretur, præter Castri suo Principi restitutionem. Hac fide Romam proficiscitur: & ibi adorato Pontifici exponit quæ cum Veneto Senatu egerat: nullumque è sociis ab illius sententia discessurum: multa mala, non restincto bello, Pontificiæ existimationi suscitari posse; cum Italiæ discrimine,

mine, & populorum excidio, ab eo, cui cura incumbit tuendæ publicæ tranquillitatis. Hucusque fœderata agmina prosperiori eventu pugnasse: atque exinde constare, Ecclesiasticam potestatem divinitus institutam, in Catholicorum Principum ruinam, ex privatis affectibus semper habuisse infelices successus. Igitur imperandum esse, ut positis armis, componantur amicè lites: non ampliùs Pax exulet, sed revirescat; & illius sit fidissimus custos Pontificius dominatus. Urbanus ad hæc audita dicitur obstupuisse, valdeque commotus suis exprobrasse rerum gestarum casus, eventusque silentium. Nunc primùm sibi nota adulantium mendacia, reserato veritati aditu. Quare Cardinalium conventum indicit, in quo de pacis transactione agatur; & quod fuerit statutum, exequantur Nepotes; priùs quàm ille morbo, ac senio confectus migraret è vivis. Qui verò ab omni conciliatione alienus erat, & ægerrimè acquiesceret Castri restitutioni, incepit quotidie differre, & procrastinare, quæ citò opus erat fieri: atque eò magis, quòd per eos dies remitteret se Pontificis ægritudo, ita ut, neque vacua Sedes, neque in hoc casu necessariæ induciæ, quæ à Bichio proponebantur, expectandæ. Hæc Romæ agi cum mora, & tergiversatione Veneti à nunciis accepere; atque Cardinalis Antonii properatum in urbem Ferrariam ingressum. Ideò, ne sub pacificis promissis distinerentur à suscepto bello, decreverunt aliquo signo ostendere arma sua in hybernis non torpere. Meditati sunt utriusque ad Lacum-obscurum propugnaculi repentinam impressionem: quorum, alterum ultra flumen Valleta: alterum citra Marinus Badoarius oportunè debebant adoriri. Sed fortuna ubique contraria, paratam expeditionem disturbauit vel triduana pluviarum illuvione, vel præpropero ad vallum concursu militum; qui numero exigui audaciùs præcesserant; sed procul visi non terruere dubios: at quinam essent, mox cogniti, propulsantur, & subsequentes coguntur pedem referre. Subinde in Padanis aquis

Y y Epi-

Epirotæ insidiantes portitoribus, naviculas aliquot frumentarias Primarium versus, vi abduxerunt. Item in Policinio, Jacobus Ripa, & Joannes Paulus Gradonicus, hostes in vicinia excursionibus, & rapinis grassantes, quantò acriùs urgent, repelluntque; tantò fortiùs Valleta fugatos cis amnem persequitur usque ad Lacum obscurum. Vbi eò pervenit cum stationariis è munitionibus egressis, tam obstinata contentione conflixit, ut invalescente tumultu, Ferraria eliceret Cardinalem, plurimo stipatum agmine, cum viris primariis, & Carolo Carafa Vicelegato. Horum interventu recruduit pugna, cujus initium ambiguum, finis Veneto Duci lætus fuit. Non solùm ingruentes sustinuit, sed etiam eos cum clade dispersit. Fugam arripuit Cardinalis, & omnis illius comitatus: at victores instantes è campo dilabentibus in suam potestatem redegere Carafam, Antonium Doriam, unius è propugnaculis Præfectum, ac plures celebris nominis Chiliarchas. Cardinalis cursu velocissimi equi exemit se. Ducenti referuntur occisi: captivi centum ac triginta recensiti. Ex his armorum contentionibus usque in hunc annum agitatis, potiùs ad terriculamentum mortalium, quàm ad perniciem dissidentium, viderant Barberini irritos fore omnes suos conatus: & fœderati Principes, quæ sibi damna ex aliena causa, suisque rebus intulerant: cùm tantùm Castri restitutionem Odoardo Duci exoptarent: qua, vi, aut transactione expressa, omnes à belli societate erant recessuri: Itaq; singulis in mutua pacis conventa propensioribus animis inclinantibus; illam Bichius consequutus est, victis, & victoribus utilem, his conditionibus: Ut Odoardo Farnesio restitueretur Castrum: arces, oppida, munitiones utrinque occupatæ redderentur: Farnesiæ mensæ creditoribus antiqua jura seruata essent: liberos dimittendos captivos; Rex Galliæ pro Odoardo errati veniam Pontifici supplicaret: & hæc omnia cum fide, & cura intra sexagesimum diem unusquisque exequutioni mandaret. His peractis,

actis, Roma digreditur, Venetias profecturus: in itinere Magnum Etruriæ, Mutinæ, & Parmæ Duces convenit, admonitos de optima Pontificis voluntate erga omnes. Appropinquanti Senatus occurrit, læta totius urbis gratulatione: Patres magna pompa exceptum venerantur caduceatorem, qui sua eloquentia, & dexteritate difficili bello optatum finem imposuit. In Ducali Palatio decernitur locus ad congressum. Arbitri deliguntur, exclusis, Cæsareo, & Hispano Oratoribus, ut sancitæ Pacis decus, & gloria, penès unum Gallorum Regem esset. Post hæc recitatas de inita concordia leges, singuli Principum Ministri obsignarunt: & intra Missarum solemnia in Marciana Basilica Kalendis Maji publicata fuit Pax festivissimis acclamationibus: & pro collata gratia celebris indicta supplicatio: gratesque amplissimæ per Legatos actæ Ludovico Regi sequestri: quas & Odoardus sua præsentia Senatui persolvit, accepto beneficio pares.

FINIS LIBRI QVINTI.



IOANNIS BAPTISTÆ VERI

CANONICI PATAVINI

RERVM VENETARVM

LIBER SEXTVS.

Bellum Turcicum Septimum.

MDCXLV.



PAce composita cum Barberinis fratribus, restituto Castro Parmæ Duci Odoardo, vix unius anni requies Venetis ad recipiendum anhelitum data est. Grave adversus Rempublicam insurrexit bellum à Barbaris illatum, quo priorum comparatione nullum, vel temporis diuturnitate, vel rerum successu calamitosius.

Turcis, si vera fateri volumus, idem prætextus, qui olim Romanis; sola nempe vincendi Cretam, nobilem Insulam, cupiditas: his vindicari armis placuit, quòd Cretenses Mithri-

thridati faviſſent: illis ulciſci injurias, quòd Veneti recepiſſent in Inſulam Melitenſes Equites Othomanicæ gentis anniverſarios hoſtes, poſt prædas, & rapinas. Par itaque utrique populo, ſubacta Creta, inſatiabilis dilatandi imperii cupido.

Hoc tempore Andreas Cornelius cum ſumma poteſtate præſidebat univerſæ Inſulæ: cujus adventus in provinciam mali ominis apud multos fuit. Conſtantinopoli à quatuor inde annis regnabat Hibraimus primus hujus nominis, frater Amurathis quarti. Hic profecturus in Perſicam expeditionem juſſerat fratres ſuos necari: nam Othomani, ut ſine ſuſpicione imperent, fratricidia cenſent neceſſaria. Præfocatis Orcane, & Bajazethe ſuſpectæ indolis; Hibraimo parcitur, tanquam fatuo, & Regno ineptiſſimo: qui tamen juſſa non ſunt exequuti, Amurathi à Perſide regreſſo ſuæ contumaciæ capite dederunt pœnas. Interim ille immunis à laqueo in carcerem truſus intra regii viridarii ſepta manſit uſque ad fratris obitum, annis viginti ſeptem. Cùm igitur ſolus eſſet è regio ſanguine ſuperſtes cuſtodia educitur, & à Primo Viſiro, qui ſub ſtolido Principe totius imperii arbitrium affectabat, Turcarum dominus, & Imperator acclamatur. His vocibus ratus ſe illudi, ac potiùs ad ſupplicium, quàm ad ſolium, duci: hoc noluit conſcendere, niſi priùs defuncti fratris cadauer vidiſſet, & contrectaſſet. Ita liber à metu potitur ſceptro, nec pauca dedit ab initio ſanæ mentis indicia: quorum primum fuit confirmatæ cum Veneta Republica amicitiæ, quæ diu permanſerat cum ſex illius Prædeceſſoribus. Cæterùm haud multò pòſt, denuo viſus eſt in inſanias relabi, quando ad majores evexit dignitates viliſſimum mancipium, Iſuffum nomine, Auraniæ in Dalmatia natum. Hic regios hortos curabat, quo tempore ille in ergaſtulo detentus ejus jocis, & facetiis recreabatur. Infamem hominem Selectaris

gradu

gradu condecorat, scilicet suum creat Armigerum, inter Bassas annumerat: & declarat affinem, eidem una ex regiis puellis desponsata: caeterisque in aula dynastis praeponit. Verùm neque hoc ultimum insanientis Principis delirium majus reviviscentis dementiae exhibuit argumentum; cùm ipso instigante Isusso Venetis summè infenso (quia eorum Legati illius adventum in Dalmatiam adversis officiis turbassent; veriti scilicet turbidi hominis petulantiam) pacem violat, rumpit foedera, & sine belli denunciatione furialia arma distringit: neque aliam ob causam, nisi, quòd Creta Melitensium Equitum esset asylum.

Origo Cretici belli.

QUinto Kal. Septembris anni praeteriti fortuitò accidit, ut Melitenses suis triremibus percurrentes Carpathium pelagus, navim offenderint à magna sui mole Sulthanam appellatam. Vehebat Mecham ad Mahumetis sepulchrum ex voto annosum Eunuchum Geslim nomine, regii gynoecei custodem, & unam de Hibraimi concubinis cum impubere Filio; nobili comitatu, & barbarica supellectile ornatissima. Hanc illi piratico more adorti, multa utrinque clade oppugnarunt, & in ipso dimicationis aestu, supremus navarchus Gabriel Boisbodrandus, & Eunuchus occubuere. Locupletes opulentissimis praedarum, & captivorum spoliis Melitam adremigantes Cretica littora adversis ventis jactati attigerunt. Hic appulsus, ob improsperam navigationem excusandus, Venetis primoribus crimini imputatur, vocaturque in culpam de raptis exuviis communicati cum ipsis commercii.

Perlata Constantinopolim nunciis, ac rumore interceptae Sulthanae jactura; vectorum mors; matris, natique captivitas, & Melitensium in Creta cum Venetis negotiatio, universam civitatem perturbarunt: quae iratum Hibrai-

braimum sequutá furenti militum fremitu vindictam poscentium ad arma conclamavit. Quare solicita cura extrahitur ab armamentariis quidquid habent machinarum ad instruendum bellum: & in navalibus, urgente Hibraimo operarios, multarum navium classes adornantur. Dicebantur hæc omnia adversus Melitam parari: sed qui hanc suadebant expeditionem in Melitenses, perpetuò Turcica maria, & ligna infestantes, non fuere admissi. Illorum verò sententia prævaluit, ut vulgato contra Melitam bellico apparatu Classis tenderet ad Cretæ oppugnationem: ingens Othomanicis rebus ejus Insulæ accessione futurum incrementum. Quam cupiditatem magis incenderunt quidam ab Creta transfugæ præsentis dominii causati severitatem, & nobilium licentiam. Exaggerabant in Venetos primates Insulanorum odia: complurium abalienatos animos: non absolutas oppidorum muniriones: & adeò incustoditam Cydoniam, quæ Canea est, ut captu facilis amplum patefaceret ostium ad mittendam sub jugum totam Insulam. Fuit igitur decretum in Cretam transire: sed magno silentio obtegendum facinus, quò Veneti opprimerentur incauti. Si qui ab hac simulatione abhorrebant eò quòd contra gentium leges, & fœderum sanctiones haud liceret non indicto bello imparatos aggredi amicos; ii, vel exilio, vel capite multati sunt: ignorantes Turcicum Regem posse violare fidem, pacta frangere, & animi sui arcana dissimulare ex Mahumetica indulgentia in rebus ad Imperii amplitudinem spectantibus. Propterea Joanni Superantio Reipublicæ Legato, suspicanti illum armorum apparatum adversus Venetos instrui, Bassæ expressis verbis sæpiùs inculcabant, nihil hostile in eos movendum esse: immò ad Senatum missum Chiaussium; qui probaret constantem Imperatoris fidem, ac tutò adduceret Constantinopolim Nicolaum Delphinum electum Bajulum. His dictis captus & elusus Superantius, Patribus significavit per literas om-

nem

nem expeditionem re vera comparari in Melitenses. Interim non obscuri nuncii ex Dalmatia, & Illyrio contraria referebant: ex Creta Antonius Navagerius Cydoniæ Curator irruptionem metuens cita postulabat auxilia: eadem suspicione angebatur Cornelius, fama per Aegæi insulas de bello Cretico increbrescente. Senatus, quamvis adhuc in incerto erat, illicò tamen decernit militum delectus haberi, & omnis generis navigia ad belli usum, duas armavit quinqueremes ab Hieronymo Mauroceno regendas; triginta triremibus totidem patricios gubernatores deputavit: Antonio Marino Capellio decem rostratarum navium curam; & universæ classis imperium tradidit Francisco Molino Marcio Procuratori, maritimis rebus assueto. Verùm hæc per temporis intervalla disponebantur; quia Senatùs adhuc animi pendebat quò tenderent Turcarum machinamenta: nec volebat festinata armorum collectione illis fieri suspectus: quæ circumspectior prudentia publicis rebus valdè nocuit; dum Superantius profuso abundè auro in hominum genus avarum, & rapacissimum, Hibraimi mentem scrutatus comperit meditatum scelus illud esse, simulata contra Melitam profectione; omnes copias in Cretam trajicere. Patribus hanc veritatem magnis erutam largitionibus nunciat: & bellum maximum, ac formidandum impendere Reipublicæ: iisque de causis inter Bassas præcipuè vulgatum: quòd nunquam memoria exciderint audacia gesta Capellii; in Aulonis portu Punicæ triremes vexatæ, & captæ: aliæ in Alexandrina statione oppugnatæ, fugatæque; quarum unam in Cretam traduxerant Christiani captivi libertate donati: quòd Turcæ piraticæ crimine damnati immaniter decollarentur: quòdque nuper in fœdera peccatum fuisset ab his, qui Melitensibus impensissimè studebant, juratis Othomanicæ gentis hostibus. Has causas, & alias prætexebat Hibraimus à Venetorum amicitia discessurus; propter quas Superantius monebat Sena-

tum

tum de celeritate, ne belli initium à Turcis fieret. Ideò confestim solvit Capellius ab urbe in Cretam: item Jacobus Ripa Tenum versus. Ille prospero cursu confecit iter, & impedimentis exoneratis in Candidam urbem, quæ & Candia, à qua tota Insula Candia denominatur, custos accedit Amphimali sinus, qui Sudæ portus, ab arce ejus nominis in scopulo, appellatur: Hic trajecto Adriatico cum duabus onerariis incidit in quinque Punicas triremes, à quibus acriter oppugnatus animi vigore magis, quàm virium robore strenuè pugnavit; adeò ut illarum prætoriani, fugientibus reliquis, in concertatione malè mulctatam mare absorbuit. Pugna dirempta: Ripa victor Tenum appulit: Piratæ Constantinopolim ingressi, suis expostulationibus Hibraimi animum, plusquam credi potest, efferarunt ad vindictam. Idcircò eò citiùs sumitur bellum; &, ut erat dolosis consutum fraudibus, divulgatur collecta in Melitam ea armorum procella.

Turcicæ Classis expeditio in Cretam. Oppugnatæ Cydoniæ deditio.

POtentissimæ Classi per summam fraudem in Cretam velificaturæ deligitur Imperator, quem supra nominavimus, Isuffus; exultante Constantinopoli præ lætitia collati muneris. Ad illum de hoc ipso gratulantes iverunt omnes Principum Legati: accessit etiam Superantius; cui vir subdolus aurea veste donatus juravit Regium mandatum esse, ut rectà tenderet in Melitam. At hæc fallax, & perfidiosa obtestatio non fugiebat Superantium, qui repetitis nunciis, & quàm fieri potuit maximè clandestinis, ne ab itinera obsidentibus interciperentur, Patres, & Insularum Rectores certiores facit de parata hosticæ classis expeditione in Cretam, qua subacta, vastus Hibraimi animus universam Italiam peragrabat. Egressa Constantinopoli sexto idus Maji præsentis anni sexcentesimi quadragesimi

quinti supra millesimum vehebat sexaginta hominum millia dispertita in octoginta triremes, decem rostratas naves, atque totidem Anglicas mercede conductas: accedebant Tunetanæ tres, duæ quinqueremes, una immensæ magnitudinis Sulthana, atque ampliùs ducenta diversæ formæ navigia: & sua multitudine totum Hellespontum operiebat. Delata in Aegæum, quas Venetorum insulas præternavigavit Tenum, & Cytheram, comiter, ac benignè accipiebat à Præsidibus quidquid opus erat classiariis, data pro officio sponsione Reipublicæ loca non esse læsuram. Sed Isuffus penès se habebat rei gerendæ arcanum Hibraimi manu obsignatum, tunc proferendum, cùm Pylum, hodie Navarinum, attigisset. Classis interim tutò ubique mari discurrebat: ab Aegæo in Superum deflectens spem Creticis ostentavit susceptæ in Melitam navigationis: at exigua fuit, & extrema hæc credulitas: nam statim, ac Navarinum pervenit Isuffus, Sexto Kal. Junii, convocatis Turcarum primoribus, & navarchis Regium mandatum explicat, quod continebat subitam exscensionem in Cretam cōcordibus animis, viribusque. Omnes eo jussu alacres, suoque more ululantes, destinatæ expeditioni obvertunt proras: & Isuffus dimissa liburnica, nunciat Hibraimo Classem ad ejus nutum in Creticam insulam transfretasse, & Cydoniam primis aggressionibus tentandam fore. Sub lucis ortum Idibus Junii superato Cynamo promontorio littori adhæsit, & suas turmas exposuit in continentem duodecimo ab urbe milliario, nullo obsistente. Hæc Isuffus agere cœpit in Creta: & Hibraimus de iis certior factus mandavit asservari custodiis Superantium: & Venetos ubique locorum in captivitate detineri; ne per exploratores penetraret ad Senatum suæ mentis arcanum. Hostium accessus, quem ignes solito crebriores in montibus præmonstrarunt, quemque detexit propinquum plurima agrestium turba, terrore percita Cydoniam versus confugiens; Nava-

gerium

gerium excitavit; ut illicò duo millia ex conterraneis præmitteret ad remorandum hostilem egressum; donec munitores aptarent bellica impedimenta, & incepta propugnationis opera absolverent: verùm qui missi fuerant perterriti multitudine hostium (qui jam emerserant in continentem; & excurrentes ad rapinas, raptis, quæ ferri poterant, cætera subditis flammis vastabant) profugum pedem retulerunt. Eodem tempore Navagerius admonuerat custodes arcium Theodoræ, & Turluru, è regione Cydoniæ, ne cessarent à cura, & vigilantia, citò promissi auxilii fiducia. Hæc tamen omnia confusè, ac præposterè: quippe Isuffus per classiarios utramque arcem occupaverat, licèt strage non modica; quando Theodoræ Præfectus Blasius Julianus Histrus, conjecto igne in cryptas tormentario pulvere oppletas ingruentes catervas dissiliente, atque hiante solo involutas flammis, & fumo oppressit ingenti ruina, qua & ipse obrui maluit, quàm Turcicam pati servitutem.

Sexto decimo Kal. Julii Isuffus aggressurus urbis oppugnationem, ut fides fieret ibi locari castra, ubi vehementi strepitu pulsabantur tympana, & clangebant tubæ; atque ita decepti Cydonii eò suas vanis ictibus disploderent machinas: alibi ille plures jussit ignes succendere, qui humi latè vagantes, miro artificio compositi, fumosis voluminibus obcæcabant obsessos; & micanti splendore prælucebant operariis castrametantibus. Hoc astu post diem tertium Urbem quadraginta militum millibus circumsessam irrequieta tormentorum percussione quatere cœpit; Vigebat in obsessis fortis, & obfirmatus animus: crebris eruptionibus fatigabant obsidentes: è muris collineantes jactus, certissimis machinarum jaculationibus plurimos prosternebant. Interim Navagerius repræsentabat Insulæ Præfecto afflictæ urbis conditionem, & deposcebat auxilia. Cornelius tum à primis irruptionibus obviàm ire connixus

imminenti Cydoniæ periculo, sub claris ducibus opem submiserat: sed hostis ubique liberè decurrens numero, roboreque prævalidus ex militibus alios fugavit, alios cæcidit, paucis intra urbem receptis. Aliam tamen subsidiariā quingentorum peditum manum ex præsidiis collectam properare jussit: at vix ducenti Cydoniam intrarunt: quare cùm esset non satis tutus terrestris incessus, obstruentibus Turcis viarum aditus, ad maritimos trajectus applicuit animum. Igitur è triremibus tres selegit aptiores ferendæ opi: & è Nauarchis totidem Georgium Maurocenum, Barbarum Bernardum, & filium suum Catharinum: qui constantia, & fortitudine pares se devoverunt urbis tutelæ, ac propugnationi. Rebus necessariis instructi, nocte, silentique remigio inter speculatoria navigia penetrarunt in portum, cujus nondum Turcæ erant potiti; & suppetias intulerunt. Invecti auxilii tanta fuit lætitia; ut Isuffus, concepti gaudii cognita causa, excubitorum incuriam abscissis cervicibus punierit.

Tandem Venetias pervenere nuncii tristes de Cydonia periclitante, & de Superantio in Custodiis detento, qui Senatum, adhuc inter spem pacis, & belli metum, maximo animorum fluctu perturbarunt. Quare omni procrastinatione rejecta statutum fuit, pro viribus occurrere, & resistere Barbaris fœdifragis; atque in eosdem opem divinam implorare quotidianis supplicationibus: Legatos ad Principes expedire, ut in communes Christiani nominis inimicos sociarent arma: copias ubique gentium conscribere, comparatisque navigiis supplere classes. Intereà jussus Franciscus Molinus, jampridem expeditæ classis Imperator, vt in Insulam festinaret, Corcyræ morbo præpeditus progredi non potuit: certus tamen de hostili impressione in Cretam, solicitauit Laurentium Marcellum; explicare vela, & Zacynthum petere: ibique cum Joanne Baptista Grimano trium insularum

Præ-

Præfecto, cæterisque trierarchis consilium capere de Cretica expeditione. Congregati, dedita ad consultationem opera, in unum, & diu considerantes quid agerent; decreverunt expectandas esse auxiliares triremes, Pontificias, & Melitenses: ac promissum ab Senatu navium supplementum. Aucti his viribus hostem faciliùs ab Insula expellerent: quod decretum à consulentibus expressit obstinata fatorum series, quæ Cydoniæ casum moliebatur, illudque ægrè ferens Hieronymus Maurocenus, qui omnia tolerabiliùs, quàm moram perpeti poterat, quæ cunctando opportuna surripiebat auxilia, obtulit se cum quinqueremibus opem egentibus allaturum. Iterùm animis in diversa distractis; restinxit strenui viri studium data cura Simoni Leono, ut armatis onerariis quatuor milite, commeatuque; celeriter, & consultò cum sociis Joanne Basilio, Francisco Gritto, & Marino Baduario, suppetias ire contendat. XI. Kal. Augusti naves prospera Cauri tempestate in altum eductæ declinant à recto cursu, reclamante Leono; totaque circumnavigata Insula ab Aquilone in Austrum, Hierapetræ portum subeunt. Hic longæ navigationis excursus Cydoniis fatalis extitit. Isuffus interim quem nihil horum latebat, effosis subter mœnia cuniculis infestiores parabat irruptiones: & aliquando veluti miseratione commotus hortabatur obsessos ad honestam deditionem, priusquam ille ab coactis pœnas obstinationis exigeret: has litteras deferebant alatæ sagittæ: iisque per eosdem tabellarios responsum fuit, Cydonios malle gloriosa morte occumbere, quàm tanto dedecore se malis eripi (si tamen malum in patria, & pro patria mori). Post hæc diu noctuque vigilabant attenti, quò Turcæ per occultos meatus essent irrupturi: nec vana cura, nam illi credentes invadere sopitos, lucente luna impetum fecerunt in propugnacula: verùm decepti, propugnantium custodia, & fortitudine repulsi fuere.

Sub-

Subinde Navagerius cognita suarum virium imbecillitate ob quotidianas concertationes, precibus numero frequentibus adibat Cornelium, & valida postulabat auxilia. Rogatus ut hæc suppeditaret in magnis versabatur angustiis: toties expertus pedestres copias à Turcis mutilatas, non aliam sibi viam superesse putavit adjumento, nisi iterùm à mari. Jubet igitur Capellio, ut duas ex navibus, quibus ille præerat, abundanter instructas è portu dimitteret, necessariam opem egenti urbi laturas. At quia jampridem inter hos duces ortum erat de dignationis præstantia dissidium, Capellius ne præcipienti pareret, causatur, se missum ab Senatu ad Sudæ portus custodiam, in cujus perpeti vigilantia stabat Cretæ incolumitas, ac spes recuperandæ Cydoniæ, si fato contigisset amitti: posse expediri alias triremes exemplo felicis navigationis ex antè transmissis. Hæc dicenti Cornelius annuit, ne priuata contentio publico bono officeret. Porrò de instruendis triremibus irritus omnis labor, cùm nullus, vel ipso hortante Capellio, ex trierarchis inventus est, qui facinus aggredi vellet ob classiariorum paucitatem, & remigum formidinem, qui tumultuariè collecti servitium timidi recusabant. Tandem duo, cognomine Boni, reperti sunt Otho, & Alexander, qui sponte susciperent, quod alii fugiebant: at conjurantibus fatis in Cydoniæ ruinam, tanta in apparandis triremibus intercessit cunctatio, ut nunciata deploratæ urbis calamitas omne submittendæ opis decretum everteret. Ex his audacior Isuffus suis in conatibus, majori vi tentavit aggredi propugnaculum ad portam Rhitymniam viriliter propugnatum. Hoc hostis consilium, sexto decimo Kal. Septembris exequendum, detexit captivus quidam in Turcarum castris unius sagittæ volatu; cùm eo ipso die Isuffus totius exercitus robur admovisset adeò furenti, & rabida impressione, ut à fortissimè obluctantibus prohiberi non potuerit, quin propugnaculi fundamenta suffoderet, ac pertunderet:

deret:

deret: abderetque in aperto meatu ſub ipſis terrenæ molis viſceribus plures nitrati pulveris cados: qui apposito igne ſuccenſi, horriſono ſtrepitu ex halarunt, proſternentes totum fermè propugnaculum. Hunc igitur in locum atrox pugna inclinavit univerſæ confluentis civitatis accurſu, adeò ut cum teneris adoleſcentibus imbelles mulieres ad reparandum disjectum munimentum neceſſaria comportabant: omnes accendebat Milanus Bencius Antiſtes, ne immemores religionis, & libertatis ſe ſuaque ſubderent perfidæ, & inhumanæ genti. Hinc ergo contigit, ut Barbari per ſubterranea repentes, & proſilientes in mœnia magna clade, & recepto propugnaculo repreſſi, ac repulſi fuerint. Cæſa in conflictu ad Turcarum duo millia, agnitis inter cadavera fortioribus: vix centum è noſtris occiſi: notæ nobilitatis, & famæ Nicolaus Bonus, Alexander Viarus, Andreas Vizzamanus, Poma, Lionius, Vimes Chiliarchæ: vulnerati Albanus Gubernator, Catarinus Cornelius, & Vertius architectus: qui omnes converſam in propugnaculum periculi molem, novis operibus, ſtrictiſq; gladiis impigrè ſuſtinuerunt. Nihilominùs Turcæ ſua multitudine inſoleſcẽtes nullam feſſis dabant requiem; viribus imminutis, & omni ſpe auxilii carentibus. Propterea iteratis conatibus, & continuè ſtrepentibus machinis quidquid in muris reliquum erat contriverunt. Ex-inde Cydonii, ut omnia ſibi in dies arctiora viderunt eſſe, laboribus attriti, nudati defenſoribus, & proximè trahendi à Barbaris in prædam, atque internecionem, Navagerio, armorumque ducibus oſtenderunt ex mœſtiſſima ſuæ urbis facie, quàm urgens, & fatalis ea eſſet neceſſitas, quæ illos cogeret ad paciſcendum cum hoſte: diu in calamitatibus conſtantes probaverunt ſinceram erga Rempublicam fidem: eamque ſatis manifeſtam Cornelio tot ſuis in anguſtiis. Navagerius his precibus victus, adductuſque ad miſerationem, referente Vertio proſtratas vires: munimenta quaſſata: provectum,

atque

atque inexpugnabile obſidentium robur, in ſententiam devenit componendæ pacis, quæ nihil haberet inſidiarum: licèt aliqui cuperent trahere moram, iterumque fortunæ aleam experiri. At pro certo habebatur nullum ſperari poſſe auxilium ab iis, qui quos tutari debebant, patiebantur deſertos, quia Claſſis adhuc Zacynthi hærebat in novi commeatus expectatione cecidit irrita quatuor munitiſſimarum navium expeditio: & nullus fuit, laborante incaſſum Cornelio, qui vellet, vel auderet afferre ſubſidia. Ideò in conſultatione captum conſilium de urbe dedenda, & proinde decimo quarto Kal. Septembris erectum in mœnibus vexillum album: quo ſigno pacis à Turcis conſpecto, & exultantibus, Iſuffus indixit ſubitam ab omni hoſtilitate ceſſationem, tanta ſeueritate, ut in explodentem igneum globum capite animadverteret: nam potiundæ Cydoniæ cupidus, finem ſuæ expeditionis, quæ præter opinionem ipſi diuturnior contigerat, vehementiſſimè optabat. Confeſtim hinc inde datis, receptiſque obſidibus pax his præcipuis conditionibus ſancitur. Ut intra ſex dies, Urbs dederetur. Ut incolis ſecuritas, ac bonorum poſſeſſio permaneret incolumis. Ut latini, & Græci proprios ritus ſuis in templis liberi exercerent. Ut Rectores, Magiſtratus, & cum iiſdem excedentes quò vellent, Venetas triremes, naveſque conſcenderent. Ut Epiſcopus cum Veſtalibus, & Clero cum ſacra ſupellectili parata navigia haberet ad transfretandum. Ut cuique manendi, vel proficiſcendi facultas eſſet. Ut denique copiæ pergerent terreſtri itinere ad alia Inſulæ loca militari more gradientes. Emigrantibus præſens Iſuffus obſtupuit cùm vidiſſet, quòd trecenti tandiu obſtitiſſent ſuis numero propè infinitis; & quòd coactus à tam modica manu fuiſſet ad paciſcendum: Laudavit eorum conſtantiam, & fortitudinem, raro in Barbaris exemplo; qui nec leges accipere, neque ab ullo ſe vinci poſſe gloriantur. Ingreſſus deditam urbem cum quinde-

cim

cim bellatorum millibus Mesquitas erigit; Præsidem suis ritibus constituit; publicis, privatisque disceptationibus eligit Iudices. Inducit in portum, quem durante bello nunquam obtinuit, quinquaginta triremes: imposito Theodoræ Arci præsidio, & munito scopulo æneis tormentis tutam ibidem stationem classibus præstat. His peractis majora concupivit, arbitratus se nihil egisse, nisi haberet in sua potestate Sudam decem milliaribus à Cydonia. Ut Arcem sibi dari peteret ad ejus custodem Michaelem Maripetrum legavit Jacobum Præmarinum virum nobilem: qui recusans munus suis natalibus indignum, vi compellitur, ut obeat. Præmarinus accessit ea iniqua petitione; sed acriter objurgatus, hoc reddit Isuffo responsum: Nunquam deserendam Arcis custodiam ab eo, qui in ipsa tuenda se totum suæ patriæ debebat. Ita delusus Cydoniæ se continuit opportunam expectans tempestatē ad repetendam Constantinopolim, quò nuncium de recepta per deditionem urbe præmiserat. Sed priusquam se committeret navigationi ad armorum regimen destinavit Aslanum Belerbejum Bassam hominem vehementis spiritus; validiusque munivit Cydoniam adversus Venetorum oppugnationes, quas timebat.

Tandem decimosexto Kal. Decembris suam instituit profectionem securus ab insectatione Venetæ Classis, quia hyemalis rigor præcludebat excursus. Ubi Chium pervenit, ibi reperit jussum Hibraimi suum iter urgentis: quare una, de classe post se relicta, conscensa triremi ornatissima, velorum, remorumque nixu omnium spe celeriùs ad Regiam urbem accessit. Magna lætitia excepto fit obvius Hibraimus, donat amplexus, & oscula, cunctis præ gaudio congratulantibus victoriam. Verùm hi plausus aliquorum invidia in diversa mutati Principis gratiam verterunt in odium, excitato in Aula murmure accusantium Isuffum; tum, quòd in bimestri obsidione oppidi parùm muniti triginta Turcarum millia periissent: tum, quòd justam Hi-

braimi querelam neglexisset: si sic sæpiùs tanta suorum internecione vinceret, breui illius imperium desolatum iri: tum quòd à deditis oppidanis longa pace locupletissimis auro argentoque nulla de congestis prædis dona attulisset Imperatori præter captivos adolescentes, & puellas Ginæceis destinatas, & indonatas Sulthanas reliquisset. Hæc, atque alia objecta crimina crudelis, & avarissimi Hibraimi animum altiùs occuparunt, ac præpollente odio, omnem licèt justam dilecti sui Bassæ excusationem ejecit. Infelici tandem exitu inconstantis lusus fortunæ fuit Isuffus, quem illa repentè evectum inconsultè præcipitavit: jussu Hibraimi laqueo strangulatur. Sed quis hoc Principe dementior! quem immaniter occisum noluit vivum, ejus corpus adhuc calens manu palpans querula voce credidit à morte, ceu somno, excitari posset: porrò ut agnovit extinctum, effusis ubertim lacrymis, inhumavit: Niliaco par monstro; scilicet, quos extinxerat, flente.

Venetæ Classis navigatio in Cretam.

QUo tempore Cydonia cogitur, ob auxiliorum tarditatem, se tradere Turcis in deditionem, Senatus Molino Corcyræ ægroto, & in patriam revocato, suffecit Hieronymum Maurocenum quinqueremium Præfectum cum mandato celerrimæ profectionis in Cretam. Hic jussis obtemperans absque mora Zacyntho solvit, ac in itinere opportunas habuit auxiliares triremes Pontificis Innocentii decimi, & Melitensium Equitum; quibus numero, XI, sub Ecclesiæ vexillo Princeps. Ludovisius præerat. Omnes in communem expeditionem profecti prospera aura Sudæ portum tenuere; absente Capellio, vel ob aquandi causam, vel ob adventum Cornelii vocati à Mauroceno, vt consultationibus de administrando bello interesset. Lustrata Classis cum Creticis triremibus,

&Ca-

& Capellii navibus, talem explebat summam, qualem Ducum potissimi existimarunt validam, quæ Turcicæ objiceretur: nam fore facilius videbatur, quod erat vsurpatum recuperari nauali potiùs robore, quàm terrestribus copiis. Camillus Gonzaga summus armorum Præfectus à terra tutiorem impressionem in hostilia castra fore censebat, cùm nihil aliud mari ipso fortuitis sit opportunius, & Classem Turcicam à grandioribus tormentis longiùs pilas ejaculantibus ab Theodora arce in statione manere incolumem. Sed qui suadebant maritimos congressus, ad hos incitarunt Maurocenum, maximè ob reditum Capellii in portum: qui approbato Navarchorum consilio omnium primus prodit adversus hostes, & cum prætoria navi provectus ad tormenti jactum illos provocabat in aciem: quam & Maurocenus explicata classe frustrà deposcebat: quia Assanus Bassa suis præceperat neque Cydonio sinu solverent; neque se ab arcis Theodoræ statione moverent. Optimè consultum à Barbaro, cui exterrito Veneti ducis nomine & fama, militavit mare procellis tumidum, atque insanè ita fremens, ut nostra classis metu, & periculo naufragii, fugienti similis portum repetierit: tantisper ibidem mansura, quoad fluctibus detumescentibus rursus prodiret. Paucis itaque diebus recreata, confirmataque æquioris fortunæ fiducia in altum progreditur: verùm quis crederet! conjurati venti ex inopinatò glomeratis nubibus ingruunt, qui navium ordine abrupto, & in diversum distractis lignis denuò illam compulerunt, ut ocyùs rediret, unde exierat. Aliquibus persuasum fuit ex his repetitis infortuniis inter infideles versari quoddam genus hominum maleficum, & scelestissimum, qui suis præstigiis, & incantamentis ad nutus elementa commoveat. Quoniam verò hucusque sine ullis assultibus tempus transactum erat; & hyberni dies frigore crudescerent, auxiliarii de reditu cogitarunt à nostris recedentes, promisso tamen in opportuniorem

Aaa 2 tem-

tempestatem regressu. Cæterùm Maurocenus, ne in portu classis torpesceret, sexto Idus Octobris Melum adnavigavit; ubi improviso appulsu tres onerarias, & magnum gaulum Cydoniæ opem latura adoritur, ac turbat. Unam capit è navibus: classiarii qui sequebantur reliquas retinuissent, nisi ventus ex-adverso insurrexisset importunus. Leonardus Mocenicus gaulum abripuit cum sua quinqueremi: quo successu, & præda læti omnes Sudam remigarunt in hyberna.

Per id tempus appulerunt in Insulam Eques Valeta Gallus militaris descensionis Præfectus; & Adriaci pelagi custos Antonius Bernardus. Hi suo adventu non modica ferentes auxilia cum cæteris belli administratoribus consultarunt, rectàne Cydonia à terra; an à mari Theodora arx esset oppugnanda. Valetæ, discrepantibus aliis, placuit terrestri manu præliari, ut erat proprio, & fervido accensus æstu. Incurrit audacter in hostes ad molas, de Gladissò dictas, excubantes: sed in ipsa dimicatione per insidias interceptus locorum ignarus infeliciter pugnavit, deditque triste incauti consilii exemplum. Tercenti fuere occisi: quinquaginta capti, & in acie occubuit Bernardus Sagredus; dum nihil suæ virtuti putavit invium.

Hæc agebantur in Creta fortuna plerumque infesta Mauroceno, cùm eius omnis profectio adversus hostes, veluti invisa fatis in irritum cecidisset: & Venetiis incumbebat Senatus instruendæ classi, quæ remige, milite, machinis, commeatibus, stipendiis, naviumque numero amplissima esset, ac instructissima. Maximo igitur sumptu intra paucos dies fuere in promptu triremes triginta tres; quinqueremes sex; naves quadraginta; igniariæ quatuor; aliaque plura navigia ad ferenda impedimenta forma, & genere varia, haud numerato Cretico apparatu, neque ab urbe antea dimisso in Insulam. Cæterùm qui cum summo imperio tantæ classi præsideret vir militaris scientiæ, & mari-

timæ

timæ rei peritia clarus, cùm nullus reperiretur, qui vellet, aut posset ejus administrationem capessere; licet multa fuerint habita comitia: tandem contigit, quod nemo sibi persuadebat. Franciscus Ericius Princeps octogenario major è solio assurgens, se dixit paratissimum conscendere classem; & subire onus quamvis suæ ætati gravissimum cum ageretur de Religione, & de Patria tuenda, servandaque, quibus corpus, & spiritum lubentissimè devovebat. Obstupuit Senatus, laudataque cum plausu hac sui Principis intrepida obtestatione, illum concordibus votis summum imperatorem renunciavit cum amplissima terra, marique potestate: & decrevit, ut hoc pateret omnibus in Veneto dominio degentibus missis literis decimo tertio Kal. Decembris: Quo generosi ducis ad imitandum proposito exemplo, effectum est, ut cujuscunque Ordinis viri, & quarumcunque civitatum indigenæ voluntaria manu, & ope contulerint subsidia in tam periculoso tempore adversus hostes Christiano nomini infestissimos. Canonici Patavini, nullo prævio exemplo, summam ducatorum mille & ducentum ex proprio censu corrogatam singulis annis in belli impensam erogarunt. Quam omnium consensu, vel absque suffragiis, probatam animorum conspirationem Senatus Publicis litteris adeò commendavit, ut iisdem testatum fecerit illorum Cœtum fore dignum peculiari tutela, tamquam benè de Republica meritum.

Ioannes Capellius Classis Imperator.
Thomæ Mauroceni gesta.
MDCXLVI.

INitium præsentis anni mœstissimum fuit obitu Principis Ericii, quo spes omnis rei benè gerendæ intercidit. Parato ad expeditionem febris publico bono maligna suborta est, atq; subvertit quod fuerat salubriter institutum. Die decubitus decimo anxiè jactatus inter suspiria, & gemitus

se

se diutiùs non posse afflictæ patriæ prodesse, tertio Nonas Januarii, animam, qua Superos demeruerat, ipsis reddidit: Princeps ob egregia facinora domi forisque immortali colendus memoria. Senatus luctu justo mortuum prosequutus in Ducali Sede, duabus hebdomadibus vacua, collocavit Franciscum Molinum: & Joannem Capellium Procuratoria veste decoratum delegit ad regendam classem; quæ tanta numero navium erat, ut nunquam ei similem Veneta Respublica anteactis temporibus eduxerit è suo toto terrarum orbe navali celeberrimo.

Capellius igitur cum classe omnium maxima jussus abire festinanter in provinciam, suo discessu spem totius urbis excitavit optatissimi nuncii, qui afferret Turcica ligna quassata, & Cydoniam receptam. At cum Ducis effœtis viribus Senatus consilia, & populorum vota incassum abiere. Ille inutili cunctatione dum obvias lustrat insulas, & militares audit querelas, nihil deliberando de festinatione, qua opus erat, agendi tempora consumit. Sex mensibus, mora supervacua elapsis, tandem tertio Idus Julii ad Sudæ portum appulit: quem accessum præverterat Thomas Maurocenus in navium præfectura Marini Capellii successor. Virum animi constantia, & fortitudine præditum nulla remorata est formido, quin illicò pertraxerit ad Hellesponti angustias fama de Turcica classe eruptura. Et ne ob ejus exitus tarditatem tempus contereret, vicinam insulam Tenedum improvisa descensione, & excursu vexavit: oppidum non aggressus, à Mussano Bassa clàm traductis viginti triremibus per Asianum littus eodem tempore munitum; inde Mytilenem advenit, sed cito regressu ad pristinas stationes inter Imbrum, Tenedumque vela direxit, ut accuratiùs inimicam classem observaret. Interdum solus cum vastæ molis prætoria usque ad arces Dardanellas (Sextum olim, & Abydum) castra, audacissimè adnavigabat: quo conspectu Bassa illum credidit plusquam hominem.

nem. Uterque tamen cautus, ne aliquid præter expectationem eveniret; alter se continet ab egressu, donec tranquillus aquarum decursus suis respondeat votis: alter veritus undarum, ventorumque tempestatem, postulat ab Capellio leviores triremes, quæ si suborta malacia ipsum præpediret, insequerentur fugientem hostem. In hoc rerum statu fortuna se Barbaris inclinavit, ut Nonis Junii per mare momentò placidum, & secundum tota classis numero, & robore valida in Aegæum descenderit. Intuebatur Maurocenus ægro animo illam impunè egredi: prævisaque suarum navium remora, dolebat ejus fugam nullo obice repressam. Itaque cùm primùm loco se movere potuit, multò concitatior ad pugnam in Chium, & Peloponnesum detorquet proras: at nusquam repertis de celeritate solicitis, magis iniquæ sorti irascebatur; quæ Turcis prospera, sibi adeò extitisset aduersa. Interim cogitanti remetiri Aegæum, manus conserendi cupido, Capellius indicit regressum in Sudæ portum, in quo ferè omnes Classiarii Præfecti morabantur intenti bellicis consultationibus. Audierant delata auxilia Cydoniam; & non contemnendo virium robore Bassam adversus portũ, & Sudam arcem hostilia moliturum: jam pluribus in locis erectas munitiones, tormentaque disposita, quibus præcluso sinus ostio classibus, & commeatibus, Sudam ad angustiam redactam compelleret in deditionem. Decretus itaque in talia audentem magna vi impetus fuit, & primùm ad Cisternas tam vehemens, ut illum Turcæ cùm sustinere nequirent, fugati, & pulsi Cydoniam repetierint: neque posteà ab urbe, neque ab arce Theodora classico provocati, in maritimum congressum descendere sunt ausi. Eminus pugnatum est majoribus pilis: at quæ ad comburendam classem igniaria navigia missa fuere, inutiliter conflagrarunt. Cùm frustrà hæc agebantur; Capellius Sudam reversus accepit Rhodium Bejum brevi Cydoniis laturum esse suppetias: has ut auferret, ipse è vesti-

vestigio Cytheram petere statuit; & in portu consistere Joannem Baptistam Grimanum: robusta Classis utrumque tuebatur, pro certo prætereunti Bejo futura impedimento, sed omnis diligentia ubique irrita;Bejus prospero vento se committens pertransivit illæsus: & subsidia tutissimè adducta in urbem, deposuit.

Dum hæc foris geruntur, Venetiæ infortuniis vexatæ, domi hoc ipso anno pridie idus Junii; ad augenda publica mala, & calamitates; loca, in quibus nauticus panis pinsitur, & coquitur correpta flammis conflagrarunt. Casu, an dolo, incertum. Aliquibus tamen suspecta fuit perfida Judæorum colluvies in urbe: eadem Cyprii belli tempore in ipsum quoque Navale ignem dicitur conjecisse: utcumque sit: gens hæc Christiano utpotè nomini infensissima, procul equidem foret ableganda.

Etiam Locustæ, insectum animal, multitudine innumerabili, in Foro-julienses, & confines Venetæ urbi agros effusæ infausta portendere videbantur. Corrodentes pabula ante matura, & pòst resecta, detrimenta maxima sua depopulatione inferebant segetibus, herbis, & arboribus. Ad has, quæ sata cuncta vorabant, enecandas, delecti ex Senatus consulto viri, armarunt ab omnibus pagis, ac villis agrestes sarculis, ligonibusque, qui celeri occursu eas coactas in prægaltis foveis, ac viva calce obrutas concluserunt: ne diverso modo extinctæ putri sanie, & pestilenti aërem inficerent.

Et quoniam ex impensis quotidie crescentibus exhauriebatur Aerarium; Patres dies, noctesque agitabant, quanam ratione sustinere possent gravissimum bellum, quod soli cogebātur subire. Propterea suis in comitiis statuerunt extraordinaria vectigalia imponere in censuum æstimationibus: decretæ ideò decisiones justæ, taxatæ, ut viæ pecuniarum promptæ, & expeditæ currerent: auctiore fœnore permisso, quo negotiatores spe lucri nummos uberiùs,

rius, & faciliùs suppeditarent; ut stipendia militibus præstò essent. Sed cùm hæc minimè responderent impendiis, necesse fuit procedere ad subsidia voluntaria subjectarum Civitatum; tributa moderata imposita, quæ lubentissimè penderentur: atque subinde novæ inveniendæ pecuniæ formæ excogitatæ. Indicata Sancti Marci Procuratoria dignitas viginti nummum millibus; centum Patriciatus nobilitas; extorres pretio, vel militia reducti: Palatina Officia ementibus oblata: Publica patrimonia ad hastam revocata: honorarii proventus divenditi, vel diminuti.

Rithymna capta à Turcis: Arx deditione accepta. Andreæ Cornelii interitus.

TUrcæ in dies viribus auctiores Octavo Idus Septembris ad Rithymnæ oppugnationem se conferunt; & milliario ab oppido tentoria figunt, castra locant, & obsidionem instituunt, minanturque extrema Rithymniis, nisi citò se dederent. Subinde terrorem incutiunt dum populabundi in locis proximis, quæ deliciis affluebant prædas agunt, urunt, diruuntque funditus. Cornelius acerbè perculsus ea novitate collectis, atque è præsidiis deductis copiis cum Camillo Gonzaga accurrit opitulatum obsessis. Crebræ propterea utrinque fiunt irruptiones, & eruptiones, varia plerumque fortuna. Rithymnii tamen à mari quoque molestissimè navalibus machinis vexabantur, cùm Creticæ triremes non dubiis ictibus expositæ vetarentur accedere, & opem ferre. Tandem pro mœnibus à conflictu pertinaciter commisso, exundarunt è castris Turcæ rapidi torrentis in morem, suaque multitudine nostros verterunt in fugam: abripitur cum fugientibus, quorum pauci integri, magna pars confecti vulneribus, ipse Cornelius, atque unà Gonzaga, qui suos hortando, cogendoque cohibere

Bbb non

non potuerunt. In ea trepidi tumultus confusione Cornelius plumbea glande à tergo percussus, paulò pòst occubuit. Uir, cujus animi ardor, & impetus in administranda provincia tantus fuit, ut fortunam, valdè adversam, & diversam à suis subierit. Hostes fuga elapsis imminentes Rithymniam ingrediuntur, & occupant cruenta cæde, ac tormenta in capta urbe reperta contra Arcem in edito tumulo structam convertunt. Eam Georgius Quirinus duobus mensibus constantissimè propugnavit ex omni parte circumventam: atq; hostium aggressiones, & impetum audacia magis, quàm spe sustinuit, donec vires defecere. Ad extremum cùm nullus superveniret auxiliator; neque diu, noctuque cessarent reboantium machinarum ictus, Arx quassa, & rimosa videbatur brevi casura in obsidentium manus. Igitur fatali quadam necessitate coactus cum præsidiariis, undecimo Kal. Decembris, omnes pacti vitæ incolumitatem, illam dedidit invitus. Sub ipsum anni finem Aloysius Victurius Candiam petiturus cum auxiliaria navi non procul à Cyamo nocte obscura, & caliginosa repentino incursu concutitur ab Rhodiana prætoria. In re subita parumper incertus trepidavit; at dum magna contentione pressus vehementer timeret, periclitanti propitia sors arrisit: duæ triremes actæ furenti vento in ipsam non agnitam prætoriam per tenebras feruntur, eamque deprimunt: quo casu ille ad unum interfectis, à quibus vis ingruerat, periculo liberatus cœptum iter confecit, exposuitque subsidia in urbem, gestientem secundi eventus lætitia.

Thomas Maurocenus pugnat solus cum Turcica Classe, victor occumbit.

MDCXLVII.

CApellius, audita Rithymnæ deditione, omne studium posuit in commeatibus, & auxiliis, quæ libero trajectu

ctu comportabantur Cydoniam, intercludendis. Quamobrem jussit Grimanum Classis Curatorem cum quinqueremibus, & Maurocenum cum navibus Ægeum pelagus excurrere, ejusque scrutari insulas, & scopulos, in quibus ferebat fama latere vectoria navigia. Grimanus tertio Nonas Januarii vix à portu solverat cùm subitò jactatus horridis fluctibus, divulsusque à cæteris, quarta die Lagusum appulit: at Maurocenus ab irato mari victor Ceam versùs contendit: monitus de accessu navium, quæ illuc transportarant ex Africa Mehemetum Regis Algerii filium; & ejusdem nominis alterum illius Regni Præfectum: vocat ab Laguso Grimanum, ut esset pugnæ, ac victoriæ consors; Hic, licèt morbo affectus, cum Antonii Bernardi quinqueremi ad eum festinavit. Imperant concordibus animis militum descensionem, & educto murali tormento verberant oppidum, integro quatriduo; cujus mœnia fracta cùm oppugnantibus aperirent ingressum, obsessi spontè in fidem se tradidere. Recepti ad arbitrium, primarii viri habentur perhumaniter captivi: vulgus transtris destinatur; & spolia, in navigiis remulco Sudam traductis, inter nauarchos, & classiarios dispertiuntur. Maurocenus, hoc successu alacer, fit ad alia facinora promptior, ut etiam sejunctus ab aliis decurreret maria, & quamcunque sectaretur opportunitatem dimicandi cum hostibus. Itaque Mussanus Bassa credulus illum in proximis aquis solum oberrantem facilè reprimi posse; dimisit in audentem nimiùm quadraginta triremes. Curam suscipit expeditionis Carucasius Rhodius Bejus, tanta fiducia, ac si momento ad machinarum explosionem esset incruentam victoriam adepturus. Maurocenus, qui nullum formidabat periculum irrisit Barbari petulantiam; & adhortans suos ad pugnam undique circumdatus, & oppugnatus, navim cœpit agere in gyros, & ab omni latere grandiores pilas in subeuntes jaculari: quæ fera, & continua tormentorum tempestas crebro concussu quassabat hostilia

roſtra:ita ictus dirigebantur, ut præ timore nullus eſſet, qui vellet propiùs accedere. Indignatus Baſſa, quòd ab uno vinceretur, alios ſubmiſit in ſubſidium:& mandavit irrumpere ea vi, atque conſtantia ac ſi Hibraimus præſens adeſſet: ſingulos incitando, nunc pœnarum metu, nunc præmiorum ſpe: ducenti audacter navim aſcenderunt; ſed vibrantibus gladiis, plumbeiſque globulis excepti fermè omnes vel occiſi, vel ſemianimes in aquas præcipitati miſerrimè perierunt. In ſubjectas verò triremes injecti ignes arte elaborati magnum excitarunt incendium: quo ubique bacchante, terror in hoſtibus multiplex fuit; veluti ſi abruptis nubibus coruſcarent fulgetra in eos, caderentque fulmina. Hæc inter in navi excurrit nuncius duas quinqueremes in auxilium properare; tunc Maurocenus, ne cum externa ope potiretur victoriæ, vividi ſui ſpiritus auxit robur, ut ubi majus urgebat diſcrimen præſtò adeſſet manu, & conſilio. Sed fortuna tanti viri gloriæ invida noluit illum optatiſſimo triumpho ſuperſtitem. Jacuit ex vulnere in capite extinctus: qui acerbo fato proximi erant, ejus necem occultant, ne patefacta ſocios à pugna deterreret. Qua in ſex horas protracta obſtinatiſſima contentione, tandem ab ea ceſſatum fuit maxima Turcarum ſtrage. Muſſanus interemptus, deſiderati non pauci nobilis gradus armorum duces, plurimi è claſſiariis tum ferro necati, tum flammis obruti, & aquis ſubmerſi: denique claſſis partim incenſæ, partim laceræ, & conſternatæ fuga, hanc unius Maurocenæ navis victoriam mirificè illuſtrarunt: defuncti corpus Venetias delatum Senatus extulit ea pompa, quæ decebat benemerentem de Republica:& Jadertinos, Dalmatas, Epirotaſque, qui cum Mauroceno fortiter dimicarunt, honorificis remuneravit officiis.

Leo-

Turcæ capiunt Novigradum.
Leonardus Fuſculus Dalmatiæ Præfectus.

HOc ipſo anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo ſeptimo Turcicus armorum motus agitavit Dalmatiam. Boſniæ Baſſa ad Hibraimi juſſa ſuis excurſionibus in Venetos fines cuncta ibat depopulatum. Adorſus ad maris littus Crapanam turrim, ex qua erumpentes incolæ tranſeuntis agmina carpebant, perdere, ac diruere juravit. Incluſi, & barbaro furori expoſiti omni humano auxilio carentes, divinum magnis vocibus inclamabant, quod præſtò adfuit, illac prӕternavigante Daulo Dotto patricio Patavino. Dum ille intento curſu contendit Aſcrivium ad flebiles depoſcentium opem ejulatus conſtitit: in turmas miſeris infeſtas ſuæ triremis proram detorquet, explodit majus tormentum, jaculatuſque è minoribus plumbeos globulos illas hac animi ſui pietate, ac fortitudine conſternatas improviſa aggreſſione abſcedere coëgit eximens à nece, atque à captivitate Crapanos. Baſſa minatus in aliud tempus vindictam ad expugnandum Novigradum ſuſceptæ expeditionis ſcopum properavit: & illud Provinciæ oppidulum, per deditionem accepit; de ejus cuſtodia diffidentibus præſidiariis, quòd viribus impares à loco parùm munito arcere hoſtem difficile; & incerti de auxiliis; quæ tamen jam parata brevi erant afferenda. Verùm nullum conſilium iis, qui aliud nihil cogitabant, præterquam de vita, & libertate: tamen experiuntur, quàm fluxa eſſet Barbarorum fides, cùm plures perfidus hoſtis morti, & captivitati dederit. Baſſa occupato Novigrado, majora oppida conabatur invadere hac ſpe, ut Reſpublica bello in continenti quoque implicita diſtractis, imminutiſque viribus infirmior eſſet in Cretæ propugnatione. At pridem ex Senatus cõſulto Aloyſius

sius Maripetrus provinciæ oras præsidiis munierat:& castra minùs tuta demolitus,cætera solo æquatis circùm ædificiis, vallo, fossa, firmisque munitionibus sepserat. Præsentium turbarum fax fuit Halyius Bejus Lichæ sangiachus, magnæ equitum alæ signifer, Venetis infensissimus recentia, veteraque odia concoquebat in Rempublicam,quam per hos dies ausus est educto in aciem agmine inquietare. Patres ad hominis temeritatem, Turcarumque impressiones coërcendas Dalmatiæ expeditionis summam Leonardo Fusculo detulerunt, qui tanto muneri par spondebat sua virtute turbatis rebus tranquillitatem.

Xemonicum à Marco Antonio Pisano expugnatum. Durachi nece, & Halyii captiuitate.

FUsculus omni festinatione in Dalmatiam delatus in primis de bello consultationibus decrevit obsidionem Xemonici, quondam Jadertini agri oppidi, quod olim à Selymo ereptum Reipublicæ: nunc à munitissima arce tutum apparebat expugnatu difficillimum. Verùm ille omnia existimavit pervia militibus pugnæ, & gloriæ cupidis: ac propterea, quæ in hybernis sibi proposuerat gerenda voluit perficere antequam æstas invalesceret. Igitur jussit Marco Antonio Pisano militari solertia claro, ut Xemonicum omni vi, & arte obsideret. Qui selectis equitum, peditumque centuriis, ductis impedimentis, & disposito cum silentio itinere in Malpagensibus campis nocte intempesta castra prope oppidum decimo sexto Kal. Aprilis metatus est. Conspectus oriente sole exercitus è vestigio excivit Durachbejum Halyii filium: qui incondito clamore, & ululatu cum præsidiariis erupit in stativa molientes; ut ea disjiceret, & suos abduceret obsidentium insidiis: crediderat furiosa impressione absterrere se posse Venetos ab inceptis: sed cum fuga, cædeque repulsus, Patri fuit infeli-

cis

cis successus nuncius. Quo facto motus totam Bosniam armavit in Rempublicam: cujus provinciæ viribus auctus succenditur odio majori, iterumque descendit in aciem. Primo congressu, qui fuit acerrimus, audacter, & viriliter conflixit: verùm ab omni parte circumseptus, postquam aliquandiu repugnantium impetum sustinuisset, dilabentibus suis, solus sibi ferro aperuit viam ad fugam: frustrà tamen, nam à persequente Epirota sistitur, & dejectus ab equo decollatur. Occisi caput Pisano delatum fuit, prospero maximè obsecundantis fortunæ præsagio. Itaque, sublato è vivis hoste Jadertinis infestissimo arctiori obsidione cingitur Xemonium: Turcæ exteriora loca pervigili cura defendentes frequenter diurnis, nocturnisque aggressionibus nostra castra vexabant. Sed Pisanus eorum compressit ferociam obsidionalibus machinis: quibus excussis prostravit præaltam turrim, & Mesquitam tanta trepidatione oppidanorum, ut hi cœperint cogere Halyium ad pacem ineundam. Homo ferus, ac immanis hanc solicitantes rapuit ad supplicium, alios in fide retinuit spe proximi à Bosnia subsidii. Crescentibus quotidie magis angustiis; à Pisano aversis aliò aquarum ductibus, & prohibitis commeatibus desperantes saluti, vitæque perfugio iterùm sumptis armis in obstinatum convertuntur furiosi, & minitantur. Halyius sævientis vulgi effrænem impetum declinans in arcem trepidè profugit: quo repulso, & incluso confestim oppidani se dediderunt. Pisanus receptis in fidem liberam potestatem facit proficiscendi Auraniam: monitus ab iisdem dirigere tormenta in turris, & arcis angulare latus infirmius; illicò ita exequitur: eaque in partes quassata, & ruinosa, suis militibus ad irrumpendum aperuit aditum. Attamen in multum diem dimicatum fuit ingenti sagittariorum vi, crebrisque bombardarum ictibus, donec Halyio cum spe auxilii vigor mansit: sed posteaquam neq; roboris, neque animi quicquam ampliùs superesset, imploravit

ravit

ravit vitæ securitatem his conditionibus: Se Arcem victori Veneto bona fide traditurum cum oppido; modò ipse cum suis immunis esset à captivitate, & omnes pro liberis haberentur. Illis acquievit Pisanus: & quarto obsidionis die ingressus est Xemonicum, exeunte Halyo. Nostri pertentato oppido, hostium dolos detexere: alii latitabant in ædibus, è quibus prorumpentes armati illos in magnum discrimen adduxerunt: alii in cavernis rogantes Nicolaum Syllam Croatam, ut eos in suorum numerum reciperet, accedentem perfidiosè obtruncarunt. Quapropter Halyius, datæ fidei impius violator Jaderam captivus, & inde in Brixianam Arcem custodiendus traditur, in qua diu maceratus infamem animam evomuit.

Novigradum receptum.

XEmonicum Pisani virtute captum, & à militibus direptum voracibus flammis consumptum fuit. Quod oppidum nobile, ac munitissimum suo fato deletum, in vicinia tantam incussit formidinem, ut Succovarum, & alia finitima castella nullo negotio fuerint occupata; & pariter raptis prædis exinanita continuè exarserint incendio. His feliciter gestis Fusculus ad recuperandum Novigradum accingitur, neque alio ductore, quàm Pisano, cujus virtuti, ac fortitudini fortuna comes adesse videbatur. Hanc expeditionem damnabant aliqui existimantes difficillimam: sed ille haud multa moratus voluit celerem experiri aleam: igitur noctu expediri navigia, educi copias, metari castra, & manè subobscuro violentis pilarum ictibus concuti Novigradum. Quæ omnia ductu, imperioque Pisani peracta, statuta die oppidum inopinata aggressione oppugnatur: qua re deterriti præsidiarii vocant in auxilium Sinanum Salonianæ Bejum. Hic non exiguo militum numero ad opem accelerat: festinanti occurrit Pisanus, & proximus

ut

ut manus consereret vidit Bejum, veluti panico terrore correptum terga vertere: qua fuga, cùm satiùs duxisset vicisse hostem solo conspectu, hac victoria in sua castra, quæ audierat à Turcis perturbari, opportunè reversus est. Illi circumfusi per turres, & mœnium pinnas omni missilium genere nostras munitiones inquietabant: & sæpiùs erumpentes eas convellere conabantur: Minotam triremem aggressi, vacuam classiariis, qui descenderant, eductum ex ea murale tormentum rapuerunt; sed grave, & tractu difficile profunda fossa occuluere, superaddito crucis signo, ut appareret ibi conditum christiani hominis cadaver. Trierarchus animo minimè submisso, aut suorum fuga, aut maris æstuantis timore, effossam machinam extraxit monitus à transfuga Turcicæ astutiæ. Cæterùm & à mari, & eodem tempore à terra irrequieta globorũ procella luxata mœnia cœperunt hiscere, & per patentes hiatus irruptioni aperire viam. Obsessi fracti, ac domiti oppugnationis artificio, & belli asperitate in extremo constituti periculo, sine ulla auxilii certitudine, vel effugii consultatione, signa exposuere voluntariæ deditionis. Orantibus pacem, non aliam Fusculus concedere voluit, nisi quæ suo placeret arbitrio, memor injuriarum, quibus illi Novigrado potiti Venetum præsidium affecerant. Hoc pacto quatuor militiæ duces, Aga nominati, in potestatem venere; Jaderam missi in custodias; ex Turcis bis sexaginta ad triremes: bellica impedimẽta publico usui addicta: & oppidum, abire jussis imbellibus, ne ampliùs Barbaris esset receptui, ferro, igniquе devotum funditus exscisum. Hæc quoque Novigradi jactura, veluti quodam contagio serpsit ad alia loca Tinum, Auraniam, in qua Lichæ Sangiacatus amæni recessus, & Ractenizzum; & Obrovatium, quæ Sebenicenses direptionibus, & flammis fœdarunt.

Nedinum captum, cum Scardona.

HOc Dalmatiæ oppidum in vertice collis extructum hostium armamentarium, & horreum Fusculus oppugnare constituit, fretus sua, & Pisani fortuna. Motis itaque castris:& valido militum robore præmisso haud procul oppido consedit. Hoc Turcæ cùm vidissent furenti eruptione repellere Venetos conati sunt: sed eorum inordinatus, & confusus egressus illis patefecit ingressum in oppidum: nam undequaque circumventi,& ab reditu interclusi arripiunt fugam per invias rupes,& saltus.Oppidani eo casu perculsi, ignota quoque scrutantes itinera, secum asportando quæ raptim collecta ferri poterant in tutiora loca se recipiunt. Pauci in arcem confugerant, verùm quia parùm proficiebat obstinatio, sancita conditione abeundi quò vellent, deditionem faciunt, & demigrant. Pisanus derelictum sola trepidatione Nedinum occupavit, subditisque flammis pari cum cæteris devastatione prorsus sustulit, ac delevit.

Ex his, quæ maximè prospero victoriarum cursu gerebantur in Dalmatia Hibraimus fera rabie percitus Visiro Techielio Sarmatæ mandavit à propinquis provinciis colligere exercitum,qui par esset refrænandis Venetorum irruptionibus. Igitur ille brevi conscripsit quadraginta hominum millia adversus Sebenicum expedienda, hoc instructus consilio, ut in maritimis oris munitiora castra invaderet; vias obstrueret suppetiis, Scardonam, & reliquas arces regiis firmaret præsidiis,vagisque excursionibus gravia ubique damna Venetis inferret. Fusculus, explorata Visiri mente decernit hanc citissimè prævertere, & eludere, omni abrupta mora, Sebenicum profectus Scardonæ se armatum, & infestum ostendit. Nonis Majis, exurgente aurora, in oppidi conspectu consistit cum triremibus, & navigiis:

giis: quo accessu Turcæ adeò stupuere, ut de hostium multitudine, velorum numero decepti, quæ Fusculus callido astu multiplicarat, diu hæsitarent quid agerent: in hac trepidatione, dum se continent intra muros Veneti suas copias extendunt: & in timidos bipartitis peditum, equitumque agminibus procedunt. Illi tandem recollecto spiritu nostros invitant ad pugnam eò audaciores, quia loca eminentiora insederant. Croatæ, & Epirotæ procacibus verbis lacessiti primi procurrunt; quos inæquali certamine pulsos equitatus sustinuit, qui tantum terroris incussit provocantibus, ut coacti à collium cacuminibus in imas convalles descenderent. Fugata, & dispersa subsidia cùm vidissent indigenæ: & continua tormentorum displosione collapsa mœnia, æquataque solo ædificia, & omne salutis desperatum perfugium, victi fugam occultant, & vacuas sedes relinquunt victoribus: capti æquali metu arcium propugnatores cum fugitiuis in latebrosa loca eunt præcipites. Ita cecidit Scardona, novem milliaribus à Sebenico distans, oppidum in Dalmatia potens; cujus jubente Fusculo, asportata præda, quæ ampla fuit, combustæ sunt ædes; prostratæ cuniculis arces; turritaque mœnia ab imo convulsa. Atque nihil prætermissum, quod hostibus afferret incommodum; & ideò Comiti Alberico Sabino molarum mandatur demolitio; quas ille & pistrina omnia dum rapido igne corrumpit; Turcæ de latebris prodeuntes in pedites direptionibus avidiùs intentos crudeliter debacchantur. Accurrit in oppressorum subsidium Sabinus: ac postquam horæ spatio ingruenti multitudini restitit, diffisus cum paucis frangere posse inimicum impetum suppetias à Fusculo petit. Jussi properare Germani, & Epirotæ ductoribus Deghenfeldio, & Cruta; simul ac isti in Barbaros insiliunt classiarii exonerantes à mari tormenta, eodem tempore prorumpunt. Aspera pugna consurgit; hostiles phalanges dissipantur; Sabinus vulneratus à cæde eripitur: ex hostibus

interfecti eo numero; ut, de cruentissima strage ne constaret quidquam, corpora adhuc spirantia humabant. Fusculus diruta Scardona Sebenicensium securitati optimè consuluit: Pisanus contiguos pagos, villasque ferro, & incendiis latè vastavit; ut nullus ferè locus in provincia Turcis superesset, aut ad faciendas incursiones, aut ad ponenda castra. Qua de causa paventes contermini Bosniæ accolæ, ne suos vicos Venetæ machinæ quassarent; ne milites diriperent agros; nevè serpens flamma domos in fumum, & cinerem verteret, ad Rempublicam ultrò defecerunt.

Clades Messaræa in Creta.

QUæ prosperè Venetis, quæ inauspicatò Turcis in Dalmatia, miscuit fortuna mutatis vicibus in Creta, quo tempore Nicolaus Delphinus, extincto Andrea Cornelio totius Insulæ Præfecturam obtinebat. Vir quidem gravis, & prudens cùm primùm Candiam urbem advenit, parùm feliciter pugnavit. Tertiodecimo Kal. Julii Hussainus Rhitymnæ, & campestrium armorum Bassa cum suis agminibus in Messaræos vicos descenderat maturas messes populaturus. Ad illum propulsandum Candia egreditur Aloysius Emus plurimo peditatu instructus: & paulò pòst præcedentem subsequitur Gildasius Germanus cum agrestibus, conterraneis, & civibus, quorum maximè intererat, ne pabulatione, & commeatu prohiberentur. Stabat uterque exercitus in conspectu: promissa nostris victoria à profugis, si numero auctiores in Turcicas stationes impressionem facerent: super hoc consultus Delphinus è præsidiis detraxit pedites mille, & ducentos; quos Vincentius Marra Neapolitanus valido equitatu protectos in auxilium duxit, habuitque comitem inter honorarios milites Marcum Antonium Præfecti filium.

lium. Aucti Duces his viribus statuerunt concordi assensu cum impetu irruere in Bassam, qui suas copias extenderat loco, cui Gortini nomen ab antiqua Gortina fortasse. Conversæ acies in pugnam audacissimè congrediuntur; & qua furenti vi nostræ in hostiles processerint ex eo credi potest, quòd in ipso primo congressu cœperunt Turcæ trepidare, fluctuare, pavidi tentare fugam, & plurimi cadere vulneribus confossi. Nostri alacres hoc successu Gildasii nomen, fortitudinem, & victoriam ab ipso partam, conclamarunt. Sed quia res præclarè gestæ parant invidiam, dicitur iis vocibus ita acriter exarsisse Vincentius in illius odium, ut reducto equitatu, dum intentior videbatur niti ad pugnam, victoriam corruperit. Pedites præter expectationem equestri militia destituti illicò dilabuntur: & quà quisque poterat ruit præceps in fugam, quæ una victis via supererat ad salutem. Surdi omnes ad suorum Ducum incitamenta, ut redirent, ut integrarent aciem, & victoriam retinerent, neglexerunt hortationes, & imperia; eò quòd tempus non permanendi, sed fugiendi à clade, & à servitute instaret. Turcæ tantam intuiti nostrorum consternationem, & socordiam resumunt animos, & à tergo celeri cursu premunt quos confusio, & pavor inconsideratè occupaverat. Plurimus cæsorum sanguis non explevit Barbarorum immanitatem; ducti in captivitatem ex trahentium inclementia exorabant remedia mortis compendio: jacebant multi lethaliter transfixi: pauci concitis equis ab imminenti discrimine se subduxerunt. Delphinus Præfecti filius anhelo cursu sequebatur Gildasium, & Emum; sed lapsu equi humi prostratum eripere nullus potuit à periculo: ne ab aceruatim insequentibus obrueretur. Agnitum armorum nitore, juventæque decentia nobilis esse generis, Bassa apud se captivuum retinuit. Tandem nox superveniens ferinæ inhumanitati finem dedit: vicerunt qui victi fuerant; & ma-

gna

gna totius fermè exercitus internecione in Messaraeis campestribus cum suspicione perfidæ æmulationis, & invidiæ procurata. Præfectus intempesta nocte residuos à strage recepit; suique filii captivitate patientissimè indoluit: qui maxima animi afflictatione sustinuit funestissimum susceptæ expeditionis infortunium.

Sebenicum à Turcis frustrà tentatum.

PErvenerant ad aures Hibraimi Venetorum facinora in Dalmatia: tot oppida capta, diruta, incensa, nudata: duces rapti in captivitatem, fusi exercitus, & omnia in eadem provincia tumultibus, terroribusque repleta. His igitur in odium, & iram implacabiliter concitatus, jussa sua maturavit ad Visirum, ut poneret castra apud Sebenicum, toto conatu obsideret, & oppugnaret armis, ac flammis ultricibus. Visirus regiis mandatis summa cum festinatione obtemperans, XII Kal. Septembris sub conspectum Sebenici suas copias exposuit, militum scilicet viginti quinque millia, & munitionibus erectis, impositisque machinis urbem arctissima premit obsidione. Sed magna cura, & diligentia Fusculus prævenerat Visiri opera adversus Sebenicum; quod, demolita Scardona, firmissimo munierat præsidio. Omnes hostiles impetus fregit; irruentes Turcas aggressi cives paribus armis; sed iis fortiori animo vibratis, & contortis repulerunt hostem tam truculenta cæde, ut Techielius Visirus vigesimo octauo obsidionis die re infecta, & ipso antelucano tempore collectis vasis ad oppidum Dernisium advolarit: ubi recensitus exercitus dicitur minor dimidio inventus cum occisis, vulneratis, & ægris pariter computatis.

Op-

Oppida Dernisii, & Tininii obtenta.

FUsculus, defenso Sebenico, statuit victricibus copiis petere Oppidum ab accolis vocatum Dernis, inter Tininium, Slavis Knin, & Clissam; ut eo subacto, suos in Dalmatia augeret successus. Itaque Franciscus Georgius Dux equestris militiæ; & alii notæ virtutis Chiliarchæ, septem peditum millibus, ac equitibus octingentis instructi, ipso imperante, proficiscuntur in destinatam expeditionem: quibus naves per euripos traductæ omni commeatu onustæ laturæ erant subsidia. Interim plurimæ emerserunt angustiæ, quia Morlachi, suis vagationibus rapinarum ingluvie, ita per incerta viarum morabantur sequentes acies, ut non semel de reditu fuerit cogitatum. Porrò Fusculus monitis, & mandatis urgens incessum, redegit Morlacos in ordinem, eosque celeriter jussit irrumpere in Turcas obsidentes itinera. Aderat cum robustissima manu Bassa Techielius, qui ad repellendos ingruentes validissimè se opposuit; ut propterea intra ipsas munitiones cruenta pugna exarserit, multis ab utraque parte cadentibus. Nostri tandem allatis subsidiis refecti, densatis agminibus, audaci conatu rapiuntur in hostes; qui magna accepta clade consternati, inclinarunt in fugam; quam & Bassa, tolerato diu impetu, etiam arripuit. Hoc uno conflictu perterriti Oppidani, neque ulla sperantes auxilia fugato Bassa, spontaneam pacti deditionem in arbitrium Veneti imperatoris concesserunt.

Recepto Dernisio, Tininii quoque oppugnationem moliri voluit. Ejus oppidi Arx in extremo collis assurgens despectat uberem, latamque planitiem, duobus irriguam fluviis, septamque montibus, qui Dalmatiam à Bosnia disterminant. Georgius jussus à Fusculo confestim parat omnia expeditioni necessaria, & cum cæteris ductoribus, non

deter-

deterritus vel situ loci, vel interjectæ vallis altitudine, delectas copias movet. Tininii è longinquo explorarunt Veneti exercitus accessum, & jam proximi ad vim inferendam: quamobrem metu correpti, ne illos vexaret idem fatum, quod paulò ante Dernisios, collectis repentè vasis, Cettinam per saxosa juga præcipites profugerunt. Georgius prosperæ fortunæ gratulatus, quia nullus, neque ab externis munitionibus, neque ab Arcis propugnaculis obstaret, in oppidum, & Arcem securus penetravit. Occupati ita facili marte Tininii spolia fuere multa, & amplissima: hoc enim in loco Turcæ suum habebant armamentarium, machinarum, & commeatuum refertissimum. Rebus omnibus, translatis in publica, privataque commoda, exinanitum flammis comburitur, & illius à fundamentis imperatur excidium, ne ampliùs Barbaris hospitio esset. Sed milites magis ad convectandas prædas, quàm ad perficienda jussa expediti; inde recesserunt, quando incendia nullo glomerante vento suas vires deposuere. Ex hac incuria contigit, ut tractu modici temporis idem oppidum à Turcis fuerit reparatum; restituta, munitaque Arx; imposita præsidia; & crebris deinceps molestiis exagitata Provincia.

Clissa occupata à Venetis. Turcarum immanitas in Albanenses. MDCXLVIII.

VT finem transacti anni, ita præsentis initium illustravit Fusculus continuatis victoriis adversus Turcas. Omnium tamen præclarissima illa fuit, quam de subjugata Clissa reportavit: cujus munitissimæ Arcis expugnationem cordi semper infixam habuit post propugnatum Sebenicum: at quoties communicabat suis ducibus arcanum, toties plures eorum inveniebat dissentientes, quòd rem arduam esset aggressurus.

Clissa

Cliſſa ſita in ſummo vertice, veteranis cuſtodita militibus, & novo per hos dies aucta præſidio, plurimum negotii faceſſebat diſſuadentibus expeditionem: at nullum Fuſculo, vel eo potiſſimùm nomine, quòd armis præeſſet Sororius Hibraimi nepos, & eidem adeſſet vir ferus, ac ferox Barcovichius Chriſtiani nominis juratus hoſtis. Hæ difficultates non deterruere Venetum imperatorem à propoſito, qui etſi diſtulit, non dimiſit conſilium, cui ſi contigiſſet eventus; hic maximæ exiſtimationis futurus erat Reipublicæ; Spalato, & Sebenico certam præſtabat ſecuritatem infeſtiſſimæ Arcis demolitione, tutioreſque in Boſniæ regionem Venetis exercitibus incurſiones. Plenus itaque ſpei xv. Kal. Aprilis in triremibus, navibuſque feſtinanter paratis decem armatorum millia, plurimaque impedimenta impoſuit, & Jadera diſcedens, confecto unius diei curſu, Salonam tenuit quinque milliaribus à Cliſſa. Recenſita militum quinque millia juſſit adverſus Cliſſanos procurrere in pugnam; de qua Ducis ſolertia nihil illi præſciverant. Omnium primi Itali, & Epirotæ vi, & armis ſtrenuè decertarunt contra præſtructas moles, excitataſque munitiones extra oppidum: quibus potiri cùm tentaſſent in muros evadere omni machinarum genere, ſaxis, teliſque penè obruti Germanis ſubeundi locum fecerunt: cum quibus etiam acerrimè concertatum fuit. Porrò tandiu ſuſtinuere furentem impetum, donec refocillati qui aberant, & animati qui aderant, unanimiter aggreſſiones repeterent. Tanta utrinque animorum, viriumque contentione præliatum eſt, ut inter mutuas clades ſæpiùs fluctuaret victoria. Poſtremò accidit præſenti Numinis ope, quòd noſtri primum, & ſecundum murorum ſepimentum obtinuerint, & fortiter repugnantes in arcem retruſerint pavidos, & cōſternatos hoſtes. Nunciatum Techielio Cliſſæ periculum totam fermè Boſniam excivit in auxilium: ſed Fuſculus ejus opis præſcius in advenientē Viſirū obviàm mittit Stephanū Sorichium cū Mor-

lachis, quorum is erat antesignanus: sacrisque initiatus, & pro religione, ac libertate Venetis addictus cum sua gente sumpserat arma in Barbaros. Vir locorum peritus, & acer in bellis transeunti hosti struit insidias in abdito cōvallium recessu: quem repentino incursu, inconditisque vocibus aggressus, nihil fraudis opinantem, turbat, & profligat quos ducebat auxiliatores: plures in angustiis arripuit, & occidit, capitaque interfectorum hastis infixa ostentavit obsessis, ut desperato subsidio venirent in deditionem. Visirus à fuga revertitur in campum, dispersos recolligit, ac verso itinere novam gravissimè laborantibus opem ferre molitur: sed iterùm credula spes eum frustrata est; ab equitatu circumdatus retrò abire cogitur tumultuariè, & quotquot palantes errabant, expositos deserere internecioni. Subinde præsidiarii indefessis eruptionibus trucem pugnã integro die protraxerunt. At cùm diutiùs, quàm pro viribus obstitissent, & nulla affulgeret spes salutis, fugatis auxiliariis, ac interemptis, quorum recisa capita oculis objiciebantur; de deditione agentes vitam, & libertatem postularunt. Ergo quintodecimo ab oppugnatione die Clissa, credita inexpugnabilis, pridie Kal. Aprilis Fusculi constantiæ, & militiæ, & Ducum fortitudini succubuit. Rejectis conditionibus, quas turgido fastu Barbari proponebant: has illis Fusculus præscripsit. Ut sine armis, & impedimentis exirent oppido: atque duodecim ex Venetis, quos detinebant captivos redderent; interim, ne qua fraus intercederet, totidem obsides illustrioris generis in castra mitterent. In his præcipuè decretus erat egressus Sangiacho, & primoribus Turcarum immunis. Dum hæc exequuntur, fatalis casus accensi ignis in oppido tumultum in Polissanis, & Morlachis excitavit, qui, quod acciderat inopinatò, studio factum opinantes, armis furunt crudeliter in exeuntes Clissanos, à quibus jam multa damna in corpora, & fortunas acceperant: neque fuso sanguine saturatum odium in efferatis quievit: à cædibus in-

ingressi oppidum convolarunt ad rapinas, quibus nostrates immisti milites se involverunt, & computarunt in spoliis imbellem quoque sexum pueros, puellasque: itaque dum quisque pulchriores rapere, & sibi vendicare contendit vi, inter rixantium manus peribat dilaniata præda. Quos raptus, & effrœnem libidinem Fusculus execratus multos severis objurgationibus, & districto ferro coërcuit. Tandem compressit tumultuantes Morlachos audita vox, quòd occisus esset Barcovichius, quem omnes impensè oderant.

Senatus ad nuncium captæ Clissæ effusus in gaudia publicas decrevit supplicationes: & Fusculo, quem in patriam beneficum appellavit civem insignem victoriam gratulatus est. Cæterùm, cùm de retinenda, vel demolienda Clissa pluribus in Comitiis disceptatum esset; potior obtinuit sententia illam fore diligentissimè custodiendam, ut constaret Rempublicam non modicæ existimationis recepisse oppidum. Hoc Senatus consulto Fusculus in eminentiori Clissæ fastigio Marcium vexillum erexit, Curatorem declaravit Franciscum Valerium Trierarcham, & ad armorum administrationem delegit Comitem Sabinum: fortis, ac præstantis animi viros. Fama interim deditæ Clissæ vicinas gentes pervagata pellexit in Reipublicæ obsequium, Albanos maximè, in montanis supra Vegiam opera Marci Sunæ Antistitis Dyrrachini, qui ejus gentis septem millia collegerat, promissa quoque Scodræ, Crojæ, & Lessi deditione, ubi primùm illi Veneta insignia, & arma sibi adversa conspexissent. Turcæ per exploratores subodorati quid optaret ea hominum congregata multitudo, magno numero in unum conglobati invadunt parantes defectionem; antequam à Fusculo adessent auxilia, destinata Constantii Pisauri ductu: Hunc per id tempus vis, & incursus pluviarum ingens præpedivit, ne ad ea aspera loca penetraret, & expectantibus opem subveniret; quo eventu omnes ferè in hostium manus, & carnificinam concesserunt.

Strage maxima à Barbaris sævitum est, & in viros quidem sacros edita varia,& immania tormentorum genera.

Sorichii Morlachorum Ducis trucidatio.

RENunciata Hibraimo Clissæ deditione, quo ille irarum æstu fremebat impotenter, citatis cursoribus imperavit numerosissimas copias, quibus Dervisius Bosniæ Bassa Spalatum impeteret festinata vindicta; & omnia Venetis infesta redderet. Ad hæc jussa Bassa promptissimus maximum,& fortissimum collegit exercitum: & Fusculus opportunè instructus maturè constituit occurrere eruptionibus, Dalmatarum,& Morlachorum delectu: hos ducere debuit Sorichius,illos Possidaria,qui,Rebenico intercepto,aditum Turcis illac transituris præcluderent. Euntes in expeditionem Morlachi magis latrociniis,quàm bellis assueti: ac propterea nostris plus incommodo, quàm adjumento fuere,illecti diripiendi aviditate per hosticum vagis excursibus ferebantur nullo insidiarum metu. Quamobrem in captos prædarum dulcedine Turcæ è latebris repentino incursu erumpentes, incautos, & dispersos oppresserunt luctuosa aggressione. Huic aliquot horas restitere Posidaria, & Sorichius,sed numero, & vi prævalente hoste coguntur à certamine discedere. At Sorichius,ut suos conterraneos à nece eriperet,in quos Turcæ,tanquam in invisam gentem,rabidè desæviebant,reversus instaurat pugnam; sed illos à periculis abstrahere nunquam potuit, licèt fortiter dimicaret; tandem eodem fato, cui visus est spontè se objicere, raptus inter densiores hostium cuneos, vivus capitur, & excruciatus dirisimis tormentis ad exsaturandam crudelis odii immanitatem,suæ vitæ gloriosum finem imposuit.

An-

Antibarim Fusculus re infecta aggreditur: Rhizinium occupat.

GRavis hoc anno pestilentia per Dalmatiam grassata est, & non modicam incolarum multitudinem funeribus absumpsit. Provida Senatus cura non minùs provinciam purgavit, quàm Fusculus suis victoriis recreaverit afflictos tabe mœrentium animos. Qui, ne cunctando tempora bellandi produceret, & alias sibi rei benè gerendæ occasiones distulisse videretur, conscendit naves, & contra Antibarim proficiscitur, quod oppidum ad oram sinus Adriaci, non tam mari, quàm terra oppugnandum duxerat, experturus quemcunque casum fortuna daret. Terrestri exercitui mille adjungit pedites ex Scardo, quem incolæ Montem nigrum vocant, in finibus Albaniæ. Gens, quæ à Turcica servitute ad mite Venetæ Reipublicæ dominium lubentissimè transibat. Hoc fultus subsidio Antibarim adoritur magno impetu: porrò Turcæ fortissimè propugnantes reddunt conatus irritos, & funestos. Quamobrem relicta Antibari, Butuam solvit, ubi aliquot dies moratus in expectatione Albanorum, Ascrivium petiit inclinato animo ad Rhizinii expugnationem. Castrum in alto cacumine positum, aditum pręstabat arduum, & difficilem: ab Aga insuper Mehemeto notæ fortitudinis milite custoditum omnes poterat spernere aggressiones. At nihil fortibus viris invium, quare ad expeditionem eligit acres, & impigros duces Possidariam, & Crutam, consilio, ac robore præstantes. Cruta præmissus cum delecto suorum agmine, & cum Albanis, qui opportunè advenerant, munitionem à montanis Castrum-novum appellatam, intrepidè invadit: quæ viam occludebat ad Rhizinium, in demolientes munimenta superveniens Aga cum feroci Turcarum globo involat, pugnãq; cõmittit acerrimã, obstantẽ aciẽ obterit, atq; adeò confecta

cæde

cæde furere cœpit in deterritos, ut nostris extremum excidium immineret, nisi subita dilapsi fuga sibi salutem quæsiissent. Cruta solus in Campo instar omnium dimicabat obfirmato animo mortem potiùs oppetere, quàm turpiter cedere: itaque multitudine hostium, non virtute victus gloriosè occubuit. Eo quoque tempore à mari excussa tormenta, nihil, aut parùm profecere: contrà, quæ obsessi explodebant subjectas naves infestabant. Tandem decretum fuit murales machinas deducere, & in collium cacuminibus locare: traductæ summo labore per devia, & aspera itinera: atque à libratoribus adversus oppidum directæ repentina ingentium pilarum displosione omnia terrore, ac metu complerunt: propugnatores in muris ægrè consistebant: neque in privatis domibus fruebantur securitate conclusi. Accessit ad augendam obsessorum perniciem Marcus Antonius Otthobonus cum sua triremi, & armatis myoparonibus, qui jussu Fusculi Rhizonicum sinum ingressus plures in ejus ora constructas ædes succendit. Quibus calamitatibus pressi Rhizunitæ, mulierum quoque ejulatu, gemituque imbellium perturbati de deditione inierunt consilia. Adiere primores oppidani Fusculum bona fide, & conditionibus pro ejusdem arbitrio captis, vitæ, & viæ, quam vellent carpere cum suis sarcinulis impetrarunt indemnitatem. Hoc prospero successu Venetus imperator occupavit Rhizinium, suas cumulavit victorias, & misso nuncio inopina gaudia attulit Senatui. Albanis receptum oppidum tradidit, & optimè munitum; ut loci vicini opportunitate suum odium in Turcas explerent direptionibus, incendiis, cædibus, prædantes, & vastantes omnia in circuitu, quæ barbaræ nationi subessent: erga Rempublicam servata fide, & obedientia. Interim se circumagebat annus ab inchoato bello tertius; & Senatus maximè optabat celerem Melitensium triremium cum Pontificiis velificationem in Orientem, ac subinde Joannis Justiniani

Equi-

Equitis Oratoris sui in Aula Romana urgebat operam. Ab eadem Legatione in patriam reduci Aloysio Contareno, qui nunc ad Reipublicæ clavum feliciter sedet, in ejus Successoris obsequia & munera ab epistolis & à libellis transivit ille, qui modò cum veteribus Reipublicæ Venetæ rebus recentes conjungens in breviarium colligit. Justinianus, donec Pontificiæ triremes instruerentur, ut impleret mandata Senatus, quærebat inter suos, quem Melitam expediret ad evocanda ejus Insulæ auxilia; sed cæteris promptiorem habuit illum, qui licet bellici muneris particeps esse non poterat, sacris addictus, cupiebat tamen suæ patriæ amans in aliquam curarum publicarum partem venire. Itaque nulla longæ navigationis cogitatione deterritus, neque intuto pavidus itinere; quia Punici myoparones infestabant maria, & Gallica navigia (nondum sedatis Neapolitanis tumultibus) Tyrrhenum tenebant obsessum, subitæ profectioni se accingit. Pridie Kal. Maji Roma discedens Neapolim citatis equis advolavit, & conducticia celoce per ventorum, & æstus arbitria sextodecimo Kal. Junii Melitam appulit. Coram Magno Equitum Magistro causam sui accessus exposuit, & munus sibi demandatum felici eventu perfecit. Quibus intra quatuor dies ex voto peractis, cum classe illicò adornata in ejus Prætoria exceptus Taurominam venit; quò cum Pontificiæ triremes ex condicto non accessissent, Melitenses suum iter in Cretam maturarunt: ille Messana digressus, sulcato mari Tyberim fluvium subit, ac se Romæ restituit ad Oratorem, à quo cognovit præstitæ suæ solertiæ apud Senatum in secretis Tabulariis extare monumenta.

Per idem tempus adhuc in Romana Curia degebat cùm alteram creditæ sibi procurationis exhibuit sedulitatem testibus, scriptisque probatam; in subsidium pugnantis Reipublicæ. Non est quòd multa loquatur: nemo ignorat, quàm ingentem auri vim duo Purpurati Principes in sumptus

ptus

ptus bellicos erogarint: quàm abundè effuso proprio censu eorum Apes Publicis necessitatibus mellificarint. Tam largam munificentiam perpendens Senatus, & ad alia ferenda auxilia promptiora studia, iisdem sua sponte censuit eam referre gratiam, quæ summa, quin etiam in existimatione apud Principes esse solet; ut in aureum Reipublicæ librum referrentur cum omnibus ex eadem Gente; ne unquam Venetorum grati animi memoria apud posteros interiret.

Sed nec silentio prætereundum est, ex hac animorum vicissitudine maximum accessisse incrementum gloriæ ejusdem familiæ, splendidissimis conjugiis, & summa sacri Purpurati Ordinis dignitate peculiari modo collata uni ex nepotibus majori, apud quem hujus Operis auctor munus obivit à secretis; eoque sex integros annos, & quod excedit, absoluto, hoc gratæ benevolentiæ testimonium reportavit: inter Basilicæ Patavinæ Canonicos ascriptum fuisse.

Varii rerum maritimarum eventus.
Ioannis Baptistæ Grimani ad Insulam Psyram naufragi mors.

IOannes Capellius ejus classis imperator; quæ navium numero, militumque delectu omnium maxima, ex iis, quas ab urbe dimisit Respublica, finem præsenti bello pollicebatur; effœta senectute confectus, implicitusque in agendo discordibus consiliis obtinuit ab Senatu veniam sui reditus in patriam. Reduci sufficitur Joannes Baptista Grimanus amplissimo Marcii Procuratoris gradu ornatus, qui jam rei navali præpositus statim ob collatum munus assidua cura incubuit, ut classis in portu non ampliùs marcesceret, & otio milites diffluerent. Itaque Aegæum emensus excubantibus quatuordecim armatis navigiis ad arces Dardanellas Jacobi Ripæ vigilantia, hoc unum habuit

semper

ſemper in votis; ne ab illis faucibus effugerent hoſtes, niſi oppugnati, & laceri: ipſe cum reliqua claſſe ultro, citroque excurrens, auxilia Cydoniæ aliunde mittenda intercluderet, ac diriperet. Hac de cauſa Turcicis lignis, & inſulis infeſtus, gravia damna intulit: profectuſq; in Aſianam oram, caſtrum, Sciſme appellatum, ad quod confluebant ſubſidia, ſua & Laurentij Marcelli uirtute, territauit; & inde non paucas annonarias naviculas avertit. Hæc agens inaudit in tenebricoſæ noctis ſilentio, faventibus undis, ventiſque inimicas triremes ex Helleſponto tutò prodiiſſe, cùm noſtræ naves confidente aura quieto in mari ſubſiderent: & Chium delatas ultra progrediendi expectare tempeſtatem. Sine cunctatione ad eam inſulam obvertit proras, & ibi diu tenuit obſeſſas, atque crebrò laceſſitas in altum provocavit ad certamen. Hoſtes incluſi omni rerum inopia laborabant uſque adeò, ut brevi viderentur coacti, aut mori, aut dare manus. Sed rurſus Venetis peſſimè cum fortuna convenit: illi per cæcas, denſaſque tenebras clandeſtina fuga ſe ſubtraxerunt, non obſervati ab excubitoribus, in quos vehemens Ducis indignatio erupit, cùm per eos ſtetiſſet, quin de hoſtibus illuſtris victoria reportaretur. Non tamen deſpondet animum, quem conſtantem, & in omnes eventus intrepidum præſtabat: Candiam regreſſus iterùm ſtatuit moliri, cunctaque tentare, ut majori vi Helleſpontiaci ponti oſtium Barbaris occluderetur. Reparata itaque, ac munita claſſe, quæ aucta navibus vigintiſeptem in Cea inſula luſtranda erat, & inde Pſyram deducenda, tertio Kal. Martii è portu ſolvit; præpropero nimis conſilio, quod in pugnandi cupidiſſimo imminentis fati præſagium fuit. Inceptam navigationem circumfuſis repentè nubibus, ventorumque concurſu exorta procella, & denſantibus ſe tenebris, mare, cœlumque horrendo, ac miſerando ſpectaculo vexarunt; integra nocte quaſi turbine circumactus Pſyram tandem pervenit: mini-

ma quoque classis pars eò appulit; septemdecim triremes, totidem naves, & duæ quinqueremes, adeò quassatæ, ac laceræ, veluti à prælio victæ recessissent. Porrò fessis, neque in portu secura quies: excitatur denuò irati Africi rabies, qua vehementiùs sæviente, reducta navigia eadem pariter involvit ruina: concussa, & littoribus illisa furenti impetu luctuosum in omne tempus fecere naufragium xvj. Kal. Aprilis, extincto Grimano, qui divulsus à cæteris cum sua quinqueremi in arenam impegit: cujus repertum cadaver ex lurido, deformique aspectu vix agnitum classiarii Duces uberibus lachrymis extulerunt, complorantes miserandum funus præstantissimi viri, qui nihil habuit æquè in votis, quàm generosis ausis, avitæ gloriæ æmulus, de Republica, & Patria benemereri.

Nuncius de naufragio, deque acerbo Grimani interitu Venetias allatus dolore maximo universam Civitatem afflixit: & Senatum in anxias curas deduxit, valdè ancipitem, quem præficeret Classis imperio. Quoniam verò abjicienda erat omnis procrastinatio, virtuti, ac famæ suffragatus Aloysii Mocenici Secundi cognomine, tunc Candiæ adversus insultantes Turcas strenui propugnatoris, ipsum in Grimani locum, & Procuratoriam dignitatem constituit. Hoc interim spatio incolumes à Psyrensi jactura reparata classe, suppletaque Creticis, Corcyreisque triremibus, quas octo numero Laurentius Marcellus adduxerat, iterùm Hellespontiacam expeditionem cogitarunt Georgii Mauroceni auspiciis; dum verò se parant navigationi, nunciatur Turcica classis egressa intento cursu Cydoniam petere; nihilominùs in paratis pristino vividi spiritus impetu revirescente unus omnium consensus fuit fugientem persequi, & eam in Cydonio portu concludere. Sed huic consilio faventior fortuna affuit: ex fuga tres Punicæ triremes captæ sunt: & ne ulteriùs progrederetur Mocenicus classiarios ad se revocat; quoniam

niam per eos dies Hussainus Bassa totum se obstinato animo ad Candiæ oppugnationem converterat.

Aloysius Mocenicus Grimano naufrago suffectus. Candiæ oppugnatio. Hibraimi Turcarum Regis interfectio

HUssainus post Messaræam cladem agro Cretico potitus libero excursu quaqua versum exploratum dimittebat, qui sibi opportuna loca notarent ad Candiæ oppugnationem instituendam. Igitur ab ea parte quæ oriente sole Sudæ sinum, & ejus ostium respicit, Kal. Majis cùm sua castra disposuisset, & super egestos tumulos tormenta locasset, cœpit multa globorum grandine concutere portum, eo consilio, ut navigiis in statione molestus, adeuntibus incusso timore præcluderet ingressum. Maurocenus nullo in discrimine sui dissimilis in hostiles operas irrumpens, turbavit Bassæ machinamenta Joannis Vuertii ingenio, qui tum omnium mœrore occisus periit; cujus viri in militari architectonica singularis maxima fuit jactura. Subinde Nonis Juniis nuncium accepit de collato honore, & cura totius Classis administrandæ sibi ab Senatu demandata: cum Antonii Lippomani electione ad Insulæ Præfecturam: nullam intereà omisit diligentiam utrumque militare munus obiens, quin frequentibus eruptionibus vexarit hostes intentos ad urbem denso ordine circumvallandam; ne quis locus obsessis esset reliquus ad erumpendum. Et ne deessent à mari auxilia, jam ex ante vocarat ab Hellespontiacis faucibus triremes octo, duas quinqueremes, duoque navigia cum Gildasio: pari numero classe ibidem manere jussa, quæ Turcicis conatibus obstaret. Hoc virium supplemento, imperatisque classiariis, ut parati essent ad terrestres concertationes, acriùs pugnari cœptum est. Quare non semel rejecti hostes à mœnibus, in quibus per ruinas

aſcendentes barbara vexilla erexerant: his evulſis; illis ſtrenuo repulſu disjectis, noſtris proſperior propriæ fortitudinis illuxit eventus, cùm & Huſſainus pila in vultu tactus notam retuliſſet temeritatis apud Aſſanum Cydoniæ Baſſam; quia ob virium tenuitatem non diſtuliſſet in alterum annum expeditionem. Verùm obſtinatior aliud voluit experiri pugnandi inventum; in ipſis terræ viſceribus tractare bella; & per quales auctores, à fide, & à religione transfugas, pudet dicere. Impius bellandi modus in excavatis ſub terram meatibus primùm Turcas, deinde Venetos par pari referentes, quatuor menſibus exercuit: ac toto tempore, quo duravit Candiæ oppugnatio, & defenſio. Noverant tartarei inventores actis cũniculis vel hoſtem appetere, vel ex-adverſo molientibus occurrere; & in imis cryptis furialibus odiis digladiari; per occultas, & obliquas vias plures mortes quærere; propugnacula, terreaque munimenta, in ſuffoſſis cavernis incluſo igne, qui horrendo ſtrepitu exhalaret, à fundamentis convulſa proſternere, cunctaque obvia flammis, & fumo involvere cum occiſorum corporibus laceris, ac ſemiuſtis. In propugnatione Martinengii propugnaculi, quod eo diſceptandi genere ſæpè à Turcis depreſſum fuit, & à noſtris reſtauratum, Joannis Aloyſii Emi intrepida vis enituit, donec funeſtus præſtantiſſimi viri caſus contigit. Obierat antea Vincentius à Marra plumbea glande interemptus, dum rimatur murorum loricas, & circitorum vias. Hujus nex indeplorata ob acerbam Meſſaræi conflictus recordationem; onus, quod ille in eo parùm probatus gerebat, in Gildaſium tranſtulit militari prudentia, & multarum rerum uſu conſpicuum. Sub hoc duce noſtris crevit fiducia, hoſtibus formido; quorum impetus non diu, non noctu intermiſſi, fuere viriliter, fortiterque compreſſi. Interim in labentis anni curriculo quædam affulſit proximæ tranquillitatis ſpes, diffidentibus

tibus invicem Constantinopoli Prætorianis militibus mutuis altercationibus. Oderant alii Regis inscitiam, & crudelitatem: alii habebant exosam Achmetis primi Visiri severitatem, & avaritiam, cùm de mutanda militia, deque pendendis stipendiis insolita cogitasset; ideò furenti rabie frementes Visirum de medio tollunt: Hibraimo, extrema minitanti supplicia interfectoribus, nervo injecto gulam frangunt, præfocantque Sulthanam matrem: his patratis necibus sistunt in throno Mahumetum septennem, ejus nominis quartum, strangulati filium, & in Primum Visirum Turcarum satrapæ, & Bassæ in Aula, quam Diuanum appellant, convenientes, assumunt Ascrepium, hominem octogenarium, inveteratæ feritatis notissimum.

Gesta Constantinopoli aduersus Venetum Legatum. MDCXLIX.

SVperantius Legatus ex occasione publici tumultus nondum sedati, ratus prosequi posse cum electo Visiro pacificationis negotia (quæ cum viuente Achmete instituerat) innixus prudentiæ, ac dexteritati Joannis Baptistæ Ballarini, qui per eos dies missus ab Senatu, cujus erat à secretis, Constantinopolim venerat: accessit ad Ascrepium, cum Grillo linguarum interprete, exponendo, quàm prona esset Respublica ad instaurandam honestis conditionibus, quæ sua jura sarta, tectaq; custodirent, illam concordiam, & amicitiam, quam cum Hibraimi antecessoribus intemerata fide coluit. Ad hæc Barbarus, non alia sancienda pacta, dixit, nisi ea, quæ ab ipso præscripta ad Senatum afferret Olacus nuncius, quem ille suis literis dimissum statim comitaretur, & revertentem repræsentaret incolumem. Olacus ad nutum perfidi hominis Venetias profectus honorificè excipitur: adducendum in Curiam tota confluit civitas,

ut

ut videret,& curiosa exquireret, quid novi apportaret. Coram Patribus quas attulerat literas explicuit, & quæ continebant,scilicet,solidam Divani mentem esse, ut Respublica sponte ab Insula Creta demigraret; de pace, & de amicitia cum Rege frustrà,& in sui perniciem tempus terebat; ergo effugeret cum potentissimo hoste bellum, qui ea non tradita, nunquam erat quieturus. Huic iniquæ petitioni responsum fuit, Rempublicam omnem operam, omnesque vires terra,marique in suis rebus tuendis, & maximè in retinenda Insula esse collaturam: non vereri minas eorum, qui pro arbitrio violant fœdera, & dissolvunt amicitias: Deum habere injuriarum vindicem,& justæ causæ patronum. Abiret itaque,& hæc renunciaret Divano. Custoditus excessit, ne aliquid adversi ei contingeret, fremente populo; & navem conscendit, & ubique locorum tutus, sexto Kal. Maji Constantinopolim pervenit. Vbi infame mancipium ad aures Visiri,& Bassarum multa contraria his, quæ audierat, temerè, petulanterque effutivit. Quam ob causam tanta fuit indignatio Ascrepii,animo, vultuque erumpens; ut in conspectu suo consistentes Superantium, Ballarinum, & Grillum,gravibus contumeliis oneratit,ac jusserit morti addictos in turribus Euxinis asseruari. Suam interim immanitatem commento hoc prætexebat, Ballarinum multo auro tentasse corrumpere non paucos Aulæ proceres, ut in pacem consentirent quibuscumque conditionibus. Sed tandem Deo placuit Ascrepii fraudes detegere,& ejus atrocissima scelera non ampliùs ire impunita. Dejectus è gradu, & privatus vita suæ efferatæ inhumanitatis in Grillum crudeliter necatum pœnas dedit. Successit in Visiratum Amurathes Bassa mitioris ingenii, qui ad preces Gallici Oratoris in carceribus detentos libertati restituit: atque de ineunda pace,utrique genti necessaria,effari veritus est,quæ optabat, dum Prætorianæ cohortes,licèt multis in rebus adhuc inter se discreparent,tamen in hanc unam conveniebant; prosequen-

quendum esse bellum, & subjugandam Cretam, ne hac expeditione intermissa fieret impuberi Regi detrimentum: in Divano idem susceptum consilium; quia cùm foris sunt arma, domi regnat concordia, & propterea adornatur amplissima classis, proximis Kalendis Majis educenda in Cretam.

Navalis victoria de Turcis in Phocaæ portu.

CUm nulla ob interfectum Hibraimum, aut ob militares tumultus, pacis spes refulgeret; immò potiùs metuendi essent majores armorum turbines: stabat ad arces Sestum, & Abydum Jacobus Ripa duodecim rostratarum navium Præfectus, ut hostilem classem vel intercluderet, vel oppugnaret. Porrò dum vigilat in expectatione aggrediendi hostes proximos ad egressum, fama retulit ab Hellesponto illos noctu erupisse, radentes Græciæ litora. Quo monitu illicò persequitur fugientes, quorum à tergo instantes Bertuccius Civranus, & Hieronymus Battalea, nonnullas eorum puppes atroci glandium tempestate verberarunt: expositos majori periculo subduxit subitus maris æstus, qui nostris moderandi naves arbitrium ademit. Illos, qui anxia trepidatione quærebant, quam stationem tenerent, Phocææ urbis, hodie Focchie, portus recepit. In hoc se tutos credidere: sed Ripa aliquot dierum indagine scrutatus Ægeum, tandem ut reperit quò loci manerent, eòdem celeri cursu advectus, habita consultatione statuit in ipso portu eos oppugnare, promittens navigiis pretio conductis, quæ conflictum detrectabant, se damna compensaturum. Cùm igitur omnibus eadem esset pugnandi cupido in hostium conspectum venerunt promptis animis ad concertationem. Irridebant Turcæ Ripæ fiduciam, qui cum paucis auderet adoriri centum navigia decem millibus instructa propugnatoribus: habebant duas, & septuaginta triremes, undecim rostratas naves cum quinqueremibus decem. Numero non de-

deterritus,quem sola animorum fortitudo præponderabat, in portum, cujus ostium hostes præcluseran t, audacter penetravit. Una ex Turcicis quinqueremibus repentè adversa in Scotam navim impetum fecit adeò vehementem, ut certo esset in discrimine,nisi navarchi virtus,& Ripæ accurrentis ad opem celeritas,opprimentem depressisset, undique à majoribus tormentis perforatam; quo facto Bassa,cui Voimeghemet nomen,iracundus se totum convertit in ipsum Ripam, excitando suos, ne dubitarent illius navim conscendere. Utrinque fortissimè conseritur manus; hostis tandiu apparuit superior, donec superveniente Civrano, æquata dimicatione, & facto in prætoriam impetu plurimis partim jugulatis, partim in mare præcipitatis Bassa in scapham se conjecit aufugiens vulneratus: In ipsis quoque portus angustiis magnum commissum est prælium cùm suis quisque vellet opem ferre; sed quantò propinquioribus navibus cominùs pugnandi dabatur potestas,tantò Veneti superiores in hosticas furebant ferro, & flammis. Hæc inter in universa classe discurrens fama occisi Bassæ, tantam confusionem excitavit,& consternationem,ut fuga in littora,vicinasque rupes, & specus amandaret, quos casus ab internecione vindicarat. Nox tandem pugnam diremit igni illuminata, qui per classem vagatus totam non absumpsit recedente Ripa; quem dubium incessit, ne combustis retinaculis impellens ventus incendium,suas naves corriperet. E portu unum extrahit navigium, eidem traditur triremis ducta à captivis, quorum sexcenti libertati donantur, quinqueremis una in Francisci Mauroceni potestatem venit; septem Turcarum millia desiderata dicuntur: plurima fuit præda inter navarchos, & milites continuo triduo divisa. Cessit Ripæ hæc victoria tam modica nostrorum jactura,ut divinitus contigisse fatendum sit. Turcæ,qui fugiendo vitæ discrimina evaserant, observato Venetorum recessu, redeunt in portum, in quo cùm vidissent è classe, quam in fu-

mum,

mum, & cinerem versam putabant, triremes non paucas à flammis intactas, alacres accingunt se ad illas resarciendas: & cum refectis, instructisque remigibus, commeatuque passis velis Cydoniam pervehuntur. In hac statione digressi à Phocæo congressu manserunt quandiu opus fuit diligentiæ, & laboris adornandæ classi: quæ tandem ab eodem Bassa, qui dicebatur periisse, iterùm educta in altum, cum navi inusitatæ magnitudinis decimo quarto Kal. Aprilis ante Candiam consistens pugnæ signum dedit, acsi dimicando, vellet damna rependere, quæ pridem à Ripa acceperat: proptereà in urbem ferè sexcenta ex omnibus machinis missilia jaculatus est. Nostri prope littus decem navibus tantùm, ac triginta triremibus instructi, in eo statu non detrectarunt provocationem, è majoribus tormentis excutiunt magni ponderis pilas, quibus graviter ipsemet Bassa perculsus, subito recessu classem longiùs subduxit. Attamen ne victus videretur abiisse, prænavigata Dia Creticam oram legēs Palæocastrum occupat, vacuum præsidiariis, qui Candiam in supplementum commigrarant. Denique per eos dies opportunissimè contigit Jacobi Ripæ reditus, qui Venetias profectus, nuncius suæ victoriæ ingenti omnium ordinum hilaritate aureo torque, & equestri titulo decoratus ab Senatu fuit, & in Hellespontiacam expeditionem rursus dimissus cum suis navibus, & quinqueremibus sex. In susceptа navigatione obviam habuit Turcicam classem adhuc Creticum mare percurrentem, quam idem Bassa ductabat. Ripa ea conspecta jussit quinqueremes remulco navium solutas retrocedere, & cum iisdem vincere assuetus processit in hostem, pugnam deposcentem, qui spem victoriæ conceperat, observato quinqueremium recessu. At de repente horrenda tormentorum ejaculatione exceptus cogitur proras obvertere, & quærere effugium totius classis consternatione. Ità denuo de eodem Bassa Ripa triumphat, & uno capto navigio festinanter trajecit in Hellespontum;

dum ille confusus, fugatusque Cydoniam repetiit. Cæterùm pertinaci odio,& rabie inflammatus,sublato Ripæ obice, intra paucos dies reductam, reparatamque classem traduxit in Amphimalum sinum, & in Sudam omnes suas vires maritimas,ac terrestres effudit. Qui Arci præsidebat Petrus Diedus ad primas impressiones vigilans brevi dissipatos, & oppressos insani hominis conatus vidit, dum inter crebros fulminantium bombardarum ictus ille ab uno è puppi in mare præcipitatus submergitur. Turcæ Bassæ sui fato magis irritati, mortuo veluti parentaturi Candiæ excidio,ad Hussainum, tunc obsidionales præteriti anni accessus renovantem promptis agminibus accurrunt.

Candia iterùm oppugnata.

MDCL.

HÆc altera Candiæ urbis obsidio ab Hussaino Bassa instaurata valdè solicitum habuit Mocenicum: Nullo tamen metu correptus confirmavit pavidos, & obsidentis conatus elusit, retuditque. Una ferè semper diu noctuque fuit dimicandi ratio, plus igni, quàm ferro: & plurima subterraneis operibus tentamenta. Inter munitiora loca, in quibus à nostris vehementiùs dimicari poterat: & ab urbe procul submoveri hostis, extabat propugnaculum Martinengum dictum, cujus oppugnatio hoc anno gravior Mocenici constantiam, militumque fortitudinem exercuit. Quotidie certabatur crebris è machinis jaculationibus, omnisque generis missilibus, sagittis, saxis, ignibusque arte elaboratis, perque dies, ac noctes creberrimis irruptionibus. Turcæ aliquando audaciùs progressi per transversos aggeres in propugnaculi fundamentis hoc egerunt, ut sulphureo pulveri, quem in excavatis puteis abundè congesserant, ignis sensim admotus, dum spiraculum quæreret, superimpositam molem violento impetu in partes disjiceret,

face-

faceretque aditum aggressoribus ad irrumpendum. Tandiu moliti sunt opus, ut per ruinas evadentes in summum sua ibi extulerint vexilla ululantes, & alacres, quòd propugnaculum superassent. Verùm hæc eorum lætitia momento diffluxit; quando nostri corporibus, animisque innixi illos ingenti jactura repulerunt in ima; convulserunt vexilla: & quæ ab ignis impetu fuerunt disrupta summa celeritate repararunt. Variis inde congressibus, mutuisque velitationibus gens utraque satagebat hostiles impedire conatus, disturbare opera, adoriri castra, actisque cuniculis se invicem in sublime rapere, discerpere, & procellosa saxorum ruina obruere. Idcircò non modica utrinque clades; quare cùm Hussainus pluribus de suis interfectis nihil in oppugnatione proficeret ubique præsente, ac obluctante Mocenico: & cogitaret meliorem anni partem ad militaria agenda præterire, atque autumnales impendere pluvias obsidentibus importunas, decrevit movere castra, retrahere impedimenta, & duobus circiter passuum millibus ab urbe sua stativa facere in colle, vulgò Ambruscio, quem munimentis, tentoriis, vallo, aggeribusque instar oppidi circumdatum Enandiam appellavit: nostri Candiam novam dixere.

Hic Bassæ inopinatus recessus Turcicæ militiæ suspectus fuit occultæ cum Veneto Imperatore amicitiæ; eaque opinio tum magis invaluit, cùm literæ inter utrumque commearent; ut propterea de affectato Regno Constantinopolim delatæ sint criminationes. Sed perperam: quia scriptæ ab Hussaino ostentabant præpotentis sui Regis vim; minabantur pericula, & strages, nisi Candiam ultrò traderet: continebant si morem gereret magnifica promissa: præter unam Candiam, reliqua totius Insulæ oppida cessura in Reipublicæ liberam potestatem cum nobilium captivorum donatione. Et Mocenicus, qui optimè noverat perfidi hominis fraudes, suis responsis exaggerabat violati fœderis turpitudinem, ac præsentis belli injuriam: obtestaba-

tur, Deo propitio, nunquam Reipublicæ Venetæ vires defuturas ad obtundendam Barbaræ gentis superbiam: nunquam civibus fidem sibi, & in castris merentibus constantiam pro Religione, & Patria confligendi cum teterrimo hoste ad extremum usque halitum. Hæc rescripsit Mocenicus; & hæc non minus ipse, quàm cœteri Duces rebus fortissimè gestis comprobarunt.

Maritima expeditio.
Intercepta Cydoniæ subsidia.

NUnciarat fama in sinu Epidauri Limeræ, plurima reperiri belli subsidia, quæ brevi erant transportanda Cydoniam; Mocenicus à terrestribus ad maritima conversus facinora, mandat Aloysio Leonardo nepoti suo Classis Curatori, ut omni sublata mora illuc adnavigaret, & improviso accessu ea impediret, & caperet. Huic mandato indulsere venti, & ille octo selectis triremibus, duabus quinqueremibus, tribusque navigiis, hostibus inopinatò apparuit ad insulæ portum; sed cùm arceretur ingressu ab Arce, ex qua tela innumera in subeuntes quinqueremes jaculabantur præsidiarii: intrepidus tamen, & ingenio promptus, pontem abrumpit, qui continenti jungebat insulam: quo interciso, & externi auxilii interdicto accessu, tutiorem sibi aperuit aditum, contràque obsistentes in arce omnes bellicas machinas admovit. Illi cominus experti venientium pilarum ictus, & opis, fugæque spe destituti nihil ampliùs ab arce tentarunt, veriti ne ea expugnata à victoribus miserè trucidarentur. Hac trepidatione cesserunt Venetis incruentum triumphum de navigiis, quæ Cydoniam erant allatura suppetias.

Ca-

Castra Theodori, & Turluru recepta, & diruta.

AB Epidauro Limeræ deflexit proras ad Cisamum oppidum in ora Cydoniæ littorali, in quo Turcæ multa congesserant ad alendum bellum necessaria : at nullo eventu tentatum fuit , quia fortuna ad præclariora gesta evocabat Aloysium. Igitur ab irrita Cisami oppugnatione consilium capit adoriendi Theodori castri , licèt aliquibus ejus aggressio difficillima videbatur. Quarto idus Julii primo diluculo ad castri littus inobservato appulsu venit , exposuitque perexiguam bellatorum catervam, quæ admotis scalis ostentaret moliri ascensum,& irruptionem. Hoc ille astu occupatos habuit præsidiarios; atque interim majori vi in alterum castrum Turluru munitissimum inopinatam dedit impressionem : & sic utrumque expugnavit. Hoc tamen non exiguo labore ob semel, & iterùm repulsos Epirotas: quos intrepidè sustinuit, & reduxit in aciem cum honoraria , & conducta militum manu superans interruptos ascensus,& castri ostium, affixo pyloclastro, refregit, & aditum reclusit suis, qui catervatim ingressi, Turcis nil huiusmodi opinantibus,quos obvios,& reluctantes habuere, occiderunt,præter Castri præfectum,& alios ad remigium destinatos . Capto Turluru in cujus expugnatione Petrus Trambachinus triremis Patavinæ trierarchus magno audentis animi robore depugnavit: tormenta in eo reperta,ex adverso disposita in Theodoram munitionem , & displosa damno , ac metu maximo ejusdem propugnatores affecerunt:qui cùm diutiùs nequirent sustinere validos ictus ac timerent sibi necem, & captivitatem, exorata corporum incolumitate,se dedidere; & Cydoniam abire permissi sũt: ut referrent reducta castra in Venetorum potestatem. Mocenicus Imperator eo nuncio lætus conscensa prætoria venit gratulatum nepoti,ducibus, militibusque de rei fortiter

gestæ

gestæ magnitudine; & decrevit retinenda, ac munienda Castra, collata cura Comiti Pompejo Strazzoldo. Subinde mutato in melius consilio, jussit omnia bellica impedimenta detrahi, ac utrumque castrum subdito igne, suffossisque cuniculis funditus everti; ut quicunque receptus hostibus capta reposcere volentibus fieret inutilis, & Venetæ classis nulla defensionis necessitate astrictæ promptior progressus ad Turcicam propulsandam, quæ ferebatur potentissima in Aegæum descensura.

Venetæ Classis conflictus cum Turcica.
MDCLI.

MOcenicus rerum maritimarum Dux, delegata provincia tuendæ Candiæ Georgio Mauroceno Insulæ Præfecto, quarto nonas Julii classem conscendit instructam navibus octo, & viginti, triginta tribus triremibus, quinqueremibus sex; celerique cursu Cytheram adnavigat. Audierat Turcicam in Aegæum traductam, navium numero, militumque copia præpotentem: recensebat triremes quinquaginta tres, totidem navigia cum senis quinqueremibus: ac tam valido bellantium, & bellicorum instrumentorum apparatu; ut quisque crederet extremam universæ Insulæ instare perniciem. Tot viribus metuenda Therasiam pervenit; cujus appulsus monitus Mocenicus Cythera digreditur obviàm è longinquo conspectæ: & pugnandi ardore concitatus, dum raptim in illam fertur reflavit Aquilo, & noctis interventus currenti obfuit. Attamen inter obortas tenebras hostiles naves acriter vexavit Hieronymus Battalea fugientes insectatus cum suis patricii sanguinis commilitonibus: & ictu fulmineæ glandis percussit Mehemetum Natoliæ Bassam, qui Cydoniam ibat Hussaini successor. Redeunte die Turcica sinuata fronte procedens Venetæ adversa constitit, quasi parata certamini:

mini: Mocenicus, totus compositus ad excipiendam provocationem furenter invehitur in Bassam, & utrumque cornu gravi pilarum grandine percellit, subvertit triremium ordines, & hostem cogit sese repentè ex acie proripere. Luce postera iterùm in acie visus est, quasi vellet præteritæ fugæ abolere notam, & explicata classe Venetos inclamans offerebat se prælio. Thomas, & Lazarus Mocenici barbaræ petulantiæ cum suis triremibus ad pugnam dispositis fuissent ultores, nisi Imperator dubius eventi si tota classis eos circumveniret, missa liburnica utrumque revocasset. Quos cùm Bassa vidisset proras avertere credidit conversos in fugam, quare ejus intercludendæ cupidus citò persequitur remigio spe victoriæ, quia ab auxiliaribus longè distabant. Illi pares virtute, & constantia in persequentem obversi strenuam exhibuere propugnationem, donec accedente in auxilium Francisco Mauroceno cum quinqueremibus, quas regebat, unà cum summi Ducis Nepote, & Laurentio Baduario atrociori dimicatione conflictus increscerct in aliquot horas obstinatus. Quievit tandem, ac pro Venetis stetit victoria, licèt funesta ob interitum Thomæ Mocenici: sed hostium cædes tanta fuit, ut ritè expiarit fortissimi viri necem. Turcicæ triremes, conspecta prætoria quassata, & Bassæ interitu consternatæ tumultuaria navigatione tutam quærebant stationem. Sed à trierarchis cum Mocenico in tergum instantibus assidua tormentorum explosione fœdè lacerabantur: quæ remulco trahebant navigia, hæc eo soluto accelerandæ fugæ causa in victorum manibus reliquerunt. De hostili classe plus dimidia, aquis flammisq; deleta, & consumpta Venetus Imperator unam occupavit quinqueremē occiso Præfecto. Maurocenus navim grandē intercepit, cui præsidebat Nicolaus Natalis Foro-juliensis filius à nostra fide transfuga, ac ejusdem hostis immanissimus. Singuli trierarchæ, vel triremem, vel navim deduxere in triumphum, captivorum

numero,

numero, & spoliorum copia amplissimum. Tria Turcarum millia dicuntur perempta: quingenti à servitute redempti: & qui gloriosa morte pro Religione, & Patria pugnando efflarunt animas interfecti prope ducenti. Mocenicus Candiam reversus plurima dissipatæ classis insignia retulit; ac inter plausus, militumque acclamationes eidem circumfusa urbs honorificè excepto ingentes exhibuit gratulationes. Insignis hujus victoriæ testes fuere insulæ Naxos, & Paros: & nuncius ad Senatum Jacobus Lauretanus. Patres pro lætitia perquam maxima indixere supplicationes: & universa Civitas hilaribus signis testata est, quanta in omnium animis præ læto nuncio gaudia effervescerent.

Duare oppidum in Dalmatia captum.
MDCLII.

MOcenico Venetias redire permisso, ut quiesceret, Senatus suffecit Leonardum Fusculum, qui hactenus in Dalmatia fortuna usus constanti, spem dabat eadem comite, etiam in mari omnia sibi prospera fore. Destinato ad classis imperium subrogavit Hieronymum Fuscarenum pari gradu, & auctoritate, ut Dalmatiam à recentibus Turcarum irruptionibus tutaretur. Hic in provinciam profectus; ubi Jaderam venit sui consilii, & propositi tenax Morlachos effusè latrocinantes frænavit: eorum prolapsam disciplinam, & obedientiam restituit: contumacibus indulsit; solutisque stipendiis ex septem millibus tria delegit magis ad concertationes idonea, & penes se retinuit. Hostes interim Jadertinum, & Sebenicensem agros suis excursibus vastare cœperant, & fuga cultorum deserta sata igni corrumpere. Contra omnia barbarè populantes Fuscareni jussu ivere Morlachi; qui, licèt modici ad obsistendum valentioribus, tamen vigore animorum subnixi; & præ-

eunte

eunte suo duce, viro fortissimo Harambassa Smigliavicho; quinque Turcarum millia prostrarunt: atque eodem ferè momento dederunt in fugam alia agmina in subsidium missa à Bosniæ Bassa. Hac victoria, quæ hostium cæde, captivitate, ac tumultu fuit celebris, Fuscarenus animo erectus Duaris montani oppidi aggressionem cogitavit. Illud, superioribus annis à Paulo Caotorta obsessum, & occupatum, Turcæ paulò pòst numero, & viribus validiores sibi denuò vindicarunt. Dum parat omnia ad expeditionem opportuna, hostes ejus explorato consilio statim deserunt agros, domosque, & ex metu in oppidum confugiunt. Quod videntes Morlachi, & ipsi nulla mora convolant ad rapinas; atque in iis dividundis, post depopulatas, direptasque Prilam, & Polinizzam, non levem excitatum tumultum Fuscarenus sua dexteritate compressit. Hoc sedato, & fluvio Cetinæ trajecto adversus oppidum progressus est, & quartodecimo Kal. Martii obsidio instituta, excitatis munitionibus, quæ omnes aditus subveniendi oppido intercludebant. Turcæ vocati ad operas obsidionales evertendas forti conatu in easdem irrupere: sed rursus Dalmatæ militiæ victricia arma experiuntur: quingenti in acie ciciderunt ex tribus millibus: par numerus in captivis, & sauciis recensitus: reliquos cum ductore Bassa Daniele nomine, uiro potēte, præceps fuga distraxit. Prosper hic dimicationis exitus, qui obsessis intercepit auxilia extremum illis minabatur excidium: sed non desperatæ opis fiducia, obstinatis animis protrahebant deditionem: quam ut extorqueret Fuscarenus voluit per inaccessas etiam rupes trahi muralia tormenta, in editioribus tumulis collocari, & contra oppidum displodi. Ita globorum vi concussa mœnia, & per loca convulsa reclusus ingressus, solicitarunt obsessos, ut se dederent. Decimo igitur obsidionis die Fuscarenus Venetæ ditioni reddidit Duare, Almissæ urbi in Illyrio conterminum, maximi momenti Dalmatiæ securitati.

Navalis Classis successus, Imperatore Leonardo Fusculo.

MDCLIII.

LEonardus Fusculus in Cretam delatus omnes Ægæi latebras,& sinus accurata indagine lustrando hostem quærebat ad pugnam . Sui voti compos illum prope Leriam insulam offendit: qui tamen inquirentis, ac insectantis conspectu, & robore perterritus fugæ se commisit. Sequutus fugientem non apprehendit, vi venti contraria repulsus. Tunc primùm illi visa est fortuna dilabi;tametsi parùm circa Leriam resederit: quam insulam frequenti tormentorum percussione concussam obtinuit. Coos restitit oppugnanti,quoad periculum ab ea depulit rumor in Rhodio portu inimicam classem expectare tempus transfretandi Cydoniam. Monitus hac fama; relicta Coo, Rhodum versus contendit, & in ea statione Turcicas triremes obsedit. Pugnatum est utrinque solis machinarum tonitrubus pertinacissimè: intereà casu accidit; ut ob aquandi necessitatem Veneta Classe imminuta, Turcica de fuga cogitaret: hæc igitur arrepta,quæ se obtulerat,occasione, noctem nacta suboscuram, furtim æstu secundo è portu egreditur, & Cydoniam advehit auxilia: & incassum Fusculus tormenta explodit in longè provectam. Candiam reversus periculosa valetudine cœpit fluctuare: quo tempore Franciscus Maurocenus Classis curator munitionem in portu Epidauri Limeræ à Turcis erectam disjecit: absolvisset quoque ipsius oppidi expugnationem, disturbatis ab agro incolis: si qui exscenderant irrupturi in mœnia à muralibus machinis penè diruta; prædarum aviditate effusi per domos, perque cellas,& apothecas indulgentes vino, cujus insula ferax est; non provocassent obsessos in eorum perniciem. Erumpentes cum vi,& rabie in vagos, & ebrios, plurimos morti, fugæque

gæque

gæque dederunt: unde maxima orta confusio Maurocenum repulit ab egregio facinore classe reducta. Quod factum Fusculus ægrè tulit non minùs, quàm famam de Turcis liberè permeantibus cum suppetiis ad Cydonios: & licèt aliquando eorum naves à Navarchis essent oppugnatæ: tamen resumptis illicò viribus legissent Australem oram Seleno castro, olim Pelicasio, in suam potestatem redacto. Idcircò plurimis confectus angoribus impetravit veniam remeandi in Patriam. Cæterùm adhuc manenti in expectatione adventus successoris, Aloysii Mocenici secundi; quem Senatus iterùm maritimarum rerum generali administrationi præfecit; nunciatur decreta Turcicæ classis in annum sequentem expeditio.

Pugna cum Turcica Classe infelix.
MDCLIV.

HAnc igitur expeditionem, ac militarem apparatum hoc anno, uti fama vulgaverat, adduxit in Hellespõtum Amurathes Bassa suo tempore in Ægæum erupturus: In classe quinquaginta quinque triremes, quinqueremes sex, navigia viginti duo, & myoparones, celoces, liburnicæ ferè centum numerabantur. Monitus Fusculus de impendenti egressu, eò navigare jussit quò vocabat necessitas, Josephum Delphinum, navium Præfectum, & Franciscum Maurocenum Sinus Adriaci custodem: ut quindecim navibus, duabus quinqueremibus, octoque instructi triremibus exire tentantem repellerent. Cum his viribus sibi modicè ministratis maturatè properarunt: utrumque metuebat Barbarus ob notam animi magnitudinem, & periculorum contemptum. Sed à perfido transfuga Georgio Blanco unius navigii rectore instructus de statu, & robore Venetæ classis, expugnatu facilis si Turcica audacter exiliens illam invaderet; Exhilaratus Bassa Bejis, Punicisque stationariis in

Tenedi, Trojæque finibus suum indixit exitum valdè diluculo, secundante aquarum cursu. Rebus ita dispositis ab Hellesponti faucibus intento remorum pulsu erumpens subita aggressione adoritur Prætorias Delphinam, & Maurocenam; cum quibus majoribus explosis tormentis cruentissimum orditur certamen. Nostri in hostium conspectu plumbeis glandibus, ignitisque missilibus, stragem maximam dabant. Verùm à validiori numero tanta pilarum, sagittarumque vis uno tempore à fronte, atque ex-adverso emissa est, ut oppressæ naves, & classiarii veluti pestifera grandine contusi succubuerint. Delphinam extremo periculo liberasset Comes Antonius Capilistius Patavinæ triremis Gubernator: sed illa ab incursu Turcicæ quinqueremis magno impetu percussa admissis in sinum fluctibus demergitur: & Capilistius dum fortiter in sui defensionem pugnat, saucius capitur à Bassa, addiciturque mancipio. Mansit duobus annis captivus, tandem libertati donatus: quia in utraque fortuna in Rempublicam extitit officiosus, ab eadem ob antiqua, & recentia merita militaribus titulis decoratur. Maurocena nudata defensoribus lacera, & fatiscens, ne Barbari ea potirentur, excitato incendio abiit in favillas: duæ aliæ naves pari exemplo conflagrarunt: neque ullus tam abjecti animi fuit, qui non mori potiùs non optaret, quàm viuere infidæ gentis mancipium. Sex horas sæviit conflictus utrinque acerrimus: in quo cæsa dicuntur ad Turcarum quinque millia, & Bassa lethaliter vulneratus: nostrorum ex omni genere tria mortem oppetierunt: inter patricios insigni fortitudine, & virtute præstantes desiderati sunt Maurocenus cum altero ejusdem familiæ Daniele, & Sebastianus Molinus. Adierunt Turcæ Mitylenen, & Chium nulla triumphi pompa: & Veneti Paron insulam tenuere: qui duas biremes, totque naves, vel flammis, vel aquis depressas, amiserunt: hostes quinqueremem unam, biremes tres, & duo Punica navigia gurgitibus absorpta.

sorpta. Constans fama est: si Venetæ Classis vires Fusculus non enervasset intentus ad exigenda tributa ab Insularibus, sed integras contulisset ad Hellespontiacas angustias, seque obtulisset certamini, celeberrimam de profligatis hostibus victoriam reportatum iri.

Irrita Tininii oppidi aggressio, Laurentio Delphino Dalmatiæ Præside.

HOc oppidum Knin appellatum in Dalmatia, ante septennium à Fusculo in eadem provincia arma moderante receptum feliciter incolarum fuga; quia jussum dirui, comburi, & solo æquari; totum non corruerit, & arserit, eorum incuria, qui tantùm rapinas cogitarunt; Turcæ aliquot post menses suas ibidem sedes fixere iterùm, & reparatam arcem eo munivere præsidio, ut sæpiùs confines de illius insultibus quererentur. Laurentius Delphinus Fuscareni successor, in Dalmatia Præses, quæ de oppido recuperando, animo agitabat consilia, suis ducibus exposuit: sed examinata cum multiplici sententiarum varietate pugnarunt: major pars detestabatur expeditionem hyberno tempore inopportunam, paratu difficilem, & exitus incertam ob loci situm, auctum præsidium, & incolarum vim, pavore deposito, ad repugnandum acriorem. Hæc objiciebat Joannes Baptista Benzonius, asserentibus parùm munitum oppidum; desperatum auxiliis & commeatu; omnia circùm juga aspera, nivibus oppleta, geluque rigentia, ad necessaria comportanda moram, ac impedimentum afferentia. In ea sententia aggrediendi præcipuus erat Albertus architectus, cui adhæsit Delphinus inflammatus ad gloriam, spe faventis fortunæ. Itaque Kalendis Martiis Sebenicum versus indicitur profectio: & Scardonæ octavo die lustratur exercitus, qui constabat quatuor peditum millibus cum Morlachis, & equitibus octingentis. Omnia curabat Benzonius equitum Præfectus, & quatriduo pòst haud

haud procul Tininio locavit castra. Jussit Morlachos obstruere aditus ad oppidum, ne illos Turcæ transilirent: & victa itinerum difficultate, tormenta, militum, remigumq; labore pertracta, in summo vertice deposuit: ac tandem traductis copiis arduos, abruptosque colles emensus Tininiis suas vires ostentans ad terrorem illos in deditionem pertrahere conatus est. Turcæ jam pridem cognito Venetorum incessu, & eo observato, è montium cacuminibus instar decurrentium aquarum in clivos præcipitanter descendunt, quinque millium numero, & magno equitatu. In unum conglobati ad recludendos obstructos aditus in Morlachos immani rabie irrupere: quo valido impetu graviter perculsi, & manifestæ neci expositi tumultuario recessu stationes deseruerunt; non sine strage, plurimi adversis vulneribus fuere interfecti. Inde totus perturbatus, & confusus exercitus; gregariæ turmæ præ timore palantes missilium jactus non evitant: qui auxilio erant ab oppido ipsa loci iniquitate submoventur: tormenta in irritum jaculabantur contra municiones congesta humo firmatas. Bis mille militum ex stipendiariis obversa fronte ingruentibus Barbaris restitere quousque confluenti multitudini cedere coacti sunt. Postremò ab hostibus omni per terrestria itinera & fluviorum transmissiones effugio intercluso, cùm alium exitum virtus non haberet, Duces, ne captivi remanerent, capiunt consilium solvendæ obsidionis: atque eò citiùs, quòd nullas Delphinus per absentiam vires suppeditabat. Igitur præcipiti festinatione ab hostium manibus se proripiunt, relictis impedimentis. In concepta trepidatione, & fuga fortunati, quòd Turcæ non sint persequuti consternati exercitus reliquias: & propterea suā extenuarint victoriam. Hæc infelix expeditio tria millia militum abstulit, partim dispersa, partim occisa: & inter præclaros duces Joannem Baptistam Dottum è vivis eripuit, cujus singularis invicti animi constantia præcipuè enituit, cùm à con-

fer-

fertiſſima hoſtium manu circumventus conanteque tormentum rapere ſuæ cuſtodiæ traditum, non priùs quàm abſciſſis cervicibus ab illius tenaci amplexu divelli potuit. Tum redacta in poteſtate hoſtium impedimenta omnia tum publica, tum privata: mille tantùm Turcis deſideratis.

Morlachorum eruptio in Turcas. Piratæ domiti.

TUucæ non multò poſt quàm repulſis Venetis, ſervarunt Tininium, in Jaderæ finitimos liberis excurſibus bacchabantur: urebant agros, ac tuguria; abigebant pecora, & jumenta: homines trahebant in ſervitutem. Noſtri per eos dies eandem urbem ingreſſi incumbebant reficiendis viribus, ut cladem recèns acceptam rependerent. Intereà Morlachos ad ſigna reductos præteritæ inertiæ pudor admonebat inuſtam ſuæ genti notam abolere. Ut igitur inaudiunt in vicinos Turcicas irruptiones libero curſu exerceri, acuentes ad vindictam ſtimulos, obſervata nocte illuni, tacito inceſſu, ſubitoque illato impetu incauti hoſtis ſtationes adoriuntur; & invadunt vigiles, ſomniculoſos, atque obvios quoſque multa cæde poſternunt. Inopinatò comprehenſos terror tantus occupavit, ut undique per tenebras diſcurrentes, in aggreſſorum arma evaderent. Huic nocturno facinori felix illuxit eventus: à paucis plurimi victi ſunt, recepta furta, & exempti, qui erant in vinculis. Notiorum ex occiſis capita contis affixa lætiſsimi triumphi ſimulachra exhibuere omnibus eadem, quæ pari in diſcrimine cum Morlachis paſſi erant, ulciſci parantibus. Eodem Tininii facto Turcæ redditi inſolenciores Dalmatiæ oram, & ſinus armatis myoparonibus infeſtantes piratarum more latrocinabantur. In temerarios prædones inſurrexit Antonius Barbarus Adriaci pelagi Cuſtos: eos inventos propè Peraſtum compreſſit, & piraticis navibus exuit, reſtituta com-

commeantibus securitate. Hanc etiam per id tempus præstitit trium Insularum Præfectus, qui prædatorias aliquot naves Naupacto egressas oppugnavit, & succendit: & quos de latronibus fuga non subduxit, ultore ferro punivit.

Aloysij Mocenici altera in Turcas expeditio. Ejusdem mors.

REvertenti Venetias Fusculo Patres substituere Aloysium Mocenicum: ut rursus in regendæ classis administratione suæ pristinæ virtutis, ac invictæ fortitudinis documenta renovaret. Maximo apparatu ab urbe discedens adduxit secum Horatium Odoardi Parmæ Ducis fratrem, peditatu in ejus provincia collecto trium millium: & Alexandrum Borrum bellicis in rebus notissimæ experientiæ ad Reipublicæ stipendia accitum, ut militum exscensionibus præsideret. Prospera navigatione Cytheram appulit: & quem expectabant festivis auspiciis salutarunt auxiliares Pontificiæ, & Melitenses triremes: quibus, & sibi de communi studio gratulatus continuò trajecit in Cretam. Tunc temporis Turcica Classis adornata pari triremium, & navigiorum numero, quæ simul erant sexaginta; præter quinqueremes sex, & innumeras minoris formæ naviculas, in Chio morabatur sub Amurathis Bassæ imperio. Qui non ignarus de Mocenici adventu, cujus prudentiam, ac fortitudinem extimescebat, ut congressum aliquo astu effugeret, & Cydoniam se tutò transferret, evulgavit expeditionem suam Regio jussu in Cephaleniam. Verùm certior fama detulerat Mocenico mendacium Bassæ; nullum habere mandatum, neque virium satis ad eam insulam tentandam: sed de juuanda Cydonia properæ festinationis præceptum: cui non erant retardanda subsidia, ne Regis in se provocaret indignationem. Ergo statuit moras abrumpere, & parere Regi præcipienti, educta classe iv. Kal. Julii:
verùm

verùm ubi contra ſe Venetam ſtare conſpexit, paratam ad pugnam, metu correptus illicò refugit in portum. Incertus conſilii, & plenus timoris diem integrum manſit in expectatione ſecundæ tempeſtatis: hanc poſtera luce nactus, ſummo manè placidè excitato Aquilone proceſſit in altum. Claſſem, cui ventus, & mare favebant, Venetæ quinqueremes perſequebantur,& claſſico ciebant in certamen: ſed Baſſa, ne ceſſante aura congredi compelleretur, converſis proris in Euboicos euripos, & in ſinum munitiſſimæ arcis cõfugit. Exinde æquiori fortuna deſtinatum iter confecit, Cydoniam intulit ſuppetias:& his expoſitis,feliciter remenſus mare Conſtantinopolim regreſſus eſt. Noſtri maligna,& invida fata querebantur,quę,cœlo,pelagoque infeſtis, victoriam è Mocenici manibus eripuiſſent; tandem ab Inſulis antea vexatis aliquot aſportantes navigia,Cretica littora tenuerunt.At Mocenicus ubi Candiam acceſſit:ultimum vitæ diſcrimen ſubiit ingenti totius militiæ luctu. Mortem tanti viri, quem Turcæ timebant, ac venerabantur,fama eſt, lugubribus ſignis, mœſtoque ululatu fuiſſe ab iiſdem comploratam; hoc enim proprium habet virtus, ut etiam in hoſte ſit admirabilis. Nuncius, qui cum cadauere Venetias venit, civitatem ſummè afflixit, turbavitque Senatum, quòd Claſſis Imperatoris interitus alieniſſimo Reipublicæ tempore contigiſſet.

Ægina, & Vollus expugnata.
Hieronymi Fuſcareni obitus.
MDCLV.

HOc ineunte anno Franciſcus Molinus Princeps migrat è vita: ſuccedit Carolus Contarenus: & Hieronymus Fuſcarenus, qui fuerat Dalmatiæ Præſes, evehitur ad maris imperium, vt vices defuncti Mocenici impleret. Maxima navium, militum, pecuniarum,

& commeatuum copia accessit in provinciam, quo tempore Franciscus Maurocenus Classis Curator, cum Alexandro Borro, Aeginam in Saronico sinu, & Vollum, urbem littoralem Thessaliæ expugnavit: Maurocenus, & Borrus decimo quarto Kal. Aprilis celeri appulsu; alter cum triremibus littus obtinuit: alter exposito milite campum insedit, ut oppidum simul à terra, & à mari peteretur. Insulares omnem vim in externas munitiones jugi bombardarum percussione illatam, ac terrestres impetus quatriduo fortiter cum Turcis præsidiariis tolerantes; tandem multa cæde, & jactura suorum exanimati, ac nostrorum oppugnatione fracti cesserunt oppido, & arce: qui autem evaserant, extremas Insulæ oras petiere. Aegina multata vastationibus, & incendiis; quòd esset Venetis tributa exigentibus refractaria, docuit suo casu cæteras adjacentes insulas Scopelum, & Schiatum resipiscere, seq; profiteri vectigales. Ab hoc felici eventu Maurocenus auspicatò se contulit in Thessaliæ sinum spe potiundæ urbis, cui nomen Vollus, illius tractus primariæ, absente Borro ducendis navibus præpedito: ne mora interposita occasio rei gerendæ efflueret; declinante in vesperum die vigesima secunda Maji urbi classem ostendit. Illam tuebantur Bassa, & Aga robustissimi viri præsidiis, muris, arce, turribusque munitissimam. Omnes conspirantes ad inferenda damna in conspecta navigia sua tormenta exonerarunt. Maurocenus illicò jussit classiarios in continentem exscendere, tresque in classes dispertiri; quia triplici incursione statuerat, muros, arcem, turresque scalis, pyloclastris, & cuniculis oppugnare.

Dum Britonius, & Galesius Chiliarchæ milites ordinant, parantque machinas; fervens à classe tormentorum ictus pulsabat hostiles munitiones: non secus Turcæ impetu pari Veneta ligna infestabant. Sed in continenti cum celeritate, & silentio adeò cuncta peraguntur intempesta nocte scalas ad muros erectas conscendunt milites; pyloclastra

por-

portam effringunt, & cuniculi prosternunt turres tanta vi, strepituque, ut confestim auditus sit flebilis ejulatus vociferantium, Venetos occupasse urbem; ubique excurrere, somno adhuc obrutos, & obvios passim occidere. Repentina aggressione confusi Bassa, & Aga adversus potitos munimentis aditibusque ignorant quid facto opus sit, jam vicini manifestæ cædi, si aperto marte vellent contendere; itaque territi, atque consternati, in arce se concluserunt. Nostri subeuntes, tormenta in mœnibus reperta in eam obvertunt, quæ proximè ruitura non movet inclusos jactantes se nunquam deditionem facturos. Tandem desperato consilio ab ea arcis parte, quæ vix ascendi poterat, præcipites sese in subjectam planitiem demiserunt. Hac fuga, capta fuit urbs, occupata arx, nudata impedimentis, & actæ prædæ opulentissimæ: omnia postremò devota flammis, & in cineres redacta quæ publica, quæ privata erant ædificia. Urbem hunc in modum deformatam prospexit è longinquo Græciæ Bejerbegus, qui ad summovendos ab ea hostes cum sex Turcarum millibus properabat. Utraque victoria modico sanguine Mauroceno stetit.

Post hæc in Saronico, Thessaloque finibus gesta, Hieronymus Fuscarenus ampla classe advectus, Andrum insulam petivit: & solicitus circa ea, quæ in itinere digesserat, decrevit, expedito Mauroceno, & vires, quas secum adduxerat, & quas repererat in procinctu, Bosphoranis faucibus promovere. His jussis, atque ad præclara facinora erecto animo, in morbum incidit, quo brevi consumptus, occubuit: ingenti luctu ab universa militia defletus.

Lazari Mocenici de Turcis victoria.

PEr hos dies Lazarus Mocenicus, & duo Antonii, Zenus Navarchus, & Barbarus Custos Adriatici ad ostium Bosphori, observabant Turcicæ classis accessum, quæ du-

cta à Barazano Mustapha Bassa ferebatur explere numerum sexaginta triremium, octo quinqueremium, cum navibus onerariis triginta: minoribus naviculis ferè innumeris; ac tribus enormis magnitudinis Sulthanis. Omnem egressus moram impatienter ferebat Mocenicus: cujus & Maurocenus pertæsus, cum valida classis parte recessit, ut ab Ægæo exturbaret Bejebejorum triremes, quas cum auxiliariis Melitensibus persequutus, huc illuc per mare dispulit; & navis Punica Chium ab Cydonia contendens in Equitum manus incidit. Tandem Mocenicus viginti navium Præfectus cum Zeno, & Barbaro, qui octo triremibus, duabusque quinqueremibus præsidebat, haud perterritus permagno hostium robore; ubi ab exploratoribus accepit in diem vigesimum primum Junii constitutam exeuntibus Turcis eruptionem; illicò suis hortationibus omnium animos inflammavit ad illos intercludendos. In tres partes dividit classem; Zenum collocat à sinistris cum navibus: Barbarum cum triremibus à dextris: ita Græca, & Asiatica littora magno obice obstruebantur: dum ipse à fronte in sua Prætoria cupiebat obvium se dare hosti: qui quoties prodiret, veluti expansis retibus inauspicatò conclusus, non poterat inde se explicare nisi pessimè exceptus. Statuta die, Bassa ventis undisque faventibus, Ægæum ingreditur numerosa classe confisus posse modicam Venetorum eludere. Mocenicus extemplò in egressam tanto impetu fertur, ut momento atrox ex propinquo prælium coortum sit post primos tormentorum ictus cohærentibus inter se triremibus. Ille nulli impar pugnans Bassam ferocientem sæpiùs repressit, ac plurimos Turcarum occidit: in molientes fugam triremes, navesque secus Græca littora navigia immisit: quæ illas displosis tormentis, jactuque ignitorum missilium adegerunt ad scopulos fractas, & incensas: grandiores quinqueremium pilæ Sulthanas expugnarunt: totamque classem intercluso effugio

gio adorti Zenus, & Barbarus in perturbationem, ac tumultum maximum redegere. Tandem post asperrimam sex horarum pugnam Veneti victoriæ compotes facti sunt, Mocenico duce de Bassa profligato, deque Turcica classe majori ex parte comminuta, corrupta flammis, & submersa: reperti quinque mille homines ad transtra damnantur: decem millia occisorum capita referuntur: multi à vinculis soluti: & maxima commeatuum, & armamentorum copia relata: tresque Sulthanæ in triumphum adductæ: quas de classe laceras reliquias Bassa servavit, Tenedus insula recepit: de Veneta cæsi centum, ac quinquaginta; totidem numero sauciati: & navis una tantùm à Præfecto voluntario incendio absumpta, ne proximè à Turcis subigenda ipse cum filiis in servitutem traheretur.

Post hæc victrix classis cum Melitensium triremibus, vela pandit in Eubæam: inde flexit contra Epidaurum Limeram, cujus oppidum Maurocenus Turcis eripere statuerat, nam ex eo facilis erat trajectus ad subsidia Cydoniam transportanda. Antonius Barbarus suscepta oppugnationis cura juxta littus stationem habuit; facto ponte continenti adhæsit, & constructa munitione cœpit oppidum assidua pilarum pulsatione terrere, & quatere; at nulla exitus spe: quia non alia vi expugnari posse videbatur, nisi adhibito injectæ famis tormento: ac propterea omnis cura Ducis in commeatibus intercipiendis versabatur. Hæc inter quædam naves expeditæ ad exturbandos obsidentes se intulerant in ea maria obsessis opem laturæ; sed cùm vidissent Venetos procurrere in pugnam, & propè vires conferre, recentis jacturæ memoria edocti, in altum illicò se proripiunt. Attamen quod hostis efficere non est ausus; obtinuit post bimestrem obsidionem imminens,& suspecta Autumnalis temporis tempestas: hæc Venetos compulit ad recessum, ne portubus carentes disper-

geren-

gerentur. Igitur Epidaurus non invisa fato mansit incolumis. Secus Megara, quam Maurocenus vastavit, ac diripuit, licèt cum Turcis repugnantibus Græcis, quorum plurimos cæcidit, egitque in fugam. Ibidem magnam frumenti copiam Turcæ, & Insulares pretiosiora quæque congesserant: quæ omnia inde ablata, & aliunde collecta spolia Candiam invexit Maurocenus, quo tempore eidem nunciatum fuit summam totius Insulæ administrationem sibi ab Senatu decretam, Andrea Cornelio ad alia obeunda munera destinato.

Multiplex in mari cum Turcis dimicatio. Laurentius Marcellus pugnando interiit.

MDCLVI.

HOc anno pridie Kal. Maji Carolus Contarenus Princeps discessit è vivis: & illius successor Franciscus Cornelius intra vigesimum diem morte sublatus reliquit sedem, quam Bertucius Valerius sexto decimo Kal. Junii obtinuit. Dum hæc funesta succedunt in urbe: in sinu Adriaco Laurentius Marcellus, quem Senatus clarum longa navalis disciplinæ peritia mortuo Fuscareno suffecerat; fœda tempestate jactatur cum classico apparatu, quo ventis procellisque disperso, una tantùm navi Zacynthum attigit: reliquæ paulò pòst eò quoque venere valdè quassæ; compensarunt tamen acceptam molestiam visâ sui ducis incolumitate. Qui refectis viribus festinanter solvit in Cretam, & dum solerti studio explet in munienda Urbe Senatus mandata, monitus de proximo Turcarum ingressu in Ægæum extemplò omnes ejus insulas explorare statuit, ut opportuniùs obsisteret trajecturis. Navigantis contrarius ventus classem Diam rejecit, expulsamque inde Jos, ac Thera recepit; in hac Lazarus Mocenicus morabatur.

Marcellus placato mari, & transcursis Paro, & Naxo, aliisque

que insulis, multos in his reduxit ad obsequium extorres, & qui fugerant de Venetis classibus eos humaniter exceptos verbis, & promissis in pristina munia restituit; Andrum vela direxit, habuitque in itinere obvium Maurocenum quinqueremium Præfectum. Supervenit etiam Marcus Bembus, qui cum duodecim navibus ab urbe solverat, ut Mocenici munus ex Senatus consulto susciperet. Tota classis, in qua Mocenicus, dimissa navium Præfectura, honorarius miles haberi voluit, instructa viginti quatuor triremibus, navibus octo & viginti, cum septem quinqueremibus, præter Melitenses, xi. Kal. Junii ab Scyro ad Hellesponti ostia defertur: & in vicinis aquis consedit explicata tripartito agmine, ut exeunti Turcicæ undique adimeret transitum. Quoniam verò illius mora expectatione longior summè angebat Marcellum, ad alias interim incitatum expeditiones urgebat pugnandi desiderium, ne unius mensis cunctatione, & otio ardor confligendi in classiariis languesceret. Hæc secum reputanti iteratæ speculatorum voces annuntiant adesse hostes, quæ totam classem pervagatæ, omnes ingenti lætitia replerunt, nam quò cupidiùs hostium optabant accessum, eò molestiùs tolerabant congressus dilationem. Marcellus præ cæteris paratior ad conferendas manus, hortando, precandoque unumquemque jussit expedire arma animosque, & recordatione rerum gestarum circa eadem loca sperare victoriam. Decimo igitur Kal. Julii visa est Turcica classis ad Arces Hellespontiaci freti accedere remige, milite, & commeatu per quam maximo munita, & vires suas ostentare robustissimas, cum Bassa, qui objecturus omnem vim sui itineris turbatoribus, duo promontoria haud longè ab Arcibus, Europæum, & Asianum, pluribus tormentis bellicis compleverat; quæ ab utroque littore displosa cogerent Venetam in altum se recipere, ut sua liberius exeundi spatium haberet, tres dies continuatis jaculationibus pugnatum est: quo tem-

tempore nostri omni posthabito periculo supra modum invigilabant ne ante hostis elaberetur; quàm iter ipsi intercluderent. Hæc inter Bassa leni aspirante aura ab Austro, & undis pacatè fluentibus classem movet ab Hellesponto in Ægæum: Stabat Veneta in procinctu:sed progredi ad subitum aggressum impedita à ventorum, aquarumque infestissimo incursu, morabatur, erat tamen in conspectu, habitu pugnaturæ, tam è propinquo, ut Marcelli Prætoria cognita ex Marcio vexillo, quod explicuerat, certissimis majorum tormentorum ictibus peteretur: verùm ille licèt è suis aliqui tacti perierint: nihilominùs intrepidè propositæ sibi gloriæ insistebat. Æquali cura Mocenicus invigilabat: non secus Bembus cum cæteris Navarchis, & classiariis ducibus, militibusque, quibus omnibus erat idem mentis, animique stimulus per summum hostium contemptum irrumpendi. At nondum fortunæ favor à Turcis aberat; nisi postquam ea uti nesciis, favente Numine justæ causæ, ad Venetos se convertit. Turcæ detrectantes in aperto mari pugnam, trahentis ad perniciem fati vim sequuntur, dum suam classem reducunt in littoreos Natoliæ sinus: rati eam tutam fore ab omni impressione, quam longè arcebant machinarum tonitru, & grandium pilarum procella. Hic Turcicæ classis deflexus Venetæ secundi eventus omen fuit: idcircò Marcellus cœpit illicò excitare milites tā bono auspicio ad propria munera fortiter obeunda. Deinde jussit leviora navigia incitari remis, remulco moveri naves, & ab expeditis triremibus hostium stationem oppugnari. Hostilem classem omnium primus Mocenicus publicę Sulthanæ gubernator plumbeis glandibus, sulphuratisq; missilibus lacessivit. Melitensium acies in eandem dedit impetum, quę altum petere intendebat, & fugere. Bembus quoque illam repressit suis navibus adortus, in quibus Horatius Princeps Farnesius egregium militaris virtutis specimen edidit, cum Alexandro Borro exercita fortitudine claro, omnes auda-

ćter

ćter in aperta pugnæ discrimina se immiserunt. Ad hos primos impetus ingens metus Turcas corripuit: quare ab omni parte, quanam evaderent circumspectabant. Bassa in summa consternatione nactus effugiendi locum repentè proripuit sese ex acie, ac turpissimè intra Bosphorum latitavit: reliquam classem conantem pariter moliri fugam Mocenicus sistit, & circumventam à tergo, & à latere Barbarus, aliique triremium, quinqueremiumque Præfecti, multa cæde, strageque lacerarunt. Medius in agmine Marcellus constanter, atque intrepidè consilio, & exemplo hortatur, incitat, & impellit è celsa Prætoria (in quam hostes identidem collimabant ictus) ad omnes Turcarum assultus impressionesque eludendas; ac vera virtute urgere. Hac ille plurimos præcipites in undas dejecit, non paucos resistere audentes ferro cęcidit. Itaque incredibili celeritate unam de Sulrhanis occupavit, ac ulteriùs rapiente ardore pugnandi progressus, dum alteram rapere ferreis uncis, & secum trahere allaborat majori glande percussus extinguitur, quo momento singulari victoria erat illustrandus. Tanti viri necem occuluit Joannes Marcellus vices gerens, & ne turbata classis extincto Duce à persequendo bello cessaret: Curator Barbarus Baduarius illius curam suscepit: & milites, qui conscenderant Sulthanam, ex qua fatale tormentum explosum fuit, Turcas certamini superstites ad unum trucidarunt. Increscente pugna sensim residere hostium vires: neque unquam illi donec sol occideret, se subducere potuere; nostris impigrè illos cum auxiliari manu ejectos in Natoliæ littora prementibus. Multi Navarchi, quibus effugium in terram patuit, deseruere naves, quæ vacuæ defensoribus jugi pilarum grandine confractæ, & immissis ignibus combustę verterunt noctem in diem, & lætissimam triumphi faciem præbuerunt victoribus. Postera luce, quæ incendio superfuere, ausæ iterùm luctari ab Joanne Marcello partim capræ, partim incensæ ab

Antonio Barbaro insanæ temeritatis dederunt pœnas. Tres Venetæ naves correptæ alieno igne conflagrarunt: Mocenici quoque Sulthana idem fatum subiit; & deplorandum magis; quò eidem se ad omnes ictus aperienti plumbeus globulus oculum eripuit. Stetit hæc victoria in ipsis Hellesponti faucibus reportata modico nostrorum sanguine, sed ingenti jactura in Marcelli morte, qui animo conceperat, si ei contigisset tam validam profligare classem se inferre in Hellespontum, & majorum suorum exemplo in ipsam Regiam urbem facere impressionem. Venerunt in potestatem octodecim Beleberjæ triremes: undecim in Melitensium manus cum tormentis, & captivis, illorum egregiæ fortitudinis præda: pauca transtra à Venetis in triumphi signum asportata, cùm reliqua rebus bellicis exinanita subditæ flammæ in fumum, & cinerem redegissent. Quantus fuerit occisorum Turcarum numerus nemo potuit exploratum habere: infinita propè dicuntur cadavera, quæ per undas sanguine rubentes fluctuabant, & jactabantur: septem captivorum millia fuere exempta à barbara servitute: qui libertate donati in publicis navigiis meruerunt. Cum hujus victoriæ nuncio Lazarus Mocenicus quinqueremi Rhodia advectus, & intercepta in itinere navi Punica multa merce onusta, Kal. Augusti Venetias pervenit. Æstuaria ingressus, explosis bombardis, classiariis lætitiæ voces ingeminantibus; atq; cum Turcicis vexillis undas verrentibus Marciani fori ripas attigit. In terram exiliens circumfusæ civitati nunciat victoriam: & coram Principe, & Patribus exponit ad arces Dardanellas hostium classem non victam modò, sed fusam, deletamque fuisse. Extemplò effunditur in omnium animos ingens gaudium: & pro gratiarum actione publicæ indicuntur preces. Mocenicus, qui læta, & multa ab se gesta detulerat, cum equestris honoris titulo aurea torque donatur: eique Cretam revertenti Senatus, quod Marcellus exercuerat, summum maritimi imperii munus decrevit.

Tenedus, & Lemnus insulæ captæ. Alexandri Borri, Horatii Parmensis Principis obitus.

VEneti Duces ex occasione commissi feliciter prælii fortunatiora sibi polliciti consultarunt; vel Cydoniam victricem promovere classem: hæc Guilielmi Azoni Equitis Avogadri Tarvisinæ triremis Navarchi erat opinio, & in eam mitti expeditionem ardens desiderium, (præmissis Turcicis triremibus, in pugna captis, quæ mentitæ patrios habitus, & acceptam de Venetis victoriam, ostentantes oblata signa cum ululatu, & sonitu classico, si portum tenerent; tum delecti milites exilirent, districtisque gladiis deceptam hoc astu, imparatamque subsequente reliqua classe, occuparent) vel Insulas Tenedum, Lemnumque, non multò ab Hellespontico ostio sejunctas totis viribus invadere; quarum potiti faciliùs, securiusque deinceps hostibus transitum occluderent. Easdem Marcellus uita comite, & fortuna erat aggressurus; nam illis subactis præsagiebat Venetis armis feliciores eventus; idcircò Baduarius, arcanorum conscius, accedente Senatus consulto mortui Imperatoris excogitatum facinus moliri statuit. Hoc major Ducum pars sequuta est consilium, rejecto priori, cui Barbarus, uti præsentissimo remedio ad eximendam Cretam ab Turcica vexatione, adhærebat: qua de causa à reliquis digrediens Candiam trajecit, à Præside, qui ejusdem erat sententiæ comiter exceptus.

Decreta in Tenedum expeditione Venetæ classis regressa Melitensi in Occidentem (nisi sub summo classis Imperatore militare prohibita:) pars una mittitur ad auferenda armamenta ab incensis triremium, naviumque reliquiis: & altera viribus major tertio Non. Julii se dat in destinatæ Insulæ conspectum. Borrus ad obeundum munus littori applicitus illicò facta peditum, equitumque exscensione,

occupatos aggeres munit,& in hosticum jubet excursiones fieri. Turcæ repentino accessu haud territi numerosiores egressi adoriuntur obvios,& conjiciunt in fugam. Tamen ab equitatu, cui Villalta Foro-julienfis præerat, reducti adsigna, obvertunt faciem in persequentes,quos cogunt multis confossis pedem referre. Tunc Borrus cum recenti supplemento omnibus antesignanus usque ad Oppidi proximum vicum provehitur tanta hostium trepidatione, & fuga, ut confertim eo deserto in arce se clauderent. In occupato vico plura dolia vino oppleta reperta fuere de industria à Turcis relicta,ut milites, in se dulce merum ingurgitantes fierent ebrii, & magis obnoxii eorum impressionibus. Cognita fraude, quæ alibi pari ingenio structa Turcis profuit,Borrus omnia vasa confregit:& in oppugnationem oppidi intentus triplicem muralibus machinis sedem posuit,quæ diu,noctuque incessanti jaculatione mœnia, & arcem concuterent. Hac Borri solertia fuit obsessa Tenedus: & à propugnatoribus fortiter defensa: denique vi subacta venit in deditionem; cùm præsidiarios Turcas, atq; Tenedios graviores pilæ molestissimè infestarent; quarum una lapsa in sulphureo pulvere confertum penu, horrendo fragore, terræq;motu,magnum excitavit incendiũ,& ruinam; cumque aliæ è navibus eductæ turmæ internecionis metu acriùs urgerent:tum de tradendo oppido, vel reluctãte Bassa,extulerunt signa. Borrus in conditionibus munificus,& vitæ incolumitatem,& innoxium ad Trojana littora reditũ concessit; atq; cunctis, qui exierunt oppido in suis tentoriis lauta cibaria paravit:sed Bassa jejunus deditionis fatum suorũ ignaviæ imputabat. Ita recepta est Tenedus,de qua olim Veneti cũ Genuensibus plurimis bellis disceptarunt. Deinde munitæ à Borro vallo,fossis,loricisque, tormentis æneis, aliisque ad quamcumq; vim propulsandam machinis, atq; instructæ tanto clasis numero,& veteranæ militiæ robore; quanto publicæ intererat securitatis, dati sunt Præfecti duo

Joan-

Joannes Contarenus titulo Ordinarii, & extra Ordinem Jacobus Lauretanus, ut Insulam perquam accuratissimè custodirent: quia in ejus possessione fideliter, ac strenuè retenta ipsum Byzantium à mari videbatur obsessum.

Redacta in Venetam potestatem Tenedo, Baduarius classem ducit Lemnum, alteram Ægæi nobilissimam Insulam; quæ se tutam credebat quatuor millium peditum, & trecentorum equitum præsidio. Conspexit quinque Venetas quinqueremes suo littori appulsas Kal. Augusti (nondum Borrus cum navibus advenerat) & nulla mora in oppidum Stalimini dictum, à quo illa Stalimene appellatur; expositos milites, excursus fieri, & nequicquam obsistente equitatu vicinum collem insessum à copiarum ductore Bertone. Sequenti die adfuit Borrus, & è navigiis deductis turmis, extractisque tormentis cum Baduario decrevit Insulæ primariam arcem fore petendam. Quare dispositis aggeribus, collineatisque tormentis illius munitiones, & propugnacula cœpta sunt verberari: satis animi, & constantiæ inerat propugnantibus à principio: sed perpetua volitantium globorum grandine contusi, & flammarum, missiliumque jactibus obruti, tertia ab oppugnatione die coguntur se dedere, & has accipere conditiones; Ut armis spoliati in proximas continentis oras migrarent suis actuariolis, sarcinas tantùm ferentes. Hac festinata deditione periit tempus auxilii, quod Natoliæ Bassa destinarat; jam accesserat quinqueremis: at frustra; subita nostrorum impressio emersos auxiliares coërcuit, captosque inter remigantes distribuit; cujus sinistri successus fama alios à Bassa mittendos deterruit. Lemnus intra paucos dies expugnata, Arce Veneto imperio adjuncta, duos habuit Præfectos Petrum Contarenum, & Faustinum Ripam; ac quingentos milites in præsidium.

Post hæc Baduarius classem inde removet, & Ægeum percurrẽs prædas è pluribus Turcarum navigiis Cydoniam

ſubſidia deferentibus capit: eorum tamen aliquot prædatrices manus effugere. Borrus interim relictus in Inſula omni ſolertia curabat validas equitum turmas colligere ad majora audenda, quæ ſecum vir impiger cogitabat pro Reipublicæ incremento, ac dignitate.

Cæterùm hujus anni exitus duorum illuſtrium virorum funere infauſtus fuit. Horatius Parmenſis ingentis, & invicti ſpiritus Princeps in navi, qua Venetias revertebatur, inteſtinis jactatus doloribus è vita diſceſſit: Borrus Lazaro Mocenico proficiſcenti in Cretam obviàm mittitur à Claſſiario Duce Baduario, ut arcanum animi ſui aperiret de præclariſſima aliqua expeditione: Ille ſolus, quo conſcenderat navigio, duobus recuſantibus euntem ſequi, dum Zacyntum verſus iret, in Punicas quinque naves incurrit, cum quibus coactus pugnare, Prætoriam intrepidè aggreſſus oppreſſit: verùm cùm eſſet à reliquis tormentorum vi inceſsāter oppugnatus, & graviter vulneratus in coxa, venti proſperè flantis ſubſidio in Corcyram direxit vela. Ita ab hoſtium conſpectu evolavit: ſed iniquo comitante fato ad eam inſulam pervenit, in qua ex vulnere, quòd nulla ope medica juvari potuit, exanimatus occubuit. Hæc tanti Ducis jactura ab omnibus uberrimis lacrymis defleta fuit, ob illius in rebus bellicis ubique magna cum laude geſtis, prudentiam, ac virtutem ſingularem.

Lazari Mocenici geſta cum Turcis, & interitus.
MDCLVII.

VIx effluxerat ſuperior annus, cùm Lazarus Mocenicus ad maris electus imperium navigavit in Cretam magno nautici apparatus præſidio. Solverat ab urbe animo deliberato in ſuſcipiendis expeditionibus, vel prodeſſe Reipublicæ: vel ſibi parare glorioſam mortem. Naviganti renunciatum fuit de Marchionis Borri obitu, quem graviter, mole-

molestèque tulit. In ejus locum adscivit Odescallum Comitem Polcinici, ut eandem, quam in Tribus Insulis, militaris descensus Præfecturam, obiret, donec alium ad idem munus Senatus destinaret. Intereà Turcæ triremes triginta duas, plura navigia cum multis myoparonibus Ægæum traduxerant quarto Non. Aprilis, quæ transitio opinione, ac tempore celerior facta fuit ex metu, ne Veneti promptiores ad vim, Regiam classem intra Bosphori claustra concluderent. Liberè egressi cogitarunt ex improviso adoriri, & recipere Tenedum: sed repens in appropinquantes Insulæ maris, cœlique procella consurgens quinque eorum triremes pessimè vexavit; reliquas per incertum mare ægrè collectas tenuit Chius, & Mitylene. Mocenicus, qui pridem Candiam pervenerat, cognito ex rumore hostilis classis egressu, extemplò inde se proripuit, celeremque cursum ad illius perquirendas stationes instituit. Littora, & insulas perscrutanti valida rostratarum navium acies occurrit; quæ Punicæ, & nouem numero velis, remisque iter suum Chium versus maturabant. His ille conspectis sine cunctatione occurrere obviàm constituit; ne, permisso accessu, vires hostium caperent incrementum. Itaque accinctus ad pugnam distributæ classis medium sibi locum delegit, præcedente Antonio Barbaro, dexterum Curatori Baduario, sinistrum Conquisitori Leonardo Michaelio demandavit: ut omni ex parte circumvento hosti necessariò pugnandum esset. In certamen procursum fuit cruentum, & obstinatum. Tribus horis stridore ingenti tonuerunt majora tormenta in Venetos; etiam Chia Arx grandinabat omnium missilium jactu: spemque ostentabat Barbaris proximioris auxilij aliarum adventu navium. Porrò Mocenicus ubique animo, & consilio præsens omnes excitabat, ut pugnandi artem, audaciam, & in periculis fortitudinem ostenderent: qui impavidi Ducis æmulatione accensi, strenuè, atque enixè dimicarunt. Circumdatos

arcto

arcto amplexu hostes invadunt: & generoso conatu insiliunt in naves: ex his quatuor vi, atque armis expugnatæ in potestatem venere; & illa præcipuè, quam ductabat Archithalassus Mehemetus Belga cultui Turcico mancipatus: hic à Mocenico cæsus suæ perfidiæ pœnas tulit. Totidem naves arenæ impactæ, & desertæ à fugientibus igne fuere consumptæ detractis armamentis. Unam longè vagantem obsecundantis venti flatus eripuit à conflictu: sex aliæ par discrimen subire veritæ altum tenuere. Mocenicus sub Chiensium oculis hac potitus victoria nullam Venetarum navium jacturam passus est: Christianis plurimis inter captivos solvit vincula: & captos Turcas ad transtra applicuit: quantus autem fuerit debellatorum numerus computari non potuit; cùm illos promiscuè ferrum, mare, fuga abripuisset: centum, ac viginti amiserunt nostri præclara morte extinctos. Hujus felicissimi successus Nuncius Venetias missus properè adstitit: & dum tota Civitas summa efferebatur lætitia, morte absumitur Joannes Barbadicus Marcius Procurator. Opportunum Senatui incitamentum ad illustrandam Mocenici virtutem: quare majoribus in Comitiis habitis Kal. Aprilis illum Procuratoria dignitate, quæ amplissima est, & Principi proxima, cohonestavit. Parta hac victoria, & relicta Chio, novis rebus animum adjecit. Vocatis itaque in consultationem navium, armorumque Præfectis, statuit, classe refecta ex damnis, quæ superiori pugna contraxerat, à Scala nova transire in portum Svazichium, id loco nomen est, ubi fama afferebat sex reperiri naves Algerias piratica infames; & gaulos nonnullos Alexandrinis mercibus onustos; quos in ipso portus ostio navis magna tutabatur validissimè munita. In decretam expeditionem decimo septimo Kal. Junii proficiscitur: littori appulsus innumeris tormentorum ictibus excipitur tum à mari, tum à terra: ab omni tamen jaculatione immunis suas naves contra hostiles explicat, & in continentem

jubet

jubet exſcendere milites. Laborioſum utrinque certamen exoritur per aliquot horas maximo ardore, varioque eventu. Fuere tandem repugnantium inſulanorum catervæ fugatæ; obluctantium Turcarum cunei repreſſi; & in navium concurſu disjectæ profligatæque Turcicæ: ubique intrepidè præeunte Mocenico. Aggreſſus deinde oppidum, in quo pretioſiora quæque congeſta erant, non ſolùm illud expugnavit, ſed evertit: opulentiſſimam abduxit prædam; machinas extraxit à Turcis in locum præſidii deportatas poſt ereptam Cyprum: & militibus conceſſit gaulorum, naviumq; direptiones. His proſperè peractis in ſpem venit Chiæ Inſulæ obtinendæ: verùm illuc tendentem conſtans rumor admonuit Turcas in Tenedum irrupturos magna claſſe, numeroſoq; peditum, equitumq; exercitu. Hac fama eò intendit vela, & intentus ad retinendam Inſulam, ſelectiores quinqueremes, ac naves delegit, quæ cum auxiliaribus Pontificiis, & Melitenſibus, hoſtium conatus comprimerent. Poſt hæc aquæ penuria coactus, Imbrum dum navigat aquatum, Turcæ illius explorata abſentia, occaſionem exeundi ab Helleſponto ſolerter arripiũt: & audaciſſimè prorũpunt: primo incurſu Marci Bembi prętoriam invadunt: qui à ſeptem petitus, & circumventus navigiis celeritate conſilii præcidens anchoras periculo ſe explicavit. Subinde alias adorti comparatas ad excipiendos eorum impetus non modica damna paſſi ſunt: nam claſſes juxta mutuis odiis, & ictibus committebant certamen, tandem ſuperante Veneta, cogitur Turcica fugata, ac diminuta cum cæde, & ſtrage recedere; fortiter ſe geſſerunt Antonius Priolus, Ludovicus Baſſus, cæteriq; Trierarchæ, quorum unus Aloyſius Fuſcarus vitam perenni gloria cum morte commutavit. Ex hac pugna in multum diem, qui fuit Julii decimus ſeptimus, obnixè protracta, Veneta victrix quinque hoſtium naves oppreſſit; & unam, Alexandri Zanii robore acquiſitam, deduxit in triumphum:

addita quinqueremi, avulsa à reliquis quæ combustæ, & impellentibus fluctibus ad scopulos confractæ fecere naufragium. Percousserat Mocenici aures tormentorum fragor, strepitusque, quare sibi non esse cunctandum ratus accedere quò bellica signa vocabant, ne, si quid adversi contigisset, suis differret auxilium, extemplò Imbro discessit. Navigantem cum festinatione conspiciunt ex longinquo duo de triginta triremes Turcicæ, quæ opinantes eum esse Rhodium Bassam properatò currentem ad Tenedi recuperationem, illi alacres occurrunt: at vix progressæ dum è speculis prospectant Veneta insignia, raptim ex metu convertunt proras, fugiuntque ad Natoliæ, Trojæque littora. Hæc Turcæ firmissimis propugnaculis munierant, & collocatis ex ordine tormentorum sedibus ita protexerant, ut videretur nulla de Venetis navis illac transire, nedum appellere posse inoffensa, quòd abundabat machinis, sagittis, facibus, quas expedita militum manus jaciebat in prætemavigantes: id moliebantur, ut in pristinam dominationem vindicarent Tenedum. Mocenicus ad suos revectus: certiorque factus de Turcicis tentamentis, ne minimo quidem spatio temporis interjecto, censuit hostem ubique persequendum esse, ac infestandum. Ideò juxta occasionem, quam casus obtulit, quinque triremes Asianum littus radentes è vestigio insequitur perpetua majorum machinarum verberatione: unam adnitentem vim facere intercipit; reliquas graviter percussas compellit ex fuga in arenosas syrtes. Cæterùm anxius de tutanda Tenedo constituit ipsas hostium stationes invadere, licèt fama inexpugnabiles. Turcica classis numero majori egressa, & per Trojana littora extensa, suis viribus à mari, & à munitionibus in continenti suscitatis validissimè defensabatur: octoginta militum millia per multiplices tormentorum suggestus collineatis ictibus propiùs succedere audentes, & claudere transitum in Tenedum repulsabant.

bant. Sed Mocenicus animo forti, & obfirmato opposita impedimenta aspernatus decrevit navigare ad Tenias, Barbieri vocatas, ubi septem Turcicæ triremes manebant in statione. Plena periculis navigatio nullum deterruit æmulantem Classici Imperatoris virtutem: & primus omnium procurrit Barbarus Adriaci Custos inter immanes tormentorum globos sua quinqueremi, priores munitiones pertransiit: sequentes superarunt Michaëlius, & Baduarius, omnes ab effuso pilarum imbre in prora, clavo, & scalmo lacessiti: per tela, perque ignes audacissimè penetravit in aciem Mocenicus, qui æstuans impatienti desiderio pugnandi ex propinquo cœpit præliari cum hostili classe: quam adeò ferociter aggreditur, dissipat, ac perdit; ut de ea in ipso primo certaminis ardore futuræ victoriæ spem conciperet. At quæ vis fati! aut lapsu pilæ ferreæ ab Natoliæ castellis explosæ in inferiorem Prætoriæ partem, in qua tormentarius pulvis asservatur, aut ab igniariis ministris ob incuriam suis in officinis accensus (res in incerto est) totam incendit, ruptisque compagibus corruens repente malus; suo, & decussæ antennæ improviso pondere oppressum exanimavit Lazarum Mocenicum, quem adeò horrebant Barbari, ut audito illius interitu sonora lætitiæ signa dederint: dum nostri gemitibus, lacrymisque fatum præstantissimi Ducis complorabant.

Tenedus, & Lemnus à Turcis recepta.

EXtincto Mocenico summa belli in Barbaro Baduario resedit; qui statim probato consilio ad incendenda navigia in conflictu arenæ impacta classem promovet: & quamvis à terrestribus munimentis magno tormentorum conatu repulsus: tamen adiuvante intrepidos fortuna, sub ictus ubique grandinantes ultrà tutissimè progreditur; adhærentibus Bembo, cæterisque Navarchis cum auxiliari-

bes. Applicantes proras arenosis littoribus: in his implicitas hosticas naves, vel conjectis flammis incendio absumunt, armamentis detractis, vel injectis harpagonibus retrahunt, frementibus Barbaris, quibus in mari, neque fugæ, neque auxilii spes reliqua. Ideò nulla in Veneta classe navi nec igne, nec alio fato corrupta, præter Mocenici Prætoriam: de combustis, reductisque lignis, deque profligatis, captisque hostibus insignem victoriam nostri adepti sunt, vocatis in partem opulentissimæ prædæ Pontificiis, & Melitensibus: perspecto deinde certaminis eventu, retulit fama Turcas amisisse quindecim majora navigia: centum circiter ænea tormenta: relicta in servitutem ad mille, & amplius hominum capita: plurima in ipsa acie ferro, igne, & aquis absumpta. Nongenti pro re christiana certantes desiderati: quibus classiarii ad Insulam Tenedum appulsi piè litarunt, grateſque Deo pro accepta victoria egerunt. Sed lætitiam vix prægustatam conturbavit Baduarii ex morbo interitus xvii. Kal. Septembris. Hujus clarissimi Ducis jactura, æquiparanda nondum satis deplorato Mocenici excidio, notabilis, atque etiam, ut exitus docuit, ominosa fuit. Auxiliares triremes à Veneris, summo orbatis Imperatore, discedunt: Laurentius Rainerius quinqueremium Præfectus regendæ classis habenas capit infelici auspicio. Tenedus in Turcarum potestatem regreditur. Præsides, qui in ea erant Contarenus, & Lauretanus obcæcati avaritia, quæ solet, publicis rebus privata commoda anteferre, classem ibidem morantem autumnali tempore infestam habuere: quia remiges, & classiarii percurrentes agros, villasque vindemiales fructus obliguribant: hausto in uvis vino, quo illi venundato, grandia lucra captabant. Hac de causa rumores spargunt de hostibus vicinis ad ostia Hellesponti; & impellunt Rainerium, ut omni rejecta cunctatione obicem opponat proximè egressuris: Dux credulus

contracta classe deserit Insulam ; & occupatis euripis multos dies consumpsit in expectatione hostilis adventus. Turcæ ad Mitylenem excubantes cognito Venetæ classis discessu ab Tenedo, nocte intempesta septimo Kal. Septembris copias traducunt in Insulam numero, & robore per quàm validas : quæ tanto cum tumultu invasere externas munitiones ut oppido quoque hæc nocturna, & non opinata incursio magnum terrorem attulerit. Præsides improviso exterriti, ac prope in ipsa arce obsessi, tormentorum tonitruis ingeminant signa sollicitæ opis. Rainerius, ut cognovit, se commentitio rumore deceptum, festinato remigio Tenedum redit, sed collocata classe versus Trojana littora non occlusit aditum ingruentibus Turcis ab aperto mari. In consultationibus, quid esset agendum, in diversum inclinabant sententiæ : alii repugnandum esse omni vi ajebant : censebant alii dedendam Insulam, cùm ad propugnationem vires non sufficerent : fuit hoc Præsidum consilium, non esse pertinaciter immorandum : nam invalescentes quotidie magis hostes minabantur infesto agmine irrupturos, & oppidum aggressuros. Itaque intra quintum diem, quàm Turcæ exscenderant, deditur Tenedus cum impedimentis, & commeatibus, gravi nostrorum indignatione : quòd quindecim mensibus possessam Insulam, tanti momenti ad angustandum à mari ipsum Byzantium per socordiam amisissent, eamque Barbaris reddidisset vana trepidatio, vel potiùs suspecta fides, cujus cognitio Senatus judicio fuit reservata. Vocati Præsides, ut de objectis criminibus dimoverent suspicionem, torquente conscientia, cùm absentes damnati essent, exilium sibimetipsis aqua & igni interdictis, consciverunt. Classis amissa Tenedo Lemnum perducitur : tristi provecta infortunio, quarto die, quo portum attigit, conspexit è navibus in lit-

tora prosilire duo Turcarum millia, & oppidi præsidium haud multum abesse à pavore. Tentatum subitis aggressionibus, crescente in hostibus audacia ex alieno metu; nec audente Rainerio ferre opem, qui è classe certi periculi spectator erat; frustraque dissuadentibus Præfectis Paulo Bernardo, & Faustino Ripa, ne se dederet proximi auxilii fiducia; tandem coactum à datis bona fide conditionibus post quintum ac sexagesimum diem acerrimæ propugnationis se tradidit. Ita Turcæ suas in Ægeo praeclarissimas Insulas Tenedum, & Lemnum nostrorum vel ignavia, vel avaritia receperunt.

Turcicæ excursiones in Dalmatia compressæ. Ascrivium defensum. Camilli Gonzagæ Mors. MDCLVIII.

PRæsenti anno in Dalmatia Cedinus Acmetes Bosniæ Bassa repentino incursu Spalatinos agros populatus, ad ipsam urbem castra posuit Idibus Juliis: multoque potens equitatu suis incursionibus totam provinciam exterrebat. Adversus hostem egressi cives, adjutrice robusta Bossilianæ conterminæ gentis manu, ejus impetum, & ferociam sæpiùs repetitis congressibus superiores compresserunt. Conversus in fugam, relicto in manibus rixantium de præda filio ad necem, in Bossilianos ultra montes incolas, quos in se acerbiores erat expertus, omnem iram immani crudelitate effudit; imbellibus non pepercit, colonos villicos omnes trucidavit: expilatas domos, tectaque omnia urentibus flammis devovit. A devastatæ Bossilianæ digressu Albaniam properat, ut cum Scodrensi Bassa Mehemeto Regia mandata exequeretur de oppugnando Ascrivio, paratis in expeditionem octodecim bellatorum millibus. Quod ubi Venetias nunciatur, & esse hostilium copiarum ductor Voinus Ivarina, qui à Religione, & à Repu-

blica

blica defecerat, Senatus cogitatione metus, & periculi di-
lectissimi oppidi, confestim duos creavit belli Curatores
Franciscum Barbarum in Dalmatia, & Hieronymum
Battaleam in Albania. Hic celeri navigio in provinciam
advectus, ad urbis securitatem suburbana loca diruit, &
complanavit, ne ullus esset hosti furtivus accessus; tuta in
muris apposuit propugnacula; militibus stationes paravit;
distribuit munia ducibus, & chiliarchis; omniaque ita op-
portunè peregit, ut quemcumque tæderet moræ, quæ pro-
trahebat certamen. Exemit cunctationem Mehemetus,
cùm die trigesima Julii se dedisset conspiciendum in cacu-
mine collis haud procul oppido assurgentis: aderat Voi-
nus, jactabundus illud brevi casurum iis viribus, quas se-
cum Bassa afferebat, & quarum ipse erat instructor. Ergo
sub proximi mensis Augusti exordium productis in excita-
tis aggeribus tormentis, cœpta sunt quasi mœnia: sed
promptis operibus, quæ convulsa ruebant, reficiebantur.
Cedinus quoque suo adventu Rizonici sinum obsepire, &
occludere valido conatu moliebatur; ne subsidiariæ ma-
nus, quas armatis biremibus Bernardus Provinciæ Præses,
& Gonzaga copiarum ductor afferebant è Dalmatia, pe-
netrarent per Euripum ad obsessos. Quotidie utrinque pu-
gnabatur: frequentes erant eruptiones in aggressores, qua-
rum una ad Scalgiari, id nomen loco, ab oppidanis com-
missa, Turcis fuit cruentissima; fuga, strageque adeò insi-
gnis, ut aliquot dies cum quiete transacti indicarent hostes
nihil ultra tentaturos: quin huius cessationis fidem augebat
fama de Bassarum profectione in Pannoniam: verùm ad-
huc nostros tenebat suspicio, ne fraus subesset, ac per tene-
bras silenti agmine importunissimus hostis in mœnia ir-
rumperet: ideo vigilatis noctibus assidui erant in muris,
& propugnaculis excubitores. Tandem Kal. Octobribus
pro comperto allatum fuit Turcas omnino recessisse: ex
quo læto eventu ingens in oppido, summa constantia, fide,

&ro-

& robore à propugnatoribus defenso, animorum exultatio, indictusque ad templa concursus, actæque Deo gtates, qui civitatem à bimestri obsidione servasset incolumem. Laudata Battaleæ solertia, Jadera redeunt Bernardus, & Gonzaga armorum Præfectus, cujus mox sequuta mors valdè afflixit omnes, qui toties experti erãt insignem ducis in consulendo prudentiam, & in agendo fortitudinem. Tunc Gildasius Venetis stipendiis revocatus defuncti onus excipit probatæ virtutis testimonio. Sufficitur extincto Mocenico Franciscus Maurocenus: & emerito Navium Præfecto Bembo Hieronymus Contarenus succedit.

Respublica externis auxiliis adjuta.

VErùm quia procedente tempore cum hostium viribus quotidie magis augescentibus crescebant Reipublicæ dispendia, cœpta sunt desiderari externa auxilia; quæ & opportunè admodum adfuerunt. Alexander Septimus, & Clemens Nonus Summi Pontifices; quibus persuasum erat conservationem Veneti imperii cum Romana Ecclesia ita esse conjunctam, ut commune esset utrique effugium, & detrimentum: sæpè permisso suis in ditionibus militum delectu; missis classium, & copiarum subsidiis Rempublicam juverunt. Et Innocentii Decimi sequuti documenta; decreverunt insuper, ut Religiosi quidam Ordines, quorum minor erat utilitas, aut necessitas, tollerentur, assignatis eorum redditibus in bellum pium, & justum; quique exturbati, agente lege, suis sedibus fuerant, multo persoluto ære, reciperentur. Iidem Pontifices præter Decumas Sacerdotiis impositas novies concessere centena aureorum millia eb eorundem prouentibus colligenda, subsidiario nomine. Etiam Inter Purpuratos Patres qui nummariam præstarant opem delectamque terra, marique militiam eminuerunt Richelius, Mazzarinus, & Barberini

quos

quos omnes, ut eorum pia, summaque liberalitas, ac justa pariter, & debita in Republicā grati animi significatio, nota esset posteritati, Senatus in Patriciorum numero reposuit. Ludovicus XIII. Galliarum Rex, & non pauci Christiani Urbis Principes, ac Dynastæ pecuniarios, militaresque apparatus, & aliqui se ipsos ultro ad præliandum obtulerunt. Multi denique Venetarum Urbium Præsules, pro sua quisque facultate Reipublicæ auxiliati sunt: studio piæ æmulationis, & contentione religiosa: omnes ad liberandam Rempublicam; ad protegendam, & propagandam fidem, ejus juratis hostibus depressis, conspirabant.

Francisci Mauroceni in Cretam expeditio. Maritima ejusdem facinora in Turcas.

IAm trajecerat in Cretam Dux totius militiæ Franciscus Maurocenus in locum defuncti Mocenici: jam classem inopem, & infirmam ex rebus malè gestis apud Tenedum pecunia, commeatu, & Epibatis instruxerat, jusso Rainerio obtemperare Senatui illum vocanti ad causam dicendam: damna quoque, quæ Contarenus navium Præfectus subivit inter navigandum subortis tempestatibus resarcierat. His diligenter provisis ad maritimas expeditiones accingitur: ab Cretico littore Idibus Februariis solvens Chium dum cogitat, adverso vento coactus Astypalæam tenuit; inde tandem abscedens in Insulam, nomine Calchi, Venetis infestam irrumpit, & desævit: ut reliquis direpta, ac incensa exemplum esset punitæ superbiæ, & contumaciæ. Rhodium mare emensus quarto Nonas Martii, Carpathum vix aspexit, cùm repentinis circumactus vorticibus miserrimum facit naufragium trium triremium, & unius quinqueremis Benedicti Michaelii: quas suas in voragines procellosus pontus absorbuit. Hoc submersarum navium detrimentum, paucis è naufragio recollectis impedimentis,

 tri-

tristis nuncius Venetias attulit, quo tempore mœstissimæ Urbi Principem Valerium eripuit mors; quem diu victurum & sperabat, & optabat Respublica. Sed intra sex dies festiva acclamatio in Joannem Pisaurum, omnium ordinum consensu ad sublime solium evectum cives non modica affecit hilaritate, quam etiam magnopere adauxit rebellis Comitis Voini interemptio; sublato de medio homine perditissimo, qui Turcas perpetuò instigabat adversus Rempublicam. Illius necem sagaci astu machinatus est Bernardus Dalmatiæ Præses: nam causa dirimendæ inter duos dissidentes controversiæ vocatus sequester, adducitur in locum opportunè destinatum: ibi, quos componere debebat, habuit interfectores.

Maurocenus postquam disjectam naufragio classem collegisset, Astypalæa movens Delum petere constituit, ad quam insulam tunc pervenerat Prior (dignitatis vocabulo) Bichius cum auxiliariis triremibus numero duodecim, decemque navibus, unà cum Etruscis, & Melitensibus. Auctus his viribus excurrit Ægeum: & qua opus erat solertia Hussainum Bassam electum maris imperatorem persequitur: sed ille semper in fuga totius pelagi quærebat latebras, ut evitaret incursus. In hac intercipiendi hostis incerta spe cogit Maurocenus militare concilium, & Cydoniæ aggressionem proponit exitu facilem, absente Hussaino: & plurimis ex oppidanis, secretis nunciis suum erga Rempublicam testantibus non interruptum obsequium. Variæ tamen, & discrepantes fuere consulentium sententiæ: alii, quos timor occupabat opinati sunt factu difficillimum memoratum facinus: alii, quos livor tangebat instinctu infestæ æmulationis, & Mauroceni gloriæ osores, neglecto publico bono, rem agitari plenam periculi, ac discriminis, dixerunt. Hanc expeditionem, quam laudabant auxiliarii Duces, parati cum Mauroceno ad eam captandam, omnium primus conficere cupiebat Eques Auogadrus, cuius invicti

animi

animi præstantia ob alia præclarè fortiterque gesta, cunctis erat notissima: sed prævalente in viros fortes invidia; per piscatores Tænarios furtim submissos rescivit Hussainus, & illam dissolvit suo celerrimo regressu Cydoniam. His dissipatis machinamentis rursus mare ingreditur cum bis viginti triremibus aggressurus tres insulas, quæ in mediterraneo parent Reipublicæ; quo etiam tempore fama deportabat terrestres copias adversus easdem paratas à primo Visiro Chiopurlo: Diffusus rumor Venetiis tantam injecit trepidationem: veluti si Turcica classis in Urbis conspectu esset: omnem tandem pavorem expulit relatus in Ægeum Bassæ transitus, & illius vestigiis continuò inhærens nostrorum insectatio.

Verùm hostis, cui fuga omni congressu tutior, de more huc illuc dilabens, nullo consistebat loco suarum triremium agilitate, quas sic remis perinde ac habenis, agebat; cum Venetæ pondere, & armis graves lentè regebantur. Nunquam excepti hostes, præterita Chio, in Mitylinæo portu sese abdiderunt. Intereà hybernandi tempus instabat, & auxiliarii Duces oppugnandæ Cydoniæ spe frustrati, ad occiduum iter se comparabant. Transvecti Zacynthum gravi animorum acerbitate apud trium Insularum Præsidem conqueruntur, quòd inutili mora tempus absumpserint; verùm adhuc, antequam ad patrias sedes pergerent, paratissimos esse ad præclarum aliquid agendum pro Republica. Præses experiendi cupidis suas vires, Buthroti, contra Corcyram oppidi, proponit oppugnationem: sed ejus explorata difficultate, in Leucadem, sceleratum piraticæ gentis domicilium, irruptionem persuasit. Eò profecti, quatuor etiam a Præside acceptis triremibus, fortunato descensu evadunt in Littus, scalasque muris applicant, at pro usu breviores: à valida Insulanorum phalange repulsi, coguntur ad suas naves reverti. Meliori auspicio Maurocenus priusquàm iret hybernatum classem adduxit ad Insulam

Claron, quam metu territam obtinuit; postea Samum: atque ex utraque abducta abundanti præda milites, remigesque refectos Melum advexit in stationes.

Hieronymi Contareni pugna cum Turcis.

EAdem tempestate Contarenus ductor procellosis tempestatibus diu vexatus, Thalame tandem Laconiæ oppido discedens, ad Hellespontiacum fretum pervenit. Acceperat per actuarias Bassam inde breui erupturum spe tuti exitus à præpotenti classe, & substructis munitionibus in Littorali Græciæ ora positis: Nec diutiùs contineri potuit, quin IV. Non. Augusti occurreret exeunti cum suis navibus infesso euripo.

Quo improuiso accessu Bassa deterritus, crebra tormentorum explosione suis nuntiavit adesse hostem, ut agentes in terrestribus stationibus eundem grandioribus machinis lacesserent: sed Contarenus magis venti sævitie, quàm globorum grandine impeditus , propiùs accedere nequivit: & Bassa ob id liber à manifesto classis discrimine, interiora littora petiit, latuitque sub Sestæ arcis propugnaculo usque ad VII. Kal. Septembris. Sed Regio mandato compulsus ultra progredi, nocte subobscura navigans, in Contarenum incidit, qui nunquam locum, à principio captum deseruit; & improvisus iterùm ante solis ortum supervenit transeunti. Sub hostis conspectum illicò tormenta displodit in Turcicam classem: quæ pari concussione, à mari, terraque pulsabat Venetos, adiuvante milite è propugnaculis. Sæpiùs renovati fuere congressus, & subinde magna in eorum triremibus orta consternatio: atque in terrestribus copiis confusio ingens: nempe in tentoria, & castra majora tormenta late stragem dabant. Quamobrem Bassa fuga salutem quærens, reliquit in acie triremes quatuordecim laceras, dissipatas, & inutiles: sexcentos occisos: duplo majus dam-

damnum accepit in stationibus, & munimentis: dirutum Graeciae castrum, prostratasque Mesquitas: & victorem vidit Contarenum; qui parto triumpho illustri Imbrum se contulit: ubi Venetias reversurus, Antonio Priolo IV. idus Septembris ex Senatus consulto navium Praefecturam tradidit.

Castri Ruzi, Toronis, & Chiae Arcis expugnatio. MDCLIX.

HOc anno Franciscus Maurocenus totum fermè Ægaeum permensus, complures biremes, dromones, paruaque navigia, quae furtim Cydoniam importabant commeatus, fugavit, evertit, & subegit. Eo transmisso, classem applicuit ad unam Chelidoniarum insulam, Castrum Ruzum, Graecum emporium, in quo Alexandrinae naves onerariae suas merces, necessariaque Turcis alendo bello deponebant. Spe ductus prosperi successus facinus aggreditur, longè ab omni expectatione.

E triremibus mandat militibus, ut citò descendant, & quingenti numero Arcem obsidione cingant. Insulani, qui nihil minus, quàm hostem expectabant, ea subita aggressione contremiscunt: propugnatores Arcis exterriti; quibus explosa tormenta defensiones adimebant; & effracta furenti pyloclastri vi porta, minabatur cruentum ingressum; suis diffidunt viribus: seque arbitrio Veneti imperatoris committunt: Facta est deditio, & accepta his conditionibus, ut tres è populo primores suam redimere possint captivitatem; omnes exeant oppido depositis armis in Mesquita: & de Graecis, magis Veneto nomini infensi transtris addicantur. Castrum cum Arce funditus excisum fuit: quaeque direptionibus auferri non poterant, supposito igne incensa concremarunt. Sic audax Mauroceni animus triduano, & modico certamine maximum attulit Turcicis rebus de-

detrimentum. Ab his prosperè gestis convertit vela in sinum Toronaicum, cui dat nomen Torone Macedoniæ oppidum: in hoc quam Turcæ stationem agebant tutissimam, eam ille statuit expugnato Torone disturbare. Igitur præter opinionem, mari, terraque petitum invadit, omnes aditus ad subsidia intercludit. Præsidiarii tam repentina, validaque impressione prope deterriti, ad unum per invia, & ardua itinera dilabentes Venetis relinquunt oppidum in prædam, quam valdè optimam secum pertraxerunt. Digressus inde, Chium classem agit: munitamque Arcem intra terram attentare cogitanti dissuadent comites, ne rem aggressu arduam suscipiat: verùm sui propositi tenax incitavit milites in expeditionem, cui ipse interfuit. Irruit in Arcem fortiter, ac strenuè, præsidio acriùs resistente; sed obstinata contentione eo dejecto non semel repetitis conatibus; tandem voti compos, & victoriæ, potitur arce, quam militibus diripiendam tradidit, & comburendam; sibi reservata peractæ demolitionis memoria. Reducta classis ab Icario mari in Ægæum, ex insulis, quas circuibat, Patmon exilio, & æde Joannis Apostoli ipsis Barbaris venerandam attrectare est ausa sacrilega licentia; quæ nulli rei pepercit, in quam prædandi cupiditas, ferrum, ignisque sævire potuit.

In Dalmatia repressi Turcici excursus. Dominicus Contarenus Dux.

EXeunte Augusto Turcæ in Dalmatia non contemnenda multitudine sese effundentes, in castrum Sancti Joannis incurrunt. At viriliter defensum, suos oppugnatores repulit: qui paulò pòst in provinciam reversi, octingentis equitibus Sebenicum adoriuntur; verùm iterùm circumventi à minori equitatu magna strage multantur; discerpto in pugna à contendentibus de præda Licha Sangiacchi filio. Spalatum quoque per id tempus inquietarunt,

terro-

terrore quidem multiplici, sed vanis conatibus. Indignatus Turcicus Imperator vinci à modica manu, Bosniæ Bassæ imperavit amplissimas parari copias, quæ resistentis provinciæ comprimerent audaciam. Hoc duce cum quindecim armatorum millibus nihil actum præter prædas Latrocinantium more: nulli aperto marte tentati congressus, licet in Spalatum tot agmina essent instructa; quæ tandem properato discessu deflexere in Pannoniam tunc temporis à Turcis validissimè oppugnatam. Interim Pisaurus Princeps rebus domi, forisque gestis conspicuus, extremum diem obiit: & Dominicus Contarenus ruri agens vocatur ad gubernacula Reipublicæ, tanta erat apud Senatum illius prudentiæ, ac pietatis existimatio.

Schiatton castrum captum à Venetis.
Clades accepta ad Cydoniam.
Almerici Atestini Principis mors.
MDCLX.

EXclusus Maurocenus à ventorum reflatu, & à fama exploratæ suæ expeditionis in Eubœam, convertit se ad Schiatton, eminentem è mari scopulum, cum arce in ejus cacumine, ascensu ardua, & delecto subsidio tutissima. At quia plerumque difficilia conantibus arridet fortuna, è triremibus educit epibatas, & saxorum jugum conscendit. Vocata, ut se dederet, respondit velle aut vincere, aut mori: quare in ipsam obstinata vi defensam ferro, & igne perrumpit, & octavo die perdomitam accepit in deditionem hac lege: Turcæ in proximum solum immunes traducantur: Græci quotannis mille nummos tributi nomine pendant Reipublicæ.

Post debellatam insulam, Cytheram cum classe decurrit ibidem opperiturus auxiliares triremes: & manus Gallicas, quas purpuratus Mazzarinus mittebat in subsidium, regen-

das

das ab Almerico Mutinæ Principe sub Præfectura Dynastæ Baas cognomine militari disciplina præstantis. Hoc virium accessu censa sunt undecim peditum millia, & equites mille ducenti: robur non modicum, quod sine cunctatione in Cretam deferendum esse consultum fuit. Duces, dum se XI. Kal. Septembris committunt navigationi, admoniti ubi adesset hostis, eam dirigunt Lesbum, in cujus portu morabatur. Cæterùm quia prævenerat fama classis aduentum, ille ex metu malè tutam stationem præpropera fuga reliquerat. Nostri hoste non reperto, legentes Creticum Littus, vi capiunt divæ Venerandæ castrum Turcis fugatis, & Assano eorum Bassa notæ fortitudinis interfecto: Addunt his prosperè cæptis expugnationem arcis, quæ proxima Sudæ erat molestissima. Hac diruta, & spoliata tormentis, Almericus feliciora sibi auspicatus in campum prodiit, ut cum hostibus cominus pugnaret. Rursus itaque illos conantes obsistere fudit: & persecutus fugientes venit in conspectum Cydoniæ; cujus situm contemplatus, Mauroceno in portu degenti suum aperuit consilium, qua in parte instituenda esset obsidio; castris scilicet Calami, & Apicorno occupatis. Utrumque igitur per maximam terra, marique vexationem captum, postea deseritur: & aliud Cicalaria nuncupatum redigitur in potestatem. Hoc retento, propè Cydoniam castra metandi occurrit sententia, quæ illaudata fuit loci respectu, aggressionibus nimium exposita: nam Castrorum Præfectus Baas Cicalariæ vicum vallavit, & in vicino monte de Malaxa præsidium posuit. Hæc dum fiunt, Princeps febri correptus, Sudam deferri voluit: quo & Baas æger accessit. In castris tumultus ob non soluta Gallis stipendia: sed quievit Mauroceni præsentia, qui egressus cum Antonio Barbaro, extra ordinem classis Curatore, castra speculatum descenderat. Sub ipsum tempus intercipitur explorator nuncius ab Enandiæ Bassa cum literis ad Cydonios missus, quibus omnem spem auferebat auxilii,

lii, cujus ille nimiùm se egere profitebatur: hinc in nostris concepta crevit opinio Cydonię recuperandæ. At callidum Bassæ commentum paulò pòst retexit eventus: noverat ille multò ante quę machinabantur Veneti Duces terrestribus, maritimisque viribus circum dispositis, & non procul locata classe: factus etiam certior de futura cunctatione in agendo ob complurium imperium, deluserat eos conficta litterarum fallacia: qua opportunum nactus tempus, portum munivit auxit copias, & subsidia advocavit. Ab Enandia profectus Bassa, & aspera montium transgressus, juxta Malaxam sese abdidit in insidiis: quo tempore Cydonius numeratis duobus peditum millibus, & octingentis equitibus ex oppido erat erupturus. Condicta igitur die VIII. Idus Septembris repentinus in Venetis castris horror ingruit, ac terror ingens, oppugnantur ab omni latere incauti, & imparati; lataque strage profligantur: fuga ubique, & consternatio maxima. Turcæ barbaro more desævientes omnes ad unum occidissent; nisi ad opem accurrisset fortis Melitensium manus, quæ fręnavit, ac repressit insequentes, qui fugerant: & ab eo conflictu (quo Turcæ penè parem reposuere cladem suis illatam ad Cisternas Kal. Majis inter hostiles plausus, & saltus) ægrè evaserunt Maurocenus, & Barbarus. Compressa in hunc modum Cydoniæ obsidio, priusquā adolesceret, docuit non esse tempus in rebus magni momenti cunctationibus terendum: nam si à mari, terraq; subita aggressione Cydonia fuisset petita, vel deditione, vel vi, casura erat in obsidentium manus. Irrita expeditione auxiliares triremes III. Idus Septembris discessere: & multati exercitus reliquiæ à Calami castro Candiam traductæ, auctæque supplemento, majori spe domandæ Enandiæ per eos dies imminutis defensoribus audacter progressæ spondebant præteritam cladem ultum ire. In ejus conspectum explicata acies, & ad invadendas exteriores munitiones excitata, facili impressione in ipsas penetravit, subsidentibus

Turcis in oppido pavidis ac perterrefactis, ac si non haberent neque consilium, neque robur ad obsistendum. Quare nostri cùm nullam contra se in hostibus repugnantiam animadverterent, securiùs incœperunt castra diripere, & prædas agere: ex iis, qui redibant spoliis onusti, animati qui sequebantur pari exemplo ad rapinas convolabant: omnes direptionibus erant intenti. Turcæ furiali jactati rabie, in furaces magno impetu irruunt, ut sua sanguine, & cæde reposcerent, non opinato aggressu incubantes prædis occidunt; terga fugientium sagittis configunt; palantes nullisque ordinibus coactos in captivitatem trahunt: capita ferme tercenta capta; totidem interfecta; redempta furta; & intercepta victoria; quæ propè in manibus erat, cùm Bassa ad primas aggressiones Enandiam deserere cogitasset. Maurocenus, experimento cognita militum rapacitate, & ignavia, noluit alteram Turcicarum munitionum tentare oppugnationem: hanc suadebant Galli ductores, ut suorum præsertim turpitudinem diluerent; qui promptiores ad fugam, quàm ad pugnam nullam victoriæ curam habuerint. Quapropter Candiam repetens, & ab Suda recedens cum classe, & Almerico Principe Venetias ituro, Paron vela facit: quæ insula salubri cœlo, & commeatu diuite, cæteris visa est aptior ad reficiendos remiges, & classiarios: verùm fatalis extitit Principi, corpore, & animo nondum confirmato: nam adhuc hærebat cordi quædam'cum Mauroceno amarities, ob non iteratam adversùs Enandiam impressionem; Itaque contracta infirmitate extinguitur, omnium lacrymis defletus: Princeps Juvenis in rebus Bellicis eximiæ expectationis, ex Senatus consulto perpetuum meruit erecta Statua in æde Minorum Conventualium monumentum virtutis, & fortitudinis suæ supra ætatem admirandæ.

Res

Res à Maurocenis Francisco, & ejus successore Georgio gesta.

MDCLXI.

SEquens annus inchoatus est, audito inhumanæ feritatis nuncio: Turcæ pergraviter offensi, quòd Galli pro Veneris pugnassent, licet victi, fugatique, captivos, quos Cretæ, ac Byzantii in vinculis detinebant vario, & inaudito suppliciorum genere ad unum trucidarunt. Francisco Mauroceno hoc ipso tempore reditum in patriam postulanti Senatus annuit, suffecto ex eadem Maurocenorum familia Georgio probatæ famæ viro, functo imperatoris munere in Dalmatia, & Creta; gestoque laudabiliter præsenti bello. Porrò antequam hic ad provinciam accederet: ille octodecim naves ab Ægypto profectas audierat, & Cydoniam missas cum subsidiis; Quare solvens è vestigio ab Insula, eas irrequieto cursu persequitur, adoriturque nunquam cessante tormentorum verberatione: hærentem retinuit furens Notus; noxque tenebricosa usque in diem, quo lucescente discussis nubibus, rursus insectatus errantes, unam capit; reliquæ ex fuga dispersæ; aliæ Rhodum; aliæ Punica littora tenuere. Hoc tamen Mauroceni solertia effecit, ut interrupto itinere nullos hostis commeatus Cydoniis attulerit. Subinde reboante mari ex magno bombardarum fragore, quæ Corcyræ explodebantur, cognovit ad eam Insulam sui successoris accessum: propterea illico eò contendit, ut penes novum classis Imperatorem bellica insignia, & muneris administrationem deponeret. Quo facto, Georgius Maurocenus renunciatus uniuersi belli summus Dux, constituit quamprimùm adire Cretam, viribus potens, & animo constans, ac dictitans se omnes congrediendi cum hoste occasiones arrepturum. Sed interim ei navigationi accincto renunciatur, sex navigia Venetiis sub

Anglorum præfectura educta, munitaque ad nostri belli usum, cùm in totidem Punicas incidissent, proditoria deditione Barbaris se tradidisse: alia duo pariter Angla referta militibus, & commeatibus, ductore Comite Sfortia Bissaro Vicentino ab iisdem prædonibus oppugnata, ab iniquo fato coacta cedere; alterum incendio combustum: alterum cum Sfortia captũ, & avectum in captivitatem: verùm non hic finis prædę fuit, dum alia oneraria pretiosis repleta mercibus Smyrnam adnavigans capitur, & barbaras rapinas valde adauget. Hæc damna ulturus Maurocenus in insulæ Chii euripum se intrudit, & hostes parata obsidione territare cępit: mox pervenit rumor, Bassam, cui Mazzamama nomen, quadraginta suffultum triremibus Rhodum applicuisse: indeque procursurum Cydoniam cum Alexandrinis navibus oppletis commeatu plurimo victui, & bello necessario. Qua fama excitus, viginti triremes, & quinqueremes duas apprimè instructas, cum Melitensi acie, secum educit; jusso cum reliquis Hieronymo Battalea manere apud Chium in excubiis. In altum provectus, totumque speculatus Ægeum, hostilem classem, ante Milum nihil ejusmodi opinantem exacto sex dierum excursu offendit. Illicò expeditis omnibus, quæ ad ejus aggressionem opus erant, Bassam provocat in pugnam: sed promptior ad fugam dum proras contorquet; terribili bombardarum strepitu, furentique pilarum impetu pulsatus deserit in portu decem triremes: quarum sex ab impetu jactatæ littoribus adhæserunt quassæ, & oppressæ: alias quatuor procedente certamine Veneti, & Melitenses occuparunt: Turcis in interiora Insulæ loca tumultuariè evadentibus Maurocenus cum victrice classe portum ingressus; fugatos invitat ad deditionem, in quam mille circiter devenerunt: quatuor millia dicuntur desiderata in conflictu acerrimè utrinque commisso: in quo Melitensibus non parva jactura obvenit, quam tamen locupletior præda compensavit; duabus

potiti

potiti triremibus cum impedimentis, actis per insulam direptionibus, & recensitis in captivis sexcentis Prætorianis militibus. Singulis Trierarchis dono addidit Senatus torques aureas; & Maurocenum equestri honore decoravit ob ea, quæ nuncii fortiter gesta retulerunt; quorum singuris eventus ferendas Cydoniæ suppetias avertit; & hostium hoc anno cogitatas in mediterraneas insulas irruptiones disjecit. Tandem inconstans fortuna rebus lætis immiscuit tristia;hujus anni finis luctuosus fuit: plurimos in classe exitialis morbus corripuit; citaque confectos ægritudine extinxit: militantes quoque in Creta virulenta tabes infecit; valdeque imminuit propugnantium vires adversus nuper excitatas Enandiæ munitiones. Pestis neque Turcis pepercit:nam Byzantium etiam annonæ caritate vexatum, summe afflixit:at nobis nunquam profutura est lues, fames, aut ullus adversus bellorum casus in Barbaris, qui cladibus supersunt,& nihili æstimant suorum jacturam: cùm à vastissimis provinciis colligant ad omnem nutum innumeros milites, uberes commeatus, validissimas classes; quod christianus orbis experientia deprehendit:ut magis dilatent imperium,& opprimant quos habent invisos.

Mari, terraque cum Turcis certatum.
MDCLXII.

AVxiliariis suas in regiones reversis, Venetus imperator decurso Ægeo nullum, vel diligentiæ, vel labori locum reliquit,ubiq; hostem insectando, ne Reipublicæ esset injurius,& in Cretã transiret inoffensus. Quare monitus aliquot ejus naves haud procul Stanchio sub munitissima arce de Petrumis appellata,considere; præmissis cum Hieronymo Battalea quinqueremibus, ut eas caperet, arcẽ ferro,flammisq;expugnandam esse deliberat. Talia meditanti casu occurrunt decem minora navigia plena cibariis: hæc

in

in fugam versa insecutus apprehendit, & Battaleæ custodienda tradidit. Subinde accipit à speculatoribus illac vectorias naues transituras in Ægyptum; quas ingentis molis quatuor Sulthanæ comitabantur. Illicò Battaleam accersit, ut combustis, aut demersis captis paulò ante navigiis, suas cum quinqueremibus adaugerat vires: quo incremẽto pertranseuntibus fuga intercluderetur. Ab omni metu securi navigabant Turcæ: sed qui præcedebant cùm à longè prospexissent Venetam classem proras obvertisse, huc illuc dispersi tumultuario descensu in proximas terras desilierunt, octodecim derelictis dromonibus, qui postea vel capti, vel incensi fuere. Sulthanæ placido vento velificantes, dum nulla credunt opposita obstacula, incautæ incidunt in quinqueremes. Tormentorum strepitus ad æquandam pugnam accivit Maurocenum. Per sex horas utrinque mortis contempto metu omnes sese suos in hostes proripiunt: tandem & tormentorum verberatione, & ignium in Sulthanas jaculatione tanta tamque atrox edita strages est, ut ex illis tres fuerint debellatæ, & una ab incendio redacta in cineres. Hęc victoria III. Kal. Octobris conclamata, classem in hybernis collocavit; navibus à Mauroceno Melum inter, & Dolum distributis. In eo certamine Aga captus est Eunuchus, qui regiam pellicem ducebat ad Mecham: ex donariis, & ex mercibus, quas secum vehebant negotiatores, parta præda, auro quoque, & argento, perquam ampla: cæterùm aliquantùm cruenta, interfectis è nostris sexaginta, & in his fuere aliqui militia illustres; & duo viri nobiles Jacobi nomine Semitecolus Trierarchus, & Cornelius classis curator; totidem vulneratis. De Turcis præter paucos ad transtra damnatos; reliqui fermè omnes in navibus militantes ferro, ignibus, & aquis obruti perierunt. Dum hæc foris aguntur: domi ab Senatu sex grandiores naves omni apparatu adornantur, quæ à navali eductæ in Dalmatiam veherent Hieronymum Contarenum delectum Provin-

ciæ

ciæ Præsidem : Corcyram ad trium Insularum custodiam Franciscum Mocenicum, subrogatum fratri, qui priusquam illas attigisset inter navigandum obierat extremum diem:& Nicolaum Cornelium traducerent in Cretam totius Insulæ Præfectum. In Dalmatiam Turcæ satis hoc anno terroris,tumultusque intulerunt: egressi magno equiratu adversus Morlachos crebris, infestisque rapinis turbantes conterminos agros; illos non procul Jadera comprehensos coegerunt rapta spolia, & armenta deserere tristi strage, & captivitate. Hic successus rebellis Philippovicchi ita auxit dementissimam temeritatem, ut datis publicæ lætitiæ signis, jactaret se subditurum suis artibus Turcico imperio Spalatum,& Sebinicum.At paulò pòst contrà accidit; & inani gaudio subiit vera mœstitia. Morlachi mutuis sese stimulis urgentes ad vindictam,iterùm incursiones in extrema finium faciunt; omnia passim agrorum tecta, vicosque exurunt;& prædas hominum, pecudumque abducunt uberrimas. Iis quoque diebus Tragurienses in Turcas à Bosnia dimissos,ut Spalatum vexarent,repentino ex insidiis impetu ferociter irrumpunt,aguntque in fugam strage, & confusione maxima. Hanc hostes, instigante Philippoviccho, fulti, bis septem armatorum millia descendunt in Provinciam cum ipso Bosniæ Bassa minarum pleno. Verùm dies aliquot inutili cunctatione moratus, veluti si quis terror eum cohiberet, visus est ex inopinato copias suas retrahere: & ab omni trepidatione liberare Dalmatiam. Sed hujus repentini discessus causa manavit ab imperante Achmeto Primo Visiro, qui Patri Chiopurlo in dignitate successor, & susceptæ ab eodem adversus Pannoniam expeditionis hæres, ad illam perficiendam collectas vires ex diversis provinciis evocaverat.

Suc-

Successus varii in Dalmatia, & Creta. MDCLXIII.

IN bello, quod gliscebat quotannis difficillimum, atque periculosum, omnis cura Senatus versabatur ad illud sustinendum; ideò frequentes erant militum delectus, soliciti armorum apparatus, & diligens virorum conquisitio, quos exploratæ virtutis suis præficeret expeditionibus. Et quidem hac tempestate magis magisque angebatur minis Achmeti Visiri multa minantis Dalmatiæ, & Foro-julio: quamobrem cognita illius cupidine, Senatus creavit castrorum Præfectum virum Germanum Spaar cognomine bellicarum rerum usu celebrem: aliosque delegit præstantissimos duces, inter quos numerabat Echenfeltum, Comitem Hectorem Albanum, Carolum Martinengum, & Equitem Bartholomæum Varisanum Grimaldum, quibus larga decrevit stipendia: atque utriusque provinciæ custodiam demandavit.

Cœterùm conversis copiis ab Achmeto in Hungariam; cujus per id tempus munitiores arces cupidiùs impugnabat, levioribus certaminibus in Dalmatia dimicabatur. Repressi fuere à Præside Provinciæ Contareno incursus armorum in Spalatenses, & Jadertinos agros aliquando facti. Spaar Jadera solvens in maritimam Castri-novi oppugnationem (quoniam Turcæ ejus navigationis causam explorarunt) mutato cursu flexit in Olcinium; quo loci immanes belluæ piraticam exercentes nidificabant; illud furenter adortus plura sceleratæ gentis cubilia succendit, & infames myoparones in portu depressit. Alibi Turcæ Buthrotum occuparunt; ægrè desudantibus Venetis amissum reposcere nocturnis, cruentisque aggressionibus. In Creta bis tentata fuit ab hostibus Spina-Longa; sed irrito conatu; quia Præfectus fraudibus tempestivè occurrit: atque castrum, de Ga-

Garabusis dictum, detecta conspiratione cum Cydonio Bassa, præsidii transportatione, & quatuor bellicarum navium subsidio tutatus est. Maurocenus totum Ægeum pererrabat in perquisitione Turcicæ Classis; at nullo loco illam offendit: cui tantum terrorem incusserat, ut omnem declinaret congressum, quem semper fuerat experta magna sui jactura pertimescendum: quare cùm cerneret transire dies à laboribus vacuos, reditum in patriam impetravit ab Senatu. Successorem habuit Andream Cornelium: & Catharino ejusdem cognominis, in Dalmatia suffectus est Hieronymus Contarenus. Per hos dies tristis nuncius retulit Patribus: ictu fulminis Sebenici turrim tactam, in qua magna copia tormentarii pulveris servabatur, atque ab impetu erumpentis ignis terribili fragore, & ruina prostratam. Candiæ quoque in ipso portu, excitato fortuitò incendio septem navigia deflagrasse: Melitensium quatuor; Reipublicæ unum Turcis pridem ereptum; & duo ad vehendas merces à privatis negotiatoribus conducta. Quos infaustos successus fuere qui verterent in præsagium alicujus insignis calamitatis.

Intercepta subsidia, & plura Turcarum navigia.
MDCLXIV.

TUrcis Hungarico bello implicitis; & in mari eorum classe Venetam ex trepidatione subterfugiente; Dalmatia, & Creta hoc anno veluti accepta pacis fiducia in muris, & ad portus liberè excubabant. Tænaria gens, quæ hodie Majnæ, in Peloponneso, Turcicæ tyrannidis jugum detrectans Reipublicæ partes, dedito obsequio, sequi voluit. Maurocenus, quem adhuc tenebat in castris Successoris desiderium, ubi intellexit duas & viginti hostium naves per Mediterraneum discurrere, suam classem per viciniores sinus ad erumpendum distribuit; ut advenienti Cornelio

muniret iter,sin minus, cum illis confligeret. In hac expectatione contigit repentinus ex conspectu recessus Punicarum navium: quare ille Cydonias aquas permensus Milum properatò contendit vocatus à fama,quædam Alexandrina navigia cum armis, & annona in Cretam transitura. Hæc intercipiendi cupidus mandavit Architalasso Justiniano præcedere usque ad Patini oras, mox ipse cum triremibus pro tempore affuturus,ut ea simul oppugnaret,ac everteret. Justinianus,qua ex causa adhuc fluctuat opinio,diversum iter intendens, Rhodum versus expandit vela: dum Petrus Diedus navium Præfectus subterlabentibus navigiis occurrens, duo ex illis capit; Maurocenus alia distraxit; sex tantùm Cydoniæ portum ingressis: Post hæc supervenit Andreas Cornelius,cui ille tradito regendæ classis imperio, Venetias repetiit.

Cornelius omnem moram abjiciens insequebatur hostes Ægeum permeantes; at illi, recusata quacunque disceptandi aperto marte provocatione, per subterfugia, & diverticula in hoc unum erant intenti; ut comportatis tutò commeatibus,suis in Creta militantibus suppeditarent. Ad Chium imperato accessu cum Turcis exscensionem vetantibus,ne classiarii aquari possent,strenuè pugnavit: expositi milites, quos Bassa illis opposuit cum cæde repulerunt, eo graviter saucio,vixque fuga elapso.Inde Rhodum,Samumque prætervectus, nunquam in hoste persequendo defatigabatur. In Chitreo portu quatuordecim minoris formæ gaulos metu, atque consternatione perculsos oppressit; potitus mercibus,quas Constantinopoli exportabant Alexandriam: sed vectores effugientes ad terram & saluti suæ, & mercimoniorum majoris pretii consuluere securitati.

Pri-

Primi Visiri Achmeti profectio in Cretam. Obitus Joannis Capellii; cujus, & Ballarini omnis de pace tractatus inanis.

MDCLXV.

PActis cum Leopoldo Cæsare in viginti annos induciis Turcicæ copiæ ab Hungaria ad oras Albaniæ, & Peloponnesi traductæ, in Cretam transportandæ esse dicebantur. Ex illius Insulæ adiectione Achmetus Primus Visirus Chiopurli patris instructus monitis, sciebat plurimum virium, & commoditatis accessurum ad Ottomanici imperii propagationem reserato trajectu in Italiam. Igitur solutus ab externis expeditionibus, huic unæ conficiendæ majori quàm antea sedulitate vacavit: quocircà increpabat Reipublicæ obstinata consilia disceptandi cum Ottomanorum Regum virtute, ac potentia: minabatur incendia, direptiones, & incursus in ipsam urbem: omnesque respuebat de concordia conditiones, quæ liberè totam Insulam Turcicæ ditioni non submitterent. Eatenus viguerat reconciliandæ pacis negotium, quod superioribus annis susceptum in sequentibus ex armorum eventis, modò infaustis, modò prosperis, vel diffidebat, vel variabat apud Turcas. Liceat hoc loco deducere ab exordio qui fuerit Veneti Senatus in retinenda pacificatione consensus: & quæ in ea dissoluenda Turcarum perfidia; quæve contra jura gentium plusquam immanis barbaries.

Anno MDCLI. Orator Gallus immorans Byzantii Patres admonuit quanta esset ejus temporis Primi Visiri propensio ad pristinam animorum reconciliationem. Ideò deligerent Virum, qui missus secum afferret conditiones ad eam stabiliendam opportunas. Nullus erat in comitiis, quin sciret à Barbaro iniqua peti, atque intoleranda; nihilque omnino ex dignitate Reipublicæ: attamen ne viderentur

optatæ tranquillitati refragari, & parvi facere amica Regii Oratoris officia, Joannis Capellii sequuti sententiam, statuere Legatum Byzantium dimittere, ipsumque Capellium; qui, non multò ante functus eodem munere, Turcicæ Aulæ mores probè noverat. Vir ætate provectus, vivido tamen, magnoque animo pollens non abnuit injunctam sibi profectionem; quam studio juvandæ Patriæ lubentissimè suscepit. Impetravit ab urbe discessurus habere penes se Joannem Baptistam Ballarinum, expertissimum ex his, quæ gesserat cum Superantio in pertractandis hujusmodi negotiis, summa prudentia, ac dexteritate. Post anni decursum, mense Januario appulsus Ascrivium, longam ibidem traxit moram in expectatione mandati de prosequendo itinere: quo tandem à Visiro transmisso cum festinatione illud confecit. Porrò vix oculis intuitus est Byzantium, cùm protinus inaudit de edicto citissimi recessus; ut unde venerat, eò continuò remigraret. Impiæ jussioni paruit; sed ubi in reditu Hadrianopolim tenuit Nonis Februariis, triennio post quàm Venetiis excesserat, vidit se, & suos, clauso transitu, constringi custodiis. Has illæ infidæ gentis perpessus molestias incredibili patientia Senatus commovit animum, qui graviter affectus misera sui legati conditione, dum eam solari desiderat, occasione vacantis Procuratoriæ dignitatis usus, cunctis suffragiis illum eo amplissimo honore, & nomine affecit. Interim suis in ædibus obsessi habebant ad limina inexorabiles custodes: attamen per fidos conciliatores non intermittebant officia, & mentionem pacis, quæ cum Reipublicæ existimatione confici posset. Sed quæ pacta honesta, & laudabilia proponebantur, ea Bassarum fastus, ac superbia tamquam cassa, vanaq; absque Cretæ deditione, vertebat in ludibria. Hic deplorandus rei gerendæ status adeò torquebat Capellii animum; ut natura & valetudine imbecillis in Ballarinum obeundæ legationis curam deponeret. Quod ex mœrore levamen in Capellio appro-

approbavit Senatus: & in Ballarino publicè laudato confirmavit delegati muneris facultatem. Onus subiit qui patriæ totum se devoverat plenum difficultatis, ac timoris, quo tempore ingentes tumultus gliscebant inter primores Aulæ Purpuratos; verùm trucidatis discordiarum auctoribus Primum Visiratum consequutus est Mehemetes Chiopurlus, homo callidus, militari fastu ferox, & qui variis consiliis de imperio dilatando gratiam à Mahometo inierat. Tunc summè infensus Venetis visus est, cùm Ballarinum arctiori custodia teneri voluit: cujus tamen virtus Barbarum mitiorem sibi reddidit. Itaque evocatus ad colloquia consensit Venetias linguarum interpretem Paradam nomine proficisci, ut renunciaret Senatui Visiri mentem; & quo pacto redimenda esset concordia. Hoc ingenio tempori inserviebat; quia procrastinando poterat contingere Reipublicæ aliquis fortunatus armorum eventus, qui pacis conditiones nimiùm rigidas mitigaret. In his disceptationibus, & angustiis sex effluxerant anni. Interim labente MDCLVII, qui missus fuerat, retulit Senatum, ejus pacis se profiteri studiosissimum, quæ suspicione careret, nec officeret Reipublicæ nomini. Reddito hoc responso excanduit Visirus, iratusque Ballarino, furere cœpit verbis, & minis: sed hic imperterritus tam dexterè illius feritatem lenivit: ut, inter Prætorianas acies honorificè exceptus, ejus jussu Regem comitatus sit Byzantium redeuntem; Per internuncios sæpè, ac frequenter illos adibat, quos pronos ad tranquillitatem agnoscebat: multas subinde acerbitates tolerabat à Visiro, qui omnes honestæ pacis conditiones aversabatur, & hanc unam sæpiùs repetebat: dedendam esse Cretam: & occupatas in Dalmatia arces restituendas: hisce iniquis postulationibus integro triennio exagitatus quotidie sibi metuebat carceres, & necem; cujus extremam horam plerumque expectabat, quæ tot miseriis circumdatum exolveret. Hadrianopolim denuò regreditur

bar-

barbarus Imperator, quem jussu Visiri sequutus Ballarinus sēper in ancipiti suæ vitæ casu. Excurrebat annus MDCLX qui Mehemeto ultimum dierum clausit: & Ballarino aditum aperuit ad consequendam inter suos cives supremam dignitatem. Vacabat tunc temporis Magni Cancellarii Officium, & Respublica quæ cupiebat labores, & patientiam benemerentis munerari, eo præcellentissimo titulo majoribus in comitiis illum condecoravit; qui gradui Senatorio par, licèt absentibus non conferatur, tamen pro præsente fuit habitus, qui suis meritis ante omnium oculos obversabatur. Pro collato munere suis in epistolis ad Rempublicam se quàm maximas ei agere, habereque gratias professus est; & evecto ad primi Visiratus apicem Achmeto Mehemetis filio: delatum sibi honorem à Republica exposuit: ille benevolè auditum remisit cum spe majoris lætitiæ: de pace intelligi voluit: sed callidissimi hominis vafrities Ballarinum haud latebat. Revertentem Tyrannum Hadrianopolim sequutus, ut quacunque duceretur præstò esset ad procerum, Visirique nutus dies noctibus conferendo, omne tempus in tuenda Reipublicæ indemnitate impendebat, ægrotante Capellio: & probabat pacis conuentionem à victis, & à victoribus necessariò exquirendam esse. Sic agendo curabat vel inire rationem, vel invenire modum honestæ pacificationis: & hæc tunc erat in spe cùm ubique adversa Turcis evenirent: verùm, quia temporis processu, quæ sperari poterant, omnino videbantur sublata; contraria fata Creticis rebus extremum prænunciabant excidium. Cui, ne superstes esset Capellius, qui satis multas ærumnas exantlaverat, mors eum ab hujusmodi curis, & molestiis liberavit, pridie Nonas Nouembris MDCLXII.

Sublato è vivis Capellio, qui pietate in Deum, Charitate in Patriam ita excelluerat; ut pro illa obire graves perpessus ærumnas sub extero cœlo dulce, & decorum duxerit; Ballarinus ad omnia intentus, atque agendo indefessus nihil de iis omit-

iis omittebat, quæ æquis rationibus in honestas paci sconditiones pertrahere possent Visirum. Verùm cuncta sua officia jactabat incassum apud hominem ferocientem quotidie magis, ac semper iniqua postulantem. Affectabat laudem perdomitæ Cretæ, & se auctore propagationem Turcici Imperii.

Senatus Marchioni Villæ summam peditum Præfecturam decernit: lustrat Dalmatiam, Præside Catharino Cornelio. Intercipiuntur Turcici commeatus.

NObis redeuntibus ad summam rerum gestarum hoc anno se offert anxia Senatus cura, & solicita festinatio comparandi necessaria ad tuendam Insulam; in quam Achmetus transiturus ferebatur, evocatis ab omni Oriente copiis. Hæc erat universæ Christianæ Reipublicæ propugnaculum; de cujus securitate, eo defenso, procul dubio agebatur: decrevit igitur externam opem iterùm conquirere; Italos Principes excitare, ut in communes hostes consurgerent, jungerent arma, & eorum conatus reprimerent, qui provehendæ suæ tyrannidis cupiditate exagitati, Italiam cum primis subigere cogitabant. Per Legatos exposita periculi, & indigentiæ causa, Pontifex in suis ditionibus, quatuor peditum millium delectum haberi permisit: Imperator alios conscribi suis in provinciis: Confines Principes, & plures in Germania Dynastæ, milites, arma, & se ipsos in ductores obtulerunt: Quærebatur interea, qui summi consilii, & maximi animi paratis exercitibus imperaret. Contigerat tribus ante annis illius disceptationis abolitio, quæ de Cyprio Regno, diu calamo, & atramento agitata fuit inter Venetam Rempublicam, & Allobrogum Duces: & quòd hac tempestate Taurini Orator Venetus esset Catharinus Bellenius. Hujus itaque solertiæ, & initæ concordiæ quæstus

ſtus extitit Marchio Ghironus Franciſcus Villa, vir, id tempus, tum in re militari exercitu s, tum gerendorum bellorum uſu apprimè peritus; & quo nemo expectatior exoptatiorve hac urgenti Reipublicæ ſolicitudine. Nonis Aprilis Venetiis comparuit; & coram Patribus viſus perhumaniter de ſumma belli diſſeruit; ſuumque ſtudium, operamque in eo fideliter adminiſtrando pollicitus, meruit ſtipendia, quæ ampla Bellenius cum illo pepigerat; ac totius peditatus curam ſibi uni creditam, nullius, præterquam Veneti Imperatoris, addictus arbitrio. Interim Andreas Cornelius cum claſſe maria pererrans XI Kal. Julii à Præpeſintho hodie Argentiera (ubi Bonfilius Patavinus à ſua familia accepto nomine equeſtris alæ ductor immatura morte abripitur in ſumma ſtrenui bellatoris expectatione) factus certior in Lesbio portu manere hoſticam, diſcuſſit omnem moram, ſeque eidem conſpiciendum dedit. Sed illa intuita ſupervenientem maxima cum trepidatione Tenedum feſtinavit: & à perſequente ſe minùs tutam ibidem credens, ad priorem rediit ſtationem munitiſſima arce defenſam. Cornelius ex hoc ab hoſte captandi effugii circuitu, occaſione capta, pluribus onerariis, quæ annonam, & armamenta vehebant, potitus eſt. Duas quoque triremes ſponte deditas recepit; alteram à Samo, alteram à Lemno deductas; hanc Nauplii; illam Chalcidici Bejorum. His ad rapinas cum epibatis egreſſis chriſtiana mancipia concordi libertatis voto, nunquam intermiſſo remigandi labore, à captivitate ſe ſubtraxerunt. Villa per hoc tempus in Dalmatiam devectus, cum Catharino Cornelio, oppida, & arces tum terreſtres, tum maritimas accuratiſſima indagine exploravit: quod tum Præſidi Provinciæ ſuggeſſerat, Venetias reverſus Senatui poſteà renunciavit, ſcilicet quid aliquibus, vel minuendum, vel addendum eſſet, ut adverſus hoſtium impreſſiones redderentur tutiores. Demum Zacynthum delatus, receptuſque à Marco Lauretano, tranſit ſecunda

navi-

navigatione in Orientem. Paron insulam octauo Jdus Decembris tenuit;in qua Cornelius, & alii armorum duces de bello agitabant consilia : & ille opportuno suo adventu omnes hilaravit : ibi jam pridem commodùm accesserunt Alexander Molinus navium Præfectus, atque Archithalassus Justinianus ; postquam omnis eorum cura apud Sphagiam insulam Peloponnesi, & in Cydonio freto, ne suppetiæ ad hostes transveherentur, propter pertinaciam ventorum, & effusam diu, noctuque tenebricosam caliginem in irritum cecidit. Simul in unum coactis indixit Villa lustrandam esse universam militiam ; quo facto, eaque in acies disposita, numerata sunt octo millia peditum; & equites mille octingenti : in portu verò parata classis navium quadraginta, triremium sexdecim cum quinqueremibus quinque : quam læti conscendunt, & Paro solventes leni vento Præpesinthum applicuerunt.

His gestis præsens expletur annus : cujus porrò initium infida aperuit, funestavitque Bernardini Calixti proditio, qui pedibus appensus execrandi sceleris pœnas dedit : surripuerat à secretis occultas notas, ut paterent Turcis Veneta rerum gerendarum arcana. In Dalmatia incursiones, & prædæ : quas tamen cum multo fœnore reposuerunt Morlachi Bosniensibus ; quorum ductore Philippovicchio Dalmatæ gentis hoste acerrimo turpiter fugato; Castrum Caormanum direptionibus, & flammis graviter vastarunt.

Variæ eventuum vicissitudines terrestres, ac maritimæ.

MDCLXVI.

IDibus Februariis, universa classe Præpesintho collecta, & omnibus rebus ad navigandum comparatis, Duces consilium ineunt, quam in expeditionem ea dirigenda esset. Censuit Villa in aliquam ex majoribus Ægei insulam,

promovendam; & inde refectis militibus, Turcicam insectandam; hostes ubique infestandos ad intercipienda subsidia, quæ propediem dicebantur afferenda Cydoniis. Cornelius, productis Reipublicæ mandatis, retulit in Cretam eundum, ut omni abjecta cunctatione, Candiæ opitularetur à Turcis validissimè oppugnandæ. Iter tendentibus in Cretam nunciat fama; Hocquincurtum piratam unica sua navi immensæ molis intra Chii euripum triginta quinque hostium triremes, occiso Bassæ filio, & ipso saucio, magna ex parte dissipasse. Veneta porrò Classis VII Kal. Martii è propinquo vix Cretam lustravit oculis, quando improvisò suborta tempestas eidem & obductum nubibus cœlum noctem repente effudit. Tum reboante tonitrubus aere, turbatum mare elatis in celum fluctibus Classi exitium minabatur, quæ jactata, & dispersa in arenam, scopulosque impegisset, nisi Suda Arx accensis ignibus navigantium ad salutem iter in Amphimalum sinum indicasset. Eo signo velox ab insidiis exilivit Turcarum cuneus, ut à portu illam arceret; at vani fuerunt conatus fuga, cædeque debilitati. Interim cum hostibus æther conjurasse videbatur, nam largos, & assiduos imbres effundens nubibus; pelago exemptos vellet undequaque aquis inundantibus, terrestri quodam naufragio perituros. Tandem cessante diluvio, Cydoniam versùs Villa se transfert, locum quem occuparet magis aptum ad reciprocum utriusque classis commeatum exploraturus. Observatus à Turcis, magno amatorum globo Cydonia erumpente, petitur. Ille verò, cui neque vis, neque ars deerat, eam eruptionem fortiter sustinuit, ac repressit; imminensque fugientium tergis plurimos vulneravit, ceciditque. Vuertmillerius tormentorum Præfectus non hac victoria contentus, ulteriùs persequutus in fugam versos, maximum in discrimen incidisset; exeuntibus ab oppido turmatim, & incondito clamore præsidiariis, nisi maturè idem penè obruto hostium multitudine subvenisset: qui vehe-

hementiùs instantes pedem referre compulit, perterritosque retrusit,non ausos ampliùs obsistere. Multis suorum in concertatione amissis, & cognito hostium robore, celeris regressionis in Candiam capit consilium: Diam cùm applicuisset, ubi Cornelius erat cum reliqua classe; uterque consultò ad ipsam urbem transeunt XVI Kal. Maji. Facto descensu, extra Candiæ mœnia locantur castra opposita hostium munitionibus: ex quibus illi quoties erupere, ut Venetas expugnarent; toties rejecti, nec unquam ausi aperto marte concurrere, quia eorum impetus igne, ac missilibus eminus, gladiis cominus invicta virtute compescebantur. Hæc dum prospero eventu peraguntur, fama pervadit castra, octodecim Punicas naves insulas Cephaleniam, Zacynthum, & Corcyram infesto animo circuire. Tunc Cornelius moveri castra, & milites in urbem reduci imperat: quippe arma aliò converti oportebat. Hujusmodi recessus, Villæ mœrorem, Turcis attulit hilaritatem: sed erant, qui ex eo Marchioni existimationem elevarent: cui tamen prospexit Senatus, laudata illius virtute, modicis viribus Turcicas propè infinitas sperni, ac obtundi posse. Junio mense Melitensium triremes Diam pervenerunt: at non assignato sibi loco, quem affectabant in Veneta classe; remigrarunt, obtentu affectandi Hispaniarum Reginam protecturam per Italiam Leopoldo Augusto nuptam. Iis diebus ad eandem insulam accessit Antonius Barbarus honorarii Ducis titulo: & Cornelius, cui creberrimè nunciabatur, Turcas nullo impedimento frequentes adire Cydonios cum commeatibus; ad hos intercludendos indixit omnium ducum conventum Præpesunthi agendum. Tamen, ut constituerat, discedere Dia non potuit repugnantibus ventis: neque illuc Villa appellere, quem Melos iisdem insultantibus retinebat: quare eo absente consultum fuit, avocare ab urbe Candia pedites, equitesque in decretas noviter expeditiones: factum, prout jussum fuerat à Cornelio; sed quidquid in

cogitationem venerat,caruit effectu, infesta ubique nostris fortuna, & Turcis prospera. Navigabat Classis hosticæ occurrens,ut ferentem suppetias interverteret:sed illicò horrida tempestas eam à Therasiæ portu summovit, compulitque diu agitatam Astypalææ littoribus adhærere. Hinc retentata navigatione,sensit antea exasperatam ventorum rabiem: intensior Notus illam adeò afflixit, ut in diversum agens triremes, has magno cum periculo Pathmon rejecerit. Postremò in unum collecta, postquam Ægeas insulas quindecim dierum spatio perlustrasset: nullo prosperitatis eventu in Andrio portu VII Kal.Septembris resedit; incusans querelis fata, quæ quotiescunque aliquam in Barbaros expeditionem susciperet; toties adversus ipsam vocarent ad classica ventos, ac tempestates. In Maliaco sinu duodecim Turcarum navigia operiebantur tempus cautæ velificationis in Cretam: Cornelius erectus in spem placatæ sortis, confestim ad detrahenda auxilia destinavit Grimanum navium Præfectum: qui audacter progressus, & fortiter præliatus post multam pugnam omnia subegit,suisque religata puppibus ovans Delum perduxit. Hæc inter anni mensis undecimus vertebatur, quo hybernorum necessitas vacationem à bello postulabat; & Villa iter suum Venetias instituebat; at proximè discedenti Priolus remoram fecit enunciato Primi Visiri appulsu in Cretam. Hoc monitu haud cunctantior factus conscendit naves, & Candiæ portum ingressus, suo adventu, magis voto, quàm spe concepto, universam militiam erexit, ac recreavit festis vocibus testantem quale gaudium ab illius reditu perceperat. Assiduam operam,solicitamque illicò dedit moliendis intra, & extra urbem novis munitionibus: quas contra exteriorem hostem ita instruxit omni ex re bellica disciplina,& apparatu excitatas,ut,rectè dispositis,quæ ad ejus tutelam sufficere videbantur, quoscunque hostiles impetus posset eludere. Verùm cuncta,quæ magno studio,& cura Villa perfecerat,

Ba-

Barotius quidam Cydonius mutato cum Religione in Principem obsequio, sedulò speculatus quæ loca ad occultandas insidias, quæque ad eruptiones faciendas; ordinatim Visiro manifestavit: & reverà plurimum laboris, virium, & opum in oppugnatione à Turcis esset exhaustum; nisi infamis ille proditor omnia nostrum machinamenta, & astus detexisset.

Turcæ Dalmatiam excurrunt.
Ballarini obitus.
Candiam terrent infortunia.
Captiuitas Ægyptii Sangiachi Ramadami.

HOc item anno in Dalmatia Turcæ ad tria millia Jadertinos agros incursarunt: & Morlachi quatuor centum numero ut cohiberent excursus obviàm profecti; dum cedentibus tumultuariò insistunt; dolosè perductos in insidias, qui latebant emergentes partim obtruncant, partim capiunt; paucos à cæde, & à captivitate redemit fuga: Ductor Morlachæ gentis Possidarius accepti damni sarciendi curam complexus, robustam manum Novigradum deduxit in Turcas: cum quibus eò loci, pari astu, & improviso assultu dimicavit, magnamque eorum partem oppressit, recepta præda, quæ non modica fuit. Subinde Bosniæ Bassa cum septem peditum millibus postquam aliquot dies Tininii consedisset, trepido terrore replens vicina oppida, Spalatum, & Clissam vagis excursionibus agitabat. Nostri ad omnes hostilium armorum motus intenti, aliquando ex occasione præliantes; solisque velitationibus, sic contundunt illius conatus, ut contractis agminibus Macarscham peteret. Quoniam verò opportunè affuit Cornelius cum classe insultantis fregit audaciam, & à Turri, cui Gradaz nomen, quam tormentis quatiebat, expulit. Hoste longe submoto, biennio quievit Dalmatia; nam exercitus collecti in adjacen-

centibus provinciis Bosnia, & Albania, urgente Visiri jussu, transportandi erant in Peloponnesum, & inde in Cretam; cujus Candiæ urbis oppugnationem sic avidè arripere peroptabat, quasi diuturnam sitim explere cuperet. Assuetus tamen nectendis fraudibus profitebatur non abhorrere à concordia cum Republica; licèt, ut jactabat, illum exasperassent transmissæ in Dalmatiam, & in Cretam copiæ, dum pacis intercederet negotiatio. Vocavit igitur ad se (Thebis parantem sollicita conquisitione milites obtentu externi belli) Ballarinum: qui nulla in mora fuit, quin ad iter promptus, hoc festinanter arripuerit, quamvis sciret se à Barbaro illudi. Byzantio perhonorifico Prætorianæ cohortis comitatu, imperante Visiro, egreditur: Thessalonicam usque progressus, ulteriùs nequit contendere, variis corporis, animique curis confectus. Inde nihilominùs voluit abscedere, recusata ad colligendas vires etiam modica quiete; at viæ laborem ita gravem sensit, ut coactus ex morbo Isdini conquiescere, qui vicus Macedoniæ est, cognovit se brevi moriturum. Cùm igitur de extremo vitæ fato prorsùs ageretur, Joanni Baptistæ Padavino affini suo, & assiduo in utraque fortuna socio, res publicas enixissimè commendavit: ipsumque non rogavit tantùm, verùm etiam obsecravit, ut Senatui referret, nullam in eum irrepsisse torpedinem, qui multas passus contumelias, duros carceres, difficilesque peregrinationes non modica statuisset documenta suæ fidei in Rempublicam; & quo perseveranti studio illius asserendæ existimationi, ac tranquillitati se totum addixisset. In hæc; ultimum suæ vitæ diem clausit, oblitus res proprias componere, quia nihil magis volvebat animo quàm Religionis, & Patriæ fortunas. Quanti eum fecerit Senatus, & sibi quàm charus fuerit, mœrore funeris indicavit: quod publico sumptu curavit; justa solvit coram Duce, Senatu, Principumque Legatis, & laudatum nomen mandavit æternitati, atque in Dominicum filium, æquata ejus ætate paternis

me-

meritis, Magni Cancellarii transtulit dignitatem. Ballarini obitus non tam domesticis, quàm ipsis barbaris lacrymas expressit; ac præcipuè Visiro, qui ejus in agendo constantiam, tuendaque Reipublicæ majestate, nullis unquam concussam adversis, valdè admiratus est. Contigit quidem difficillimo Reipublicæ tempore: quo & alia supervenere miseranda: vehementes ventorum flatus invicem præliantes Candiam plurimùm exagitarunt: terruerunt tonitrua, & fulgura, Inter quæ duo magno fragore displosa fulmina: alterum turrim Divo Francisco sacram penetravit, perque templum serpens dicatam eidem supellectilem combussit, & mortuorum sedes contrivit: alterum castelli Laternam discussit. A sævientibus noctu procellis navis commeatibus plena in ipso portus ostio demergitur: aliam pari discrimine, quæ ignara successus priorem veluti scopulum offendit, mare suis voraginibus absorbet. Hæc omnia, an fuerint impendentis calamitatis signa, adeò suo eventu ventura tempora declararunt, ut non temerè prodigia evenire putandum sit.

Venetiis explevit hunc annum Andreæ Cornelii Classis summi Ducis, & Francisci Barbari ejusdem Curatoris adventus: Hi secum adduxere captivum Ramadamum Ægypti sangiachum: quem superiori anno conantem intromittere ad Cydonios Ægyptiaca subsidia viginti tribus navigiis allata, Grimanus, & Molinus navium Præfecti interceperunt. In conflictu cùm sæpè obnitens repugnasset, tandem victo proximus, & frustrà à Cydoniis triremibus defensus, incendit navigium, quo vehebatur, & clàm conscenso actuariolo per intervalla discurrentium navium tentantem elabi, Molini vigilantia remorata est. Eo capto, nullus fuit qui ultra obsisteret: quamobrem ex navigiis, partim à Venetis occupata; partim demersa: & eorum quatuor à Melitensibus opportuno certamini accessu acquisita, integram fermè victoriam cohonestarunt; ducto præsertim in trium-

triumpho Ramadamo. Præter hæc Turcica triremis Christianorum remigantium ingenio Veneto imperatori Francisco Mauroceno Cornelii in locum suffecto, subditur: hanc juxta Polycandri scopulos ad anchoras stantem multis in locis perterebrarunt; quæ cùm recepta aqua propè mergi videretur, & minari naufragium, Turcis ex metu raptim exilientibus, captivi obturant foramina, celerique remorum conatu Venetæ classi se jungunt. Maurocenus comiter exceptos donat libertate, & monitus errare Turcas in scopulis, nullo patente effugio, ad eos in potestatem redigendos mittit Laurentium Cornelium Adriaci maris Custodem, qui, præter paucos, lassis viribus natando in undis demersos, cæteros captivos abduxit.

Obsessæ Candiæ annus primus.
Hieronymus Javarina Ballarino subrogatus pestilentia in Turcarum castris absumitur.
MDCLXVII.

HUjus anni mense Majo Achmetus cum terrestribus, navalibusque copiis transivit in Cretam. Cydoniam primò appulsus, contemplatus est accuratissimè ejus præsidia, & munitiones, quas firmavit validiùs, & militum auxit incremento; deinde profectus Enandiam, hanc illicò demolitus est: ne, obsessa Candia, suis aliquo sinistro casu perculsis, locus ille superesset ad refugium: atque ob eam caussam sublata inde impedimenta contra Candiam explicuit: & ejus instituit obsidionem in valle castrametatus, cui Jophiri nomen; versus mare, ex qua parte putabat impediri posse subsidia ad urbem, non modò circumsessam; sed etiam circumvallatam. Dum hæc ille molitur, & quandoque cum prohibentibus opera pugnat haud prosperis initiis; Villa revocatus in Sabaudiam propter nata dissidia intra finitimos, Zacynthum pervenerat. Illum ne ulteriùs viam carperet,

Mau-

Maurocenus remoratur: quia deprecante Senatu, Princeps ejus dominus ad aliud tempus incœptum iter remittebat, cujus rei certior factus Cretam revisit traductus navibus Octavii Labiæ, quem Patres ad convehendos commeatus destinarant, præ cæteris intrepidè suscipientem onus, & curam difficilis navigationis.

Villa Candiæ restitutus omnium spem erexit comprimendos fore sua virtute conatus Achmeti. Hujus insidiæ, & militares astus Ducis sagacitatem, ac prudentiam non fallebant. Quamobrem continuò studuit intra, & extra mœnia propugnacula, munitionesque firmare præsidiis augere operas, & omnia statuere opportuna ad arcendas hostium impressiones.

Candia, qua à Septentrione mare abluitur, continenti situ inæquali adhæret; septem habet propugnacula cœteris majora; & hæc propriis nominibus appellata Sabulonaria, Victurium, Martinengium, Bethlemiticum, Panigrà, Jesus, & Sancti Andreæ: mœnia circumdat à terra longa lataque fossa, cujus pars adversa valdè munita est; tumulos tenet præaltos suis locis impositos: cæcæ cryptæ excurrunt propugnaculorum latera; sunt in urbe interni receptus, perfugiaque secundaria: ante portas præstructæ moles; semilunaria munimenta; loricæ post circitorum vias; tormentarii suggestus sustinent enormes machinas: & tandem in se colligit quid quid est armorum, tormentorumque gerendo sustinendoque bello opportunum. Ita Urbs rebus omnibus referta; suis confisa ducibus gloria militaris scientiæ præstantissimis, Mauroceno secundùm electo Imperatore; Villa martia virtute, & multarum rerum usu summè laudato; militibus paratis ad omnia obeunda pro Religione, & Republica aduersus infestissimos hostes pericula, satis videbatur idonea ad repellendas quascumque aggressiones. Jam Visirus XI Kal. Maij cœperat irrequietis aggressionibus Candiam impetere, grandioribus machinis concutere:

& cùm ea potiri aperta vi diffideret; occultis dolis per subterranea machinamenta evertere, & expugnare. Habebat in castris quadraginta peditum millia: diu, noctuque fossores, & cunicularios octo mille exercebat in attollendis aggeribus producendisque ad miram altitudinem foveis, ac subtus effodiendis cuniculis; è quibus nitrato pulvere oppletis excitatus ignis, nescius occludi, cum fragore, & impetu erumpens, solum convelleret ab imo; cogeret propugnatores discerptos volare per aerem; ac, ut subitaneis ruinis convulsa mœnia furentes catervæ occuparent, viam ingrediendi in urbem aperirent. Contrà nostri haud inertes Mauroceni imperatoris præsentia, atque strenua Villæ ducis solertia confirmati in subeuntes hostes, & molientes ascensum inopinatis eruptionibus ferebantur nullo intrepidi mortis metu, sed vividæ virtutis impulsu alacres, alios cædebant, multos obtruncabant, adigebantque in fugam, quos suorum strages denunciatione ejusdem periculi terrebat. Hostibus etiam paria referentes excavabant profundiores cuniculos; quibus non tam exadverso occurrebant effossis ab hoste, quàm subter ipsos penetrando, vi abditi ignis cum strepitu eructantis, superimpositas structiones dissolvebant funestissima operarum laceratione; in quorum capita convertebantur machinamenta. Hoc invento ab inferis mutuato, belligerandi igne potiùs quàm ferro, usi sunt Turcæ; & ab his instructi Veneti, durante obsessæ urbis triennio. Hæc dum aguntur apud Candiam, Alexander Molinus Diam victor advenit: expugnarat in Maliaco sinu onerarias, quas ibidem repererat, instituentes celerem navigationem in Cretam cum annona, militibus, & impedimentis. Aggressus replet improviso metu trepidas, omnesque tumultu miscet, & maxima consternatione. Aliquas tormentis concussas, & laceras profundo mersit; aliquas vi captas suis religatas puppibus in triumpho duxit.

Tunc temporis iterùm ab occasu in auxilium venere

Pon-

Pontificiæ, ac Melitenses triremes, quarum summi erant ductores Prior Bichius, & Balivus à Bene: Siculæ quoque, & Neapolitanæ, præfecto Jannettino Doria, accessere. Omnes hilari, ac militari salutatione Venetus imperator excepit: verùm ab his nihil gestum memorabile hac tempestate; eorum excursus per maria piraticis magis, quàm iustis præliis similes fuerunt: nullus ab classe egressus est, qui obsidionalia Turcarum castra, aut extructas nostrorum munitiones inspiceret. Sed cogitantibus abire, eò quòd nulla in promptu esset pugnandi opportunitas, ac scirent Candiam in extremum penè periculum adductam; Villa renidēs, Bichio, & Doriæ retulit, non esse defuturas occasiones si vellent iis accedentibus occurrere: sique descendissent in castra, aliud de Candiæ statu judicium laturos; irent igitur, quia Veneti talibus non egebant auxiliis. Unus Arcurtius Gallus Eques Melitensis, & decem ejusdem Ordinis præstantissimi juvenes, cum suo comitatu exilientes è navibus non pauca martialis militiæ dedere specimina. Hæc inter propugnaculum Panigrà dictum, cujus Visirus sua præsentia moliebatur expugnationem, primos sustinuit impetus, qui à nostris audaci, fortique animo repressi fuere: & per eos dies Julii mensis extremos Hieronymus Javarina à Senatus Secretis Ballarino subrogatus Candiam pervenit: qui accepta ab hostibus fide Jophiri fluminis ostium ingreditur; exceptus à Visiro cum honore, tanquam missus ad paciscendum; & jussus commigrare in domum tutò sibi præparatam, comitem habuit Padauinum, ut instructus de his quæ à Ballarino ille exceperat, Reipublicæ magis profutura, ex Senatus mandato, eadem pacificationis negotia acturus in medium proferret. Interim Visiri adversus illud propugnaculum furor, ad alia aggredienda in cœteros quoque Bassas effundebatur. Diurni, nocturnique erant aggressus, & repulsus; hi sæpiùs cum magna hostium cæde; nam quò eniti tentabant, eò festinus properabat Villa cum reli-

quis copiarum ducibus: Barbarus, Vuertmellerius, Grimaldus irruentibus undique Turcis fortissimè resistebant; & per omnes numeros singularia militaris disciplinæ edebant specimina. Quæ pars murorum flammifera impulsa vi corruebat: quod munimentum tormentarius pulsus labefactabat, confestim omnia validiora in pristinum restituta exurgebant; tantam operum celeritatem obstupescebat Visirus, & obstinatiùs moles, machinas, & instrumenta aggerebat. Adductis Cydonia quinque enormis magnitudinis bombardis, alterum invadere jussit propugnaculum, quod fuit Bethlemiticum, cura, & opere Agæ Tefterdari: vehemens, feroxque natura homo ad ascensum suos minacibus verbis incitabat; qui parati primi conscenderant, post longam, & cruentam pugnam dejecti fuerunt, & cum derisu ad repetendas impressiones provocati. Tum lapidis fragmentum, evulsum ab impetu explosi tormenti, Villam in vultu levi tactu, percussit: igneus quoque globulus cùm ejus pectus sacra icuncula munitum vix tetigisset, illam reveritus, ad pedes cecidit. Extinguitur pila vitrea Sulphurata Æneas de Comitibus Patavinus, qui in Sabulonariæ propugnatione vigilantem navabat operam. Dum hæc circa urbem; Maurocenus Benzoniam triremem emisit, ut ab ostio Jophyri amnis infestis ictibus molestiam Turcicis castris exhiberet: illam sex aliæ subsequutæ, plura Bassarum tentoria prostrarunt. Alibi auditur ingens armorum fragor; in Sancti Andreæ propugnaculum Turcas per cuniculos irrupisse: quare cito gradu progressi nostri, atque in unum conglobati supremæ fortitudinis experimento ad ima devolutis aggressoribus, occisis, fugatisque; muros excussos repararunt, solicitantibus operas Villa, & Grimaldo. Verùm quia continuati labores, impacta vulnera, & illatæ cædes præsidiariorum vires, & propugnantium numerum exhauriebant, Barbarus suadebat evocari è navibus epibatas; sed mille tantùm suffecturos ostendebat Villa: alii opinabantur fore utilius,

lius expediri classem, militibus non diminutam ad explorandos maritimos recessus, ut subsidia, quæ magna, & valida adnavigabant ad hostes, ubique perquisita, interceptaque surriperet. Has inter disceptationes, quæ frequentiùs propagantur, ubi plures imperant, Turcæ in ipsum propugnaculum denuò insurgunt; fossas agunt, & muris appropinquare contendunt: ideò per mille necis discrimina deturbare conantur propugnatores; nam ad alias nocendi artes excogitarunt atros ignes concipere, quorum fumei globi gravi nidore, & pestifero veneno infecti, obcœcandi, & occidendi vim haberent. Nullo tamen eventu hæc agentes à nostris iterùm cum cæde propulsantur jacientibus sulphureas ollas, saxa, & missilia omnis generis, cum ipsius Visiri periculo, in cujus castra volantes pilæ fecerunt impetum. Sub hoc tempus valentissima auxilia, Venetiis comparata, advexit Josephus Maurocenus suis quinqueremibus, quarum gerebat præfecturam: sexcentos pedites Cæsar è Germania transmisit: Clemens Nonus, consecratis publicæ causæ sui Pontificatus exordiis, quinquaginta nummum aureorum millia numeravit: professus se nihil prætermissurum in una defendenda Creta adversus communem hostem, qui ea in potestatem redacta, universæ Italiæ parabat excidium. Propterea vigilanter excubans pro Christiana Republica, nullis abstinuit impensis, quin ob terrestres, maritimosque apparatus plurima pecuniarum, militumque subsidia ministraret, & Catholicos Principes promoveret ad opem ferendam Venetis; qui periculoso bello perculsi, si vincerentur, in omnes effusa Barbarorum pestis inhumaniter desæviret. Cæterùm per simultatem, quam de re bellica administranda, exercebant Antonius Barbarus Cretæ Præses, & Vuertemellerius tormentorum Præfectus cum Marchione Villa: uterque, decernente Senatu, ne latens odium in apertum discrimen efflueret, Candia discessit. Munus, quod Barbarus obtinebat, Battaleæ Insulæ Curatori defertur: & Maurocenus

nus

nus suo descensu è Classe in omnes obsessæ urbis necessitates incumbendi curam amplectitur.

Jam quatuor menses effluxerant ab inchoata obsidione: reliqui tres non absimili contentione,ac rabie pugnati sunt. Idcircò Maurocenus cognito suarum virium defectu, majorem peditum, equitumque partem, quos Suda, Tine, Cytheraque retinebant, ad se accersivit: his acceptis, in Turcas propugnaculo Panigrà inhærentes paravit eruptionem; quæ tanto cum impetu facta est, ut ab ipso incumbentium impulsu lacerati, contusi, cæsique fuerint, modico nostrorum damno. Ex qua tamen clade ne abirent inulti, tertiò eidem insultant; & cùm nullum esset telorum genus, quod non torquerent in propugnantes, in ejus cacumen evadunt,& quinque affigunt vexilla,ululantes, ac si illius potiti essent. Verùm resumptis animis coram Mauroceno, & Villa,audaciùs,atque ardentiùs irruunt in obsessores, revellunt signa;& ex multis, qui in summum evaserant, pauciores numero in suas stationes retrudunt. Hinc denuò erumpunt fortissimè & ferro simul, & exiliente à cavernosis recessibus igne,absumunt, ac dissipant conantes vim vi repulsare. Insanè fremebat Visirus,cùm omnia sibi iniquiora succederent: & quod usque adhuc propitia fortuna Venetis arrisisset. Itaque anxiis curis agitatus, conquirit auxilia datis litteris ad Bassas, ut accelerent collecta in toto fermè imperio:& componendæ pacis cupidum se ostendit, illum sequuturus eventum, quem sors daret. Tunc gravis pestilentiæ vis, quæ Turcica castra maximè lacerabat; Padauinum IV. Id. Nouembris oppressit; quem paucos post dies Jauarina eodem morbo confectus subsequutus est: horum interitus non parum afflixit Visirum, qui motus amoris affectu, raro exemplo apud Barbaros, jussit ad eorum asseclas omnia reddi,quæ pro usu,& supellectili attulerant. Hoc anno obstinatissimæ obsidionis primo ex Venetis, cum duobus patriciis Laurentio Pisano, & Nicolao Justiniano, exhau-

hausta cæde varia dicuntur octo circiter millia: Viginti septem millia cum quingentis Turcæ amisisse, inter quos, quatuor Bassæ à Visiro propter militarem disciplinam, ac strenuitatem mœstissimè defleti. Tot occisorum numerum habent, qui per singulos obsidionis menses, & dies sua conficiunt commentaria.

Senatus Aloysium Molinum mittit ad Turcas pacis Legatum.
MDCLXVIII.

Annus obsessa Candia secundus.

PRæsens annus idem habet à Turcis certaminum irritamentum, quod proximè transactus, in propugnacula: & idem exhibet Venetorum constans robur in propugnationibus, tuendo præsertim Panigrà, irrito conatu ab hostibus huc usque tentato.

Nonis Januariis Bernardus Nanius cum navigiis in portu consistentibus vela in Cretam explicuit; & secum traduxit Mutium Matthæum Romanum, quem Clemens destinaverat quingentorum peditum Ducem. Qui quidem Pontifex alia subinde auxilia contulit, & magnam vim auri erogavit ex collectis, & collatis quorumdam Religiosorum Ordinum bonis, Prædecessores suos imitatus, ut redditus pro communi causa adversus Christiani nominis hostes fructuosiùs impenderentur. Candia cùm nova recepisset subsidia, numerabat in censu octo bellatorum millia: quam tamen summam diminuebant quotidiani conflictus. Non secus Turcæ ad expugnandas munitiones assidui; & ad repellendas à mari exscensiones seduli, quamvis numerosiores, nihilominùs invalidi nostris eruptionibus videbantur. Quapropter Visirus, ut occultaret aliquod vafri sui ingenii inventum vel de continuanda obsidione; vel indigus virium

rium de mora injicienda Venetis ad progressus; explicato, albo vexillo, ad Maurocenum litteras dedit, scriptas Senatui, cui pacis conditiones proponebat. Ille, per Joannem Petrum Caballum à Secretis, qui cum Javarina in Cretam venerat, eidem respondet: Se ab Senatu talem recepisse facultatem; qualem ipse sciret sibi à suo Rege fuisse impertitam. Patres ad hujus rei notitiam, decreverunt legare virum patricium, qui in spem pacis Turcicam Aulam adiret. Eligunt Andream Valerium, tunc trium Insularum Præsidem: sed ille legitimè probata excusatione se à munere eximit. Data suffragia Aloysio Molino Equiti; hunc invenere paratissimum, licèt affectæ ætatis, ad quodcumque discrimen pro Republica subeundum. Susceptum legationis onus expleturus, iter, ne minimo quidem spatio temporis interjecto, ita maturavit, ut brevi Larissam Macedoniæ urbem, quæ Regem Turcicum in delitiis detinebat, profectus sit. Visus, & habitus honorificè in ingressu, post exiguam moram mox cogitur inde discedere, & Cydoniam properatò transire, suaque ibidem cum Visiro negotia agere. Senatus, Molino digresso, ejus filio Alexandro Turcis infesto substituit in navium præfecturam Thaddæum Maurocenum: ne illi etiam nunc navalibus pugnis attriti, in Patrem falsis criminibus insimulatum, Barbaro ritu sævirent: ideò evocato Venetias Censoriam dignitatem attribuit. Intereà Visiro omnis tarditas, & procrastinatio subjugandæ Candię erat odiosa; indignanti, quòd, qua volebat celeritate, bellum non conficeret; decrevit igitur totis viribus arcere à mari triremes, ne accederent; ob id in Sabulonariæ tumulis majora tormenta collocavit, quæ nullo tempore intermisso immanibus globis eas percuterent: neque à terra conquievit, quin renovatis conatibus per aggressores, & cuniculários propugnacula toties petita prosterneret. Nostri odorati Visiri mentem, Classem in tutum reductam protegunt à fulminibus: & barbaros astus pari arte deludunt. Per transversa sepimen-

pimenta ipsis in terræ visceribus actis cuniculis obvii, alios contrà suffodiunt; in cados nitrato pulvere repletos projiciunt ignem, qui succensi tantam flammarum jaculantur vim, ut hostium plurimi, aut semiusti, aut faucibus fumo interclusis perierint. Multiplices quoque fuere eruptiones, quas Maurocenus, & Villa moliebantur excitantes militum virtutem, & constantiam ad exturbandos hostes ab aggeribus, in quos ipsi catervatim sese inferebant, intrudebantque duabus erectis munitionibus: altera contra Sancti Andreæ obstructam portam; altera, propè maritimam oram, omni machinarum, tormentorumque copia communitis; quæ grande periculum facessebant propugnaculis. Attamen exadverso qui eruperant cum ingenti impetu, & animorum ardore penetrarunt incursantes acies, & quò gradum promovebant à fronte, à lateribus viriliter se gesserunt multis necatis, & sauciis. Sed quia pertinacissimis animis pugnabatur plurimi quoque de Venetis lacerati, & occisi sunt.

Nocturna in mari pugna cum Turcis. Durachus Bejus victus occiditur.

VIsirus acriter indignatus quòd parùm feliciter ferrum, ignes, tela, furoremque suum in Venetos exerceret, ad alia implacabilis odii facinora se convertit. Laurentius Cornelius excubabat in mari cum triremibus septem, Turcis navigiis prohibendo transitum, ne ab Cydonia veherent in castra suppetias. Visirus ad eum obicem sibi infestissimum auferendum totus incubuit: duo peditum millia nocturno itinere, ut celaret arcanum, Galippo Natoliæ Bassæ transmittit, & imperat Rithymnam ire; conscendere triremes, navesque in portu stantes; & militibus ab eo missis, rebusque necessariis adornatas educere in Cornelias transitionem impedientes; eas per tenebras

repentino impetu aggredi, inflammare, & pessumdare, minatus vincula, & neces contumacibus ad mandata. Hæc expeditio per secretos nuncios sibi revelata docuit Maurocenum non esse opus consultationibus ubi urget festinandi necessitas: ideò ut Visiri cogitata præverteret, extemplò imponit suis triremibus sexcentos præcipui roboris viros, quos Grimaldi experta solertia ex omni militia selegerat; & adulta nocte octavo Id. Martii Diam petit, in qua Nanius ad curam Classis delegatus in locum Battaleæ cum sexdecim triremibus manebat. Facto accessu inaudit, sequenti nocte duodecim triremes optimè instructas, ad locum Fodelle nuncupatum, expectari: quare Diam deserit sub tenebroso tempore, & viginti stipatus triremibus Cretica litora excurrit. Eodem ferè momento à Rithymna supervenere hosticæ naves, & cum sua Classe Durachus Bejus insignis pirata: unà omnes tanto inconditarum vocum ululatu, fremitu, strepituque bombardarum adoriuntur Cornelias triremes, ut de his repentino incursu concussis spem victoriæ foverent. Sed intrepidè Cornelius discussit impetum explosis tormentis, & nudatis armis, in eo nocturno conflictu (quo nullus alius, nisi præsens commissus in tenebris, legitur atrocior) fœdissimè laceravit, & confudit hostium classem. Super his veluti in subsidium advenit Maurocenus, & magis recruduit certamen cum Duracho. Fortuna varia, modò Turcis, modò Venetis adversa; multiplicem obstinati, cruentique prælii faciem præbebat: cœperant nostros deficere bellica instrumenta, missilia, & fabrefacti ignes; at ex Mauroceni ingenio prosper in obscuro illuxit eventus: tædas, facesque cera, piceque circunlitas succendi jubet; easque secundo vento in classem inimicam vibrari: hoc ille commento vehementer hostes exterruit; qui flammis, fumoque obruti, & impotentes ad extinguendum incendium, sensere nostros instare acriùs, irrumpere, invadere navium latera, & obvias puppes con-

versis

versis proris allidere. Nocte cum hostili classe, cladeque emensa, septem horas pugnatum est, Durachus congressus cum Mauroceno in prælio cecidit: cum ejus Prætoria quinque triremes captæ sunt; una in profundum demersa; semifractæ, & ferè inutiles quæ se ab acie subduxere; de Turcis valentiores obtruncati: quadringenti, & ampliùs detenti; ultra mille captivi in libertatem vindicati: ducentos Veneti numerarunt interfectos, quingentos vulneratos. Tandem albescente die Maurocenus cùm decrevisset Fodelle castrum adire, & diripere quæ in eo Turcæ magna commeatuum, & impedimentorum copia desposuerant, ad augendam amplioribus spoliis victoriam, vidit suis votis obsistere adversis fluctibus mare tumidum, & procellosum; & Visirus ex specula contra expectationem spectatorem se præbuit infelicis eventus: atque in testimonium acceptæ victoriæ à Mauroceno audiit à Dia insula in conspectum obsessæ urbis ejus reditum lætis acclamationibus prosequi,& in sua castra explosa præ gaudio tormenta,non modica damna intulisse. Chiliarca Vecchia cognomine non vulgaris famæ in præsenti bello, & clarus ingenio, quo se per subterraneam cavam ab Turcarum ergastulis exsolvit, cum victoriæ nuncio Venetias mittitur: appulit advectus navigio hostium manubiis,insignibusque onusto, & coram Patribus rei bene gestæ felicem exitum exponit. Statim ingens in urbe lætitia, è navibus in portu festus tormentorum fragor immugiit: & effusa grati Principis munificentia erga omnes, qui fortiter præliati sunt; ornavit supremum suæ Classis Ducem Equestri dignitate: atque multorum clara facta liberalissimè compensavit.

Catharin o Cornelio Classis administrationem Senatus tradit.
Villa Candia discedentis vicem S. Andrea Marchioni Mombruno Gallo committit.

CAndiam reversus Maurocenus, quia terrestribus, maritimisque curis distentus ægrè poterat ubique & opera, & animo adesse; Senatus Classis administrationi præposuit Catharinum Cornelium, qui tunc Dalmatæ Provinciæ præsidebat. Ille huic destinatus muneri solicitavit suam expeditionem in Cretam milite, commeatu, bellicoque apparatu instructam; & patriciis ornatam commilitonibus, quibus Religionis defensio, Patriæ amor cordi esset. Hæc dum Venetiis parantur Marchio Franciscus Villa à Creta suum in Sabaudiam adornat iter jussus à Principe, cui erat mancipatus illuc quàm celeriter se transferri: ambiguum est; an ob suspicionem surgentis belli in ea provincia, cui maximè necessarius videbatur: an, quod magis credibile, ob invidiam turbæ aulicorum ægrè ferentis præclara illius gesta in Creta cum egregia fama, & plausu celebri: verùm remotus ab armis in otio consenuit. Atque ideò nullus neque Pontificis, neque Reipublicæ enixis precibus locus fuit, ut Candiæ permaneret eo tempore, quo sua præsentia, & vigilantia certam spem excitabat amoliendæ obsidionis. Patres abeuntis adventum in urbem cum honore excipiunt, illumque verbis compositis laudatum cum regalibus donis dimittunt, & Marchionem alterum Sancti Andreę Mombrunum appellatum, sufficiunt, virum armis spectatissimum, & multę, probatæq; existimationis in bellis, quibus cum imperio præfuit.

Per hos dies Nanius dum Candiæ suo muneri accuratè incumbit ictu glandis in capite occumbit: mors hæc Venetias allata Patres induxit, ut defuncti vices iterùm Hieronymo Battaleæ committerent.

Du-

Ducis Bassæ in mari pugna cum Piratis Gallis: cum Vitali, & Lescasio.
Leonius navium Præfectus contra decem Punicas à tribus Venetis defenditur.

QVatuor Navarchi Galli; duo Equites alter de Verva, alter de Bremonte: & duo fratres Temericortii totidem Melitæas naves piratarum more agebant in Turcas. Singuli, ut quisque suam reficeret, Ion admoverunt: omni soluti metu cum sexcentis militibus alii excubabant in portu; alii ab ejus extrema parte in litus extrahebant navalia impedimenta. Dux Bassa dum à Paro sollicitabat in Cretam præparata auxilia, explorata piratarum mora in proxima insula, ad hanc nocturno cursu vela dirigit. Piratæ cùm circa ortum diei conspicerent appropinquantem ex inopinatò classem, extemplò promptis animis, & armis accinguntur ad repellendum hostem: utrumque portus latus intortis firmant rudentibus, & binis navibus protegunt: binis aliis custodiunt tentoria. Ubi Classis sub ictu provecta fuit, uno tempore utrinque emissa est ingens pilarum vis: sed à Bassa, desperato intra portus fauces ingressu, jussa sunt descendere in continentem tria peditum millia: ut illi à terra, ipse à mari homines Turcis infensos oppugnarent. Terrestres manus in tentoria irruperunt igni; & inflammarunt. Maritimæ verò acies quadraginta triremium per ternas vices toto integro die succedentes ad aggressiones conabantur progredi & naves à portu deturbare assiduo tormentorum fragore, & innumera sagittarum copia. Verùm non minùs respondebant qui erant veluti obsessi pari jaculatione: ingentes contorquent pilas, præcipitiq; minorum glandium procella prohibent classiarios ab accessu. Et in pedestres turmas librata ex majoribus sex ænea tormenta plumbeis

beis globulis inferta, ſtrages accumulant. Ita confuſus, & oppreſſus Baſſa receſſit: & Galli duces victores, ſolis viginti quatuor amiſſis, nec multis graviter fauciis, cùm ſexcenti Turcarum cecidiſſent, illuſtre facinus ingenti gloria perpetrarunt.

Poſtremò fortuna viſa eſt reſpuere conſtantiam cum Piratis Georgio maria Vitali, & Leſcaſio: Baſſa lacera refecta claſſe, & Cydoniis aliquo ſubmiſſo auxilio, Aſianas oras cæpit percurrere, ut colligeret ſuppetias deportandas in obſidionalia caſtra. Tranſiens Mitylenen in duas illorum naves invehitur: qui contrà audaciſſimè exceperunt accedentem: & continuata die noctuque per biduum acerrima pugna conflixerunt. Undique infinita propemodùm è tormentis globorum procella excuſſa eſt: ſed ab univerſa claſſe circumventi non potuere imminens fatum evitare. Vitalis bombardæ fulmine tactus vita exuitur, & cum eo quingenti perierunt in ipſa navi, quæ unica fuit inimicæ claſſi ditiſſimam ſpolium. Leſcaſius cùm vidiſſet hoſtes in ſuum navigium propè oppreſſum inſilire; illi ignem admovit nitrato pulvere: & ſpe fugæ cùm ſe intuliſſet in ſcapham, à perſequente celoce interceptus eſt, affectuſque vulneribus, raptus in ſervitutem. Hac parta victoria Baſſæ ex navarchis, qui maria, & inſulas peragrando Turcica ligna infeſtabant, & captiva multa incolarum capita Candiam traducebant æquiùs viſum eſt in Mitylenęis aquis compenſaſſe cladem, quam antea apud Ion à piratis Gallis acceperat.

Nova alia in mari efferbuit pugna: Venetus Præfectus Leonius cum quinque navibus in portu Hierapetræ obſtabat, ne ulla illac ſubſidia pertranſirent obſidentibus. Ea propter Viſirus decem Punicas eò deſtinat, quæ Venetas inde exturbarent, & everterent; ut non ampliùs advehentibus ſibi neceſſaria ad bellum, eſſent impedimento. Illarum una Contarenam biremem adorta certamen accendit; utraque inter ſe commiſſa pugna, tormentis primùm; deinde cominùs

nùs levioribus missilibus, nudatisque gladiis conserens manus, à marinis tandem fluctibus introgressis per rimas absorbetur. Hostilis altera Venetam triremem proximè erat oppressura; verùm hæc generoso ausu tormentario pulveri applicat ignem, qui diffusus etiam in opprimentem, ambas adussit. Leonius tribus aggressionibus à cæteris imperitus, semper strenuè se defendit; tamen ab iteratis ictibus continenter pulsatus summo in discrimine versabatur. Tres interim Venetæ naves opportunè supervenientes illum eximunt periculo; & Punicas cum clade repressas avertunt in fugam.

Non minùs Barbarorum sanguine rubebat æquor, quin etiam in Candiæ obsidione per multas strages, cædesque infecta tellus cruentabatur: nulla dabatur reficiendis corporibus quies: die nocteque vel oppugnando, vel repugnando, milites in armis ad lassitudinem, interitumque deducebantur. Turcæ si quà irrumpere possent omnia tentabant, modò aperta, modò occulta vi. Veneti in conantes subire, & adoriri munitiones adeò æquali studio se exercebant, ut nullis non machinarum inventis supra, infraque terram excogitatis parcitum unquam fuerit. Hac dimicandi ratione singuli dies, præter vulneratos recensebant alios ferro interemptos: alios tormentorum ictibus prostratos: alios in cuniculis igni, fumoque consumptos; terraque obrutos; excussos, & strangulatos. Verùm multò plures de hostibus; tum in subterraneis illis cavernis, tum in apertis, inopinatisque incursibus peribant. Hic erat Candiæ status; de quo dum consulitur defendendo, modò vires suppeterent; adfuit tempestivè Hieronymus Battalea rursus ad generalem totius Insulæ procurationem designatus: accessit quoque Thaddæus Maurocenus, cui commissa erat navium præfectura. Hi duxerunt secum peditum tria millia ab urbibus in continenti, & ab arcibus evocata: mille à Dalmatia milites, quos Etrusci, & Pontificii Duces ductabant. Sub idem tem-

tempus Voluntarii plerique ex variis provinciis viri conſpicui , & armis præſtantes advenere exciti fama inauditæ obſidionis,hanc non minùs ut oculis conſpicerent,quàm ut in eadem manibus ſe probarent. Multi menſe Nouembri ex Gallia Dynaſtæ, quorum anteſignanus Sancti Pauli Comes, cum flore primariæ nobilitatis comparuere, mille, ac quingenti numero. Hi partiti inter ſe eruptiones; plerumque uſque ad caſtrorum munimenta audaciſſimè penetrarunt,plurimis hoſtium interfectis.XIV verò Kal. Januarii, tercenti primo diluculò exiere tanta furentis impetus celeritate;ut in ipſa Turcarum receptacula(in quibus Cattrezolius Baſſa homo pugnacis inter barbaros ingenii , magnique roboris cum tribus millibus Sabulonariam ſolicitabat oppugnationem) ſeſe ferocitèr intruſerint; eorum mille, Baſſa gravi vulnere ſaucio,ceciderint; & reliquos metu perculſos in fugam verterent.Non hac victoria contenti terga dantes inſequuntur: & cùm morte contempta, confertiſſimas acies, ferreos globos, ignes fabrefactos, & ſagittarum nimbos parvifacerent, ac impari numero præliarentur; eorum pars major interempta fuit . Non minùs per ſingulos dies urbis propugnatio abſumebat defenſores: & cum vulgo cadebant extincti multi Venetorum agminum inſtructores; machinarum, armorumque præfecti. Quo autem mortis genere,cujuſque caſus contigerit,quo menſe,& die, non deſunt auctores, qui hanc ſummam reponant. Cum duodecim Venetis patriciis , multi præſtantes viri, duces, chiliarchæ,centuriones,hoc anno deſiderati ſunt: Patavina nobilitate conſpicui cecidere Petrus Sala , Conſtantinus Dottorius, Jacobus Venturinus, Marcus Zacchus, omnes à prima ætate per militares gradus ad bellica evecti munia,& contra Barbaros fortiſſimè pugnantes eum vitæ finem invenerunt , quem glorioſum teſtantur perennia geſtorum monimenta; & ampliſſima Veneti Senatus diplomata claris laudibus,collatiſque honorum titulis commendant. De mili-

militibus, decem millia tercenta quinquaginta octo bellica tempestas oppressit. In barathrum præcipitarunt Turcarum triginta septem millia, æterno igni destinata mancipia.

Obsessæ Candiæ annus tertius.
Pacem à Molino cum Visiro pangendam disturbant auxiliares accessus.
Catharini Cornelii interitus.
MDCLXIX.

HIc annus Candiæ urbi postremus fuit, & Cretæ insulæ fatalis. Exordium habuit luctuosum, cùm ab Turcarum cuniculis, quos nostri satagebant scrutari, ut in eos converterent occultas flammarum vires, erumpentis ignis operum, violentia, concussaque motu terra combusti, & oppressi interiere, quorum unus ex armorum præfectis fuit Joannes Baptista Zacchus Marci superiori annò extincti frater, ingenio bellicosus, vigore animi, atque generositate illustris: Pauci de his, quos è Gallia generis nobilitas, ætatis fervor, & gloriæ stimulus attraxit voluntarios in Creticam expeditionem, rediere superstites ad patrios lares, post data integro bimestri illustria generosi animi experimenta. His decedentibus, alios Nonis Januariis quatercētos Diam attulit appulsa navis ex delectu Equitis Arcurtii: quo tempore tota belli moles erat conversa in Sancti Andreæ propugnaculum; cujus pars vi nitrati pulveris jacebat prostrata, graviq; lapsu ruebant muri, & multi inter ruinas laniatis corporibus peribant. Nostri verò nullo perculsi metu assiduis tormentorum fragoribus urgere hostium munitiones non intermittebant; tubos fictiles igniarios projicere; & vario armorum genere, saxorum, atque stipitum libramentis depellere aggressores. His gestis Visirus ira supra modum æstuans, quòd nihil proficeret, præcipit ab egesta

humo in altum attolli tumulos, qui mœnia superemine-rent,& sedes essent enormibus machinis; quæ in illis dispositæ irrequietis ictibus fulminarent urbem. Obsessi alios in mœnibus elevant altiores aggeres,& grandioribus tormentis onerati, quæ repercuterent adversa, & stationibus ipsis damna inferrent. Interim non ignorabat Visirus undique ab Republica comparari auxilia, & conquiri opem apud Principes,quorum intererat Creticæ Insulæ tuitio; illaque intra paucos dies, tum ab Italia, tum ab Gallia in Cretam transitura militum robore, & navium numero uberrimè instructa. Qua de causa Regi suo nunciat nulla opus esse cunctatione;sed celeri præcepto Bassas Hungariæ, Bosniæ, & Albaniæ,aliosque per Asiam armorum præfectos cogendos, ut quàmprimùm triremes expediant, copias conscendere faciant in eorum provinciis collectas, & festinato cursu transmittant; quia munitissima urbs strenuè propugnata non poterat nisi magnis viribus expugnari. Subinde monitus, Aloysium Molinum Reipublicæ Legatum Cydoniam pervenisse,illicò dimisit viarum custodes,qui illum ad se tutò deducerent;cupidissimus cum eodem transigere:ut si belli fortuna (cujus vicissitudines plerumque incertæ esse solent)in diversum cessisset,haberet unde de se omne dubium tolleret suspectæ administrationis. Igitur cum Molino egit de componenda pace, & de conditionibus, quæ illam confirmarent. Venetus Legatus prompto animo in ea pacta properabat,assequutus Ballarini propositum: ut Respublica Turcico Imperatori quæcumque oppida præsenti bello occupata, restitueret, ac nonnulla daret ex permutatione. Et Visirus obsidionem Candiæ solveret,& Venetis cum urbe, & arcibus,quas possidebant,dimidiatum jus esset in Insula. Sed alia ille quæritabat, fortasse ab Senatu non rejicienda; quia servata Candia, & ex dimidia parte Cretæ retenta possessio,non minimè æquabant gloriæ, quam ex diutino bello conquisierat. Dum talia discutiuntur,& cum spe ineun-

dæ

dæ concordiæ, quia Molinus eadem proponebat, quæ Visirus à Ballarino non semel audiuisse affirmabat, eo ipso tempore rumor castra pervasit auxiliorum, quæ numerosa mittebant Romanus Pontifex, & Rex Gallus. Ea vox speratam difflavit pacem (quæ postea nobis ex necessitate iniquiori sorte revixit) & excitavit Visirum, ut Cydoniam magis obfirmaret addito duorum millium pugnatorum præsidio: utque Venetæ vires plures in partes divisæ minùs in Creta coalescerent, Dalmatiæ agros incursari curavit; terreri Ascrivium irruptionibus; & in Epiri oppidum Torone, nunc Pargam, fieri impetus. Sed Antonius Priolus vigilanti studio excursiones per provinciam actas frænavit: & Epirotici litoris oram ab hostium machinamentis immunem reddidit trium Insularum Curator Andreas Valerius.

Post hæc Visirus adversus Sancti Andreæ, & Sabulonariæ propugnacula iterùm summa vi omne robur admovit: quæ si expugnasset, se tum fore urbis, ac totius Insulæ compotem censebat. Hæc (quæ versus mare protenta tutò submissa auxilia intromittebant) productis usque ad interiora mœnia cuniculis evertere conabatur: attamen in iis tuendis solicito labori Maurocenus, Cornelius, Mombrunus, & cæteri armorum duces incumbebant, ut per contrarios meatus deciperent hostes, & eorum vires in ipsis caveis eliderent: quod ferè semper fortunatè gestum, incendia, & ruinas in operarum capita rejecit. Cæterùm Turcæ fidentes sua multitudine eò obstinatiùs anhelabant agere de copiosis viribus experimenta. Summa igitur vi; eadem sæpiùs petita propugnacula tentarunt diruere, tum globis tormentorum creberrimis, tum muris intra fundamenta perfossis, ut vias sibi pararent, & emergerent ad illa occupanda improvisi. Obsessi neque hostium numero deterriti, neque trepidi occultarum fraudum formidine, & supra, & infra terram fortissimè luctabantur. Qui de nostris proposuerant pro patria, pro religione gloriosè occumbere, ibi aderant ubi majus

Rrr 2 erat,

erat periculum. Catharinus Cornelius nunquam recessit à propugnatione munitionis Sancti Andreæ, quam videbat acriùs à Turcis oppugnari. At dum in reficiendis, quà aperti ruina muri erant, perfractis, ac dirutis solicitam curam impendit; casus attulit, Pridie Kal. Junii, ut inter alia igniaria missilia ab hostibus emissa, una ex ollis, quæ bombæ dicuntur, propè ipsum concepto igne frangeretur in frusta; à quibus cum impetu percussus in latere, & vulneratus ita ut intestina effluerent, pius in Deum, & optimè de patria meritus diem suum obiit: commendata commilitonibus, & præcipuè Equiti Grimaldo (cujus in militari disciplina ingenium, ac experientiam magni faciebat) ejusdem propugnaculi custodia, & defensione: nam eo subacto Candiæ manebat extremum fatum. Ex præstantissimi Ducis interitu doloris plurimum hausit terrestris, & navalis exercitus: Turcæ hilaritate maxima affecti sunt, ac si ipsum cœpissent propugnaculum: Senatus tristi nuncio accepto suum mœrorem ostendit lugubri cultu, quo funus eidem faciendum cum mœstitia publica decrevit. Eodem infortunio succubuere neci honorarii milites Comes Vignola Gallus, & Marchio Borrus. Per id tempus Joannes Maurocenus Candiam ingressus exposuit è navibus Germanas acies, quas in subsidium Bransuichius, & Luneburghius Principes ductu Comitis Valdecensis destinarant; armaque, annonam, & pecuniam; quibus rebus obsessis opportunè subventum fuit. Hæc inter de Cornelii morte Venetus imperator duxit è re publica dari literas ad Aloysium Molinum: igitur per albi vexilli signum petiit à Visiro tutum iter tabellario Cydoniam profecturo. Hanc ille concitato animo transitionem denegavit: dum extincto Cornelio, cujus solertiam, & fortitudinem verebatur; actum esse de Candia sibi persuadebat, & ejus deditionis tempus advenisse. Idcircò acriori fervidus ira, denuò tentat perrumpere in propugnacula: in illud Sancti Andreæ omnis

nis

nis furit impetus cuniculorum, machinarum, & ingruentium militum, qui tandem ejus munitionis angulum occuparunt. Complures horas continenter dimicatum est: demum Turcæ repulsi, & in vallum à Bransuichiis agminibus detrusi, de suis multò plures recensuere occisos, quàm de nostris. Experti Maurocenus, & Mombrunus, quòd in illius propugnaculi custodia consisteret urbis tutela, statuere suas ibidem agere excubias, ne improvisò exciperentur hostium fraudibus. Horum copia quotidie augebatur: unde cùm fessis, & vulneratis assiduè submitterentur recentes nullum nostris quiescendi tempus erat: & Visirus furenti excitatus rabie, quòd non continuò vinceret, missilium, pilarumque procella nitebatur à munitionibus deturbare præsidia; subruere mœnia, alios substruere fornices ad tormentarium pulverem excipiendum, fossas perducere, ut ad aggresiones sui subirent milites tecti, tutique ab injuriis. Nostri contrà, præteritarum rerum succesibus animati, Barbaris paria objiciebant molimina: cum ipsis pugnabant occultis ignibus: furiali machinarum ira dilacerabant castra, & inquietabant tentoria. Quotiescumque cominus congressuri erant, tam se acriter inferebant, ut irruentes in munimenta (Turcis in ea sibi parare ascensum ruptis obicibus contendentibus) multi ex conferta pugna caderent cruentisima strage. Porrò Visirus, quibus affluebat viribus, nunquam cessabat ab oppugnando, ratus occupare posse urbem priùs quàm expectata Gallorum auxilia accederent: neque intermittebat fossorum, & cunicularìorum operas, non uno in loco, at pasim, ac ubique: quare cùm eadem in terræ visceribus machinamenta Veneti quoq; molirentur; Candia tota foris, & intus erat cuniculata. Octavo Id. Junii adversus idem propugnaculum toties infestatum acriores renovantur impetus, duplicantur tormentorũ ictus, & multiplici eructantium de inferis meatibus flammarũ strepitu, una erat Visiri jusio, ut illud ab imis radicibus erueretur.

Exe-

Exequitur imperantis mandata obſequentium voluntas : primis incurſibus propugnantes exturbant: ignis cuniculis appoſitus violenta vi proſiliens cuncta oppoſita frangit, rimas agit in muris, potiorem partem excutit in ſublime, & ad irruptiones aditum aperit. Sub ruinis plurimi ultimum invenere excidium; Mombrunus vix periculo evaſit; Jacobo Contareno Inſulæ Rectori brachium fuit mutilatum, & non pauci illuſtres bellatores vitam cum glorioſa morte commutarunt. Propterea conſultum fuit de propugnaculo deſerendo; ſed non ſine ultione, ut Turcis, ne læta ulularent victoria, vires adhuc vividas oſtentarent. Quamobrem illos evadentes in ſummum occupati propugnaculi Veneta tormenta ex adverſis tumulis horrida fulmina jaculantia repulerunt, devolutique ad ima tres bombardas, quas evexerant reliquerunt. Ignes quoque ex abditis caveis non exhalarunt innoxii, cùm terribili crepitu convulſa rudera obrutis mortem ſimul attulerint, & ſepulchrum. Qua ſuorum ſtrage Viſirus maximè indignatus, ſed minimè abſterritus non cohibuit impetum, neque ab occaſione violentiùs invadendæ urbis ſe continuit. Crevit gravior, atque aſperior oppugnatio, poſtquam fama pervaſerat Gallica auxilia haud procul eſſe: nam ſtimulante Viſiro die, & noctu jugis erat tormentorum excuſſio in urbem; ignes perpetuò eructabant ab operis multiplici foſſorum numero aggeſtis: atque ſæpiſſimè exercitus robuſtior manus frequentes in munitiones dabat impreſſiones. Sic ille, ut præveniret ſubſidiariæ opis acceſſum, impigrè connitebatur, aut Candiam vi capere, aut cogere ad deditionem. Obſeſſi tamen remorantes pro viribus Viſiri conamina, conceperant de auxiliaribus copiis fiduciam, Turcas ſpe ſua fruſtratos obſidionem eſſe deſerturos.

Can-

Candiam accedunt Gallica auxilia. Erumpunt in Turcas tristi eventu. Ducis Belfortii mors.

NOnis Juniis è Tolonensi portu Regiæ naves celerrimo duodecim dierum cursu, quem triremes assequi non valuere, Candiam appulsæ; Urbem, & præsidia plurimùm eo adventu exhilararunt. Has ductabat Novaliæ Dux, cui injuncta erat cura militaris exscensionis; & Francisco Vindocinensi Duci Belfortio universæ rei maritimæ Præfectura, atque Pontificiæ classis Imperium. Advehebant unà cum triremibus in terrestrem, maritimamque concertationem septem peditum millia, & equites quingentos: de his exponendis, deque ferenda ope, ubi tempus, & necessitas postulabat, Novalea acturus cum Veneto Imperatore è Prætoria egressus ab eo excipitur honorifico dignationis testimonio. Sed, ut faciliùs deturbarentur occupantes unius propugnaculi tumulum, cùm opus esset majori virium accessione, expectandæ erant auxiliares triremes Pontificiæ, Melitenses, & illæ, quas ducebat Comes Vivona. Ita differebat Maurocenus: contrà moræ impatiens Novalea fretus suo pedestri militum delectu, & Belfortii epibatis (tanquam non egerent alieno adjumento Regiæ cohortes) in Barbaros deliberavit perrumpere. Itaque die vigesima quarta Junii instructæ acies sub Ducibus primæ nobilitatis, notæque fortitudinis jussæ sunt noctis silentio sequi viarum gnaros: his præeuntibus proximo mane descendunt in planitiem versus Sabulonariam, cujus propugnationem Novalea sibi delegerat. Tum explicatis agminibus, Damperius inopinato incursu duo invasit receptacula interemptis stationariis, ac terreas munitiones subvertit: eodem impetu in castrenses aggeres alter dux Castellanus invectus obtruncavit incautos, obvios, & repugnantes concitato furore stravit ad

in-

internecionem Belfortius ab aliis stationibus fugavit Turcarum vigiles, plurimos neci dedit, & acriter dimicando sibi adversos insigni virtute submovit. Turcæ repentina vi acerrimè perculsi, catervatim, uti quosque sors conglobaverat, in suos aggressores concurrunt; & numero plures confundunt. Novalea inclinantes in fugam aliquandiu sustinuit; & cæteri duces ingruentium hostium impetum comprimere connixi sunt: Belfortius modò laborantibus succurrere, modò hostiles turmas, ubi confertissimæ obstiterant, contendit dispellere, ac tueri suos à circumfusis agminibus propè oppressos ad fortuiti casus eventum victoriæ cursu excutitur. Succensus de-improviso in oppugnatis castris tormentarii pulveris cadus exterruit supra fidem milites Gallos, qui opinantes suffossum cuniculis totum solum, quod calcabant, seque erumpentibus flammis iri consumptos, retrò pedes retulerunt omnes, & extra ordinem metu trepidi in diversum avolarunt. Non ulla Ducum vis, non preces potuere sistere, quos pavor, confusio, fuga nimiùm consternaverant: non Belfortius sua præsentia, & exemplo invadere manu, consulere meticulosis, conturbatis omnibus imperare; quin in se fugientium, & instantium hostium multitudo conflueret. Propterea sanguine, pulvere, fumoque obvolutus; alieno pavore, & ignavia desertus inter innumeros Turcarum cuneos per ignes, & gladios discurrens, suis hostibus ignotus ita lacer occubuit, ut nullum illius cadaveris vestigium inveniri potuerit. Hic fuit Gallicæ expeditionis infelix exitus, quem Maurocenus præviderat, ac præmonuerat, sed frustrà; quia Novalea ex insito gentis more præcipiti, nimisque animoso consilio, suisque tantùm viribus exequi destinata concupivit. Dissipatæ acies, fuga magis, quàm pugna, reliquerunt in Campo ad stragem, & cædem mille, & ampliùs viros, & occisos non paucos spectatæ nobilitatis, ac virtutis Præfectos: at instar omnium Belfortium. Hujus extincti Principis occasus mœrore maximo

ximo replevit Senatum; qui ab imminuta præpotentis auxilii spe; suo volvebat animo labentis Candiæ hoc esse præludium, ac portentum. Verùm si cineri Belfortii Ducis tumulum excitare non potuit: ejus tamen memoriæ apud Rempublicam æternùm mansuræ regium erexit cenotaphium. Publico quoque luctu parentavit Catharino Cornelio: & his gestis rerum maritimarum imperium Antonio Bernardo Marcio Procuratori contulit.

Nulla navalium suppetiarum utilitas.
Novalea ab Creta discessus.
Mirandulani subsidii extenuata vires.

HÆc inter sulcabant maria auxiliares triremes viginti novem: septem Pontificiæ, totidem Melitenses, & quindecim Gallicæ, præter Venetas quatuor, quæ illis in navigatione duces præibant. Vincentius Rospiliosus Balivus omnium erat Imperator; Comes Vivona Gallicas administrabat, Melitæus Eques Clemens Accarisius in suas gerebat præfecturam. Classis hæc universa quinto Nonas Julii in Diæ insulæ portu defixit anchoras; & inde Rospiliosus, & Vivona, ægrotante Accarisio, celocibus advecti Candiam advenère. Hos Maurocenus, Mombrunus, & clari bello proceres multis humanitatis, lætitiæque signis editis complectuntur: qui post exploratum urbis statum in propugnaculis præsertim Sancti Andreæ, & Sabulonariæ à Turcis maximè oppugnatis, Diam iterùm regressi sunt. Visirus his recentibus auxiliis ad iram magis incitatus continuò suis imperavit, ut novos deducerent aggeres, cryptas effoderent, in tumulis obsidionalia tormenta, singulis horis exploderent; ac per transversa sepimenta in muros, in munitiones irreperent. Tantam suadebat diligentiam; ne cunctando, victoriam, quam de quassata urbe brevi se adepturum sperabat, auxiliares manus eriperent.

Plures dies, & vsque ad Julii exitum, vario, & obstinato bellandi genere insumpti sunt: quia nostri ad propugnationem expediti, & Ducum aspectu, atque cohortatione excitati, stationes suas quisque occupabat, & nescii despondere animos, cùm omnes pro Republica, pro Religione mortem oppetere statuissent; Turcarum irruptiones compescunt igne, missilibus, gladiis; at non sine utrinque jactura, & sanguine: dum dimicantium alii ascendere, alii detrudere adnitentes feralia arma miscebant, & frequentes oriebantur cædes. Præter hucusque gesta, in Concilio Candiæ habito fuit decretum, ut universa classis auxiliaris, ac Veneta, conjunctis navibus, è Dia in Candiæ conspectum se daret: & in dimidiatæ lunæ similitudinem explicata, signum expectaret à Rospiliosi summi Ducis Prætoria; quo accepto omnes uno impetu, & in Turcica munimenta majores bombardas disploderent, & acies terrestres in eadem irrumperent. Porrò Turcæ ubi viderunt in sua damna tot navium, triremiumque puppes tendere; illicò cuncta bellica instrumenta in appropinquantes contorquent: ac ne propè accederent ductos in littoreis aggeribus cuniculos incendunt. Tunc singulæ nostrorum triremes, & naves tormenti maximi explosione monitæ, extemplò ingentem pilarum vim per tres horas excusserunt, quarum horribilis boatus, & fremitus, mugiente ponto, & solo resonante, hostes valdè exterruit, & immanes globi in castra grassantes, flammis, & ruinis multos obruerunt. Sed eruptionem eodem tempore decretam cum decem militum millibus retinuerunt discrepantes Novalea, & Maurocenus. Ille postulabat ex Venetis quatuor millia qui suis præcederent irrupturis: hic nunquam adduci potuit, ut urbi præsidia detraheret. Hæc inter centum ac quinquaginta Germani, & Galli, aliis subsidentibus, in unum conglobati exiere; at quia magis ad exploranda hostium facta, quàm ad manum conferendam; à Turcarum turmis intercepti, ferè

om-

omnes obtriti sunt. Ex his,quæ Galli terra gesserant,& quæ mari tentarant classes,ubique audaci animo; sed parvi momenti exitu,& non modico detrimento; cœperunt obsessæ vires languere,Turcicæ verò ferociores reddi:& auctæ subsidiariis incrementis, quia ab Græcia, & Asia nullo loco infesto mari, Cydoniam commeabant navigia; acriùs in dies frequentabant impressiones: continuabant verberationes, quassatisque aggeribus defensiones curabant amoliri; & sibi aperire accessus non minùs ad Sancti Andreæ, & Sabulonariæ propugnacula, quàm ad navalia: ut interrupto commercio, nullum ultrò citroque excurreret auxilium, tum substructis fornicibus, & pulveri tormentario quo erant impleti injectus ignis per decidentium ruderum tumulos ascendentes in munitiones tormentum unum abripuerunt,& præsidia disturbarunt. Maurocenus quà viribus,quà ingenio ad ea versus mare tuenda solicitus curam illam Comiti Valdechensi, & ejus turmis; quæ verò contrà prospectum habebant à terra Equiti Grimaldo commendavit. Visirus interim omnibus in locis præsens erat: igitur adversus maritimas stationes observantem,validum immisit agmen. Aggressus præsidium primo impetu cognovit illud expugnatum iri, cui major metus,& confusio,quàm pugna fuit objecta. Dum Comes contendit intrepidè,ne sui timerent oppositos, ex accepto in dimicando vulnere haud multos post dies interiit. Amissis in pugna dari supplementum oportebat;hoc Maurocenus ab Novalea obtinuit; & ea propugnaculi pars, quam Turcæ nitebantur invadere, strenuè defensa est, quamdiu Galli ibidem habuere stationes. Hoc loco Candiæ res erant, & quia Turcæ novis operibus illam ita sepserant, ut brevi esset ruitura; Maurocenus vocatis ad concilium Præfectis auxiliariis,& Venetis Chiliarchis; omnium exquirit opiniones:an ad exturbandos hostes ab urbe, cui incubabant,altera opus esset eruptione: quam si probarent, tria peditum millia Gallicis agminibus jungenda offe-

rebat. Dissensit Novalea cum veteranis immiscere tyrones, & gregarios, ostentabat ab eventis usque adhuc satis probatam in urbis propugnatione bellicam Gallorum militum audaciam, & Ducum strenuitatem: omnes fortiter prœliando invenisse mortem fermè trium millium strage propagatam: non esse cur ampliùs attriti exercitus reliquias internecioni exponeret: instare tempus sui regressus in Galliam, quod sibi in Creta assignatum prorogari non poterat. Hæc dicenti, & discessum meditanti summi militiæ Præfecti ponebant ob oculos proximum afflictæ Candiæ excidium si Gallica deficerent præsidia, in quibus, & urbis salus, & universæ Christianæ Reipublicæ tutamentum consistere videbatur. Cùm verò nullius acquiesceret voto, & nocte integra altercando disceptatum esset: ex aliorum sententia statuitur: si vires faciundis eruptionibus non suppeterent; effodere intra mœnia recentes aggeres, loricas obducere, tutiora moliri refugia; & donec ab Senatu parata subsidia, ea ducente Antonio Bernardo; & Mirandulæ Principis venirent suppetiæ; hostiles aggressiones remorari tormentis, jaciendorum ignium machinis; districtis gladiis, hastarumque pulsibus retundere impetus. Quoniam verò ad interna opera excitanda impar erat Venetæ militiæ nervus assiduo labore fractus, rogatur Novalea, ut saltem aliquam operariis adderet opem, & augeret robur, quod opus festinaret: sed ille hoc etiam se facturum abnuit; causando commissi reditus imperium ad Regem; cujus mandatis jam paruerat; & quòd ipse per se in suscepta expeditione abundè suo muneri satisfecerat.

Destinato profectioni die, XIV Kal. Septembris mandavit Novalea recolligi milites, navibusque imponi, præter sexcentos, quibus erat assignata statio, donec alias Venetus Imperator excubias subsisteret. Sic deseritur, cùm magis opis egeret: tamen non inops animi, neque consilii, disponit præsidia, & ad signum canentis classici quotquot

erant

erant in urbe, eo audito promptissimi, sumptis armis, ad loca hostibus opposita concurrerunt. Ita recensuit, ac recognovit, quas haberet vires: porrò tam debiles, atque enectas vigiliis, laboribusque, ut ostentatæ pro mœnibus ægrè repulissent inimicos. Cruciabatur præterea expectatione publici subsidii, quod Marcius Procurator Bernardus Venetiis digressus erat allaturus; quod proximum opinatus, conspectis haud procul navigiis, speculatoria quam dimisit, retulit, ea esse Mirandulæ Ducis, & Diam propè adventasse: ex quo nuncio suam auxit fiduciam tuendi parumper obsessam urbem. Visirus, cui præsentis auxilii fama pervenerat: & Gallorum audierat recessum, celer in consilio promovit omnia machinamenta in Candiam tum facillimè expugnandam; cujus præsidia erant imminuta; & nondum intromissæ subsidiariæ manus. Idcircò cum potiori exercitus robore in toties impugnatas munitiones redintegrare conatus deliberat. Ex veteranis, qui nuper auxilio venerant, decem millia selegit; sex in Sancti Andreæ; quatuor in Sabulonariæ propugnacula, qui validissimas darent impressiones. Maurocenus ab nocturno exploratore præmonitus, quæ esset Visiri mens; extemplò hortatur duces, & milites, ut accurata diligentia ea munimenta custodiant, & pugnando edant suprema bellicæ virtutis gesta. Nox tota vigilata est; & nihil prætermissum repulsandis hostibus opportunum. Ex propugnaculis, quibus Turcæ avidiùs inhiabant, illud Sancti Andreæ obtigerat Equiti Grimaldo: qui in ejus defensione attentus, cuncta ex militari disciplina paravit, & ob missilium defectum altum suffodere jussit cuniculum, qui centum sulphurei pulveris cados occuleret. Laudatus à Mombruno (ubique excurrente, & indagante, ne quid sinistri ex incuria contingeret) hostem infracto animo expectabat. Alterum Sabulonariæ tuebatur vigilans Imperatoris studium: Insulæ quoque Rector, & peritissimi rerum bellicarum viri in ejusdem custodiam sedulò incum-

cumbebant. Adversum hoc propugnaculum vigesima quinta Augusti die post meridiem Turcæ majora tormenta exonerant, quorum vehemens impetus summum præsidiariis horrorem incussit: eodem momento, dum perterritos Maurocenus confirmat, ingens etiam strepitus, fremitusque illum admonent Sancti Andreæ munitiones irrequietis bombarbarum ictibus verberari: Ubi igitur omnia circùm fragoribus, & ululatibus remugiunt, à nostris pugna suscipitur, quam Turcæ arte elaboratis ignibus, glandibus, pilis, jaculis, sagittisque deposcebant aggressi Sanctæ Pelagiæ munimentum, quod occuparunt: præsidiarii, pauci numero, non observato Grimaldi jussu, ut post explosos manuales tubos in refugia se reciperent, ab condensa acie, cui repugnare temerè ausi sunt, dissipati, & concisi fuere. Proxima Brunsuichia statio, viso discrimine cœpit trepidare. Turcæ verò audaces efferre animos cùm interiores munitionum receptus conniterentur invadere. Sed propiùs admotos, & conantes ultra perrumpere, prohibuere tormenta in fronte, & à lateribus collineata: horum crebra percussione multi cadebant cæsi, & vulnerati: ac sæviente minutarum glandium nimbo ruebant dejecti à propugnantibus adhuc obstinatissimo certamine. Tandem visi sunt hostes dubiis hærere animis, & abnuere in pugnam rursus descendere: hos ita fluctuantes conspicatus Grimaldus, è vestigio accersitis voluntariis, quibus se subsidiarium præbuit, jussis equitibus desilire in pedestrem concertationem; & vocata in auxilium Melirensi acie, cui plurimùm fidebat; acriter aggreditur, quos etiam Gabriellius Chiliarcha cum suis, & Brunsuichiis turmis ferociter invadit. Hinc altera pugna, & quidem tumultuaria; at hostibus valdè cruenta; quia undique circumsepti, & innumera globorum tempestate penè contusi; major eorum pars interfecta est, exigua nostrum jactura: & qui fugerant in tentoria omne spreverunt suorum Ducum incitamentum, ut redirent, & prælium instaurarent.

rent. Per hæc quædam munimenta à nostris recepta sunt: quædam à Turcis retenta; ea præsertim, quorum prospectus in maritima: vbi eorum multi convenerant, & ingenti suscitato igne aliquod insolitum facinus videbantur moliturі. Maurocenus illuc festinato cursu progressus, jubet parato pridem cuniculo injici flammas: qui optato eventu proscissus latam dedit ruinam, & stragem. Visirus ubi intuitus est suos, quos increpabat timoris, & ignaviæ, omni vi, & ingenio ab aggressionibus summoveri, & occidi: totis viribus enititur, ostentata audentibus spe certa victoriæ, in altera Sabulonariæ propugnaculi oppugnatione. Tum experturus quod virium, quod roboris habebat, rursus aggeres subire imperat, molientibus ascensum præmia destinat; recedentibus minatur neces: omnes hortatur ad pugnam; nulli in castra daturus reditum, edicit, nisi expugnato propugnaculo, in quo rerum summa vertebat. Ab initio commissi conflictus, Barbaris depulso à protectoriis aggeribus præsidio quoddam fortunæ jubar affulsit; hoc tamen meliori fato citò disparuit. Succedunt subsidiarii Galli adhuc manentes in stationibus, & Allobroges: ingruentinm impetum fortiter excipiunt: & quos compellebat Visirus, ut audaciùs sese inferrent; egregiè pugnata pugna propellunt, mactantque. Cæsorum non exiguus fuit numerus: at omnis in bellis jactura Turcis mediocris est: quippe aliis alii integri, & alacres succedebant. Nostris nihil horum suppetebat; unde magna erat difficultas subrogare defessis, & fauciis sanos, ac valentes. Quæ supervenere Mirandulana subsidia parùm opis attulerant: de mille quingentis militibus sexcenti excenderant, reliqui variis morbis inter navigandum consumpti perierant, hos paucos Maurocenus statim substituit stationarios in locum abscedentium Gallorum. Hi ab Candiæ castris noctu demigrarunt: cum ipsis recesserunt Voluntarii: quingenti etiam à Republica mercede conducti:

cen-

centumque ex remigibus, qui furtim Gallicis turmis immisti latebant: & omnes ingressi naves Diam profecti sunt. Questis de injuria, & reposcentibus fugitivos, ab Novalea factum ignorante, quadraginta tantummodò restituuntur Itali, & Germani, qui ut se omnino occultarent, vel ingenio, vel favore caruerunt.

Candiæ deditio,
Pax.

MAurocenus multis circumventus angustiis; quoniam discedentibus Gallis, Pontificii, ac Melitenses cogitantes recessum Diam proras converterant, sæpiùs anxius animi volvebat quo remedio deploratis rebus succurreret: quo molimine assultanti hostium potentiæ deinceps repugnaret, exutus externis auxiliis; & omni spe publici subsidii. Habito suorum delectu reperiit quatuor tantùm millia numerari ad arma idoneos, & hi quotidie indefessis vigiliis, atque concertationibus imminui. Igitur indicto Concilio vocat omnes, qui maritimæ, qui terrestri militiæ præsidebant, ut proferrent, aut voce, aut scripto quæ de præsenti rerum statu sentirent: unusquisque ad sua consilia tendebat. Aliqui enunciarunt brevi lapsuram urbem ob propugnantium paucitatem: nullam esse repulsam repetitis hostiũ aggressionibus: majora labefactata propugnacula, quassa, & penè diruta: à Sabulonaria ad Navalia obductas munitiones; impedita portus commercia: unde maturatò opus esse aliquid deliberare in rerum apice ultima decernendo. Qui fortunam ponderabant eventis, dixere opportunè cum Visiro agendum esse de Candiæ deditione; ne cum civitate vi capta, simul cum ipsa victor hostis alias arces, & insulas interciperet; Nonnulli malebant usque ad extremum spiritum tolerari obsidium, ac sub cadentis urbis ruinis tumulari: non alius finis futurus erat defen-

sori-

foribus illustrior; quamvis factum appareret è re Principis damnosum: ita Grimaldus cum Minio Conquisitore abhorrens à deditione, cùm proprium sit Turcarum institutum fidem non servare. Suadebat traduci in naves nocte obscura, & quieta inutile vulgus, & impedimenta; & in classes omnis militia: quo facto, tum ignis per pulveris nitrati semitas decurrens cuniculos ubique dispositos uno tempore succenderet. Prosilientes flammæ inopinato, ac terribili strepitu universam urbem concuterent; fumo, incendiis, ruinis involverent: terrerent hostes formidine, & aspectu sibi pro victoria relictum fuisse devastatæ civitatis informe bustum. Mombrunus laudavit fortes animos ad generosum facinus, verùm hoc exitu difficillimum arbitratus est: non poterat Turcis urbi incubantibus celari ea transmigratio: ac propterea quod de tacito, nocturnoque trajectu; deque civitate inflammanda, dictum fuerat, vix tutò exequi posse. Huic opinioni favens Maurocenus sua auctoritate; quia pendebat à fortuna semper adversa, non minùs discedendi, quàm navigandi securitas; censuit paciscendum de deditione cum Visiro, quem credebat pertæsum diutinæ obsidionis, & moræ procul Constantinopoli, ubi illum æmuli insimulabant cupiditatis, & pigritiæ. Tandem sedatis quorumdam altercationibus, qui primò ambigebant, Imperatori adhæserunt affirmanti ex deditione minus damni, detrimentique publicis rebus importari. Decretum cogente necessitate, visum fuit indicari Auxiliariis hucusque Diæ in portu expectantibus ventorum tempestatem: & cum eis precibus agere, ut, dum tempus est, opem afferant, missis tribus militum millibus, qui ferè totidem adjunctis operariis, in excitandis subducta humo novis receptaculis se exercerent: quo perfugio haud erat difficile Candia diutiùs servari. Nullum auxilium, nec quidquam aliud fuit impetratum ab iis, qui obtentu solicitæ velificationis pandere vela in occidentem constituerant. Itaque Maurocenus cùm acriùs per

Ttt sin-

singula momenta urgeretur auxiliorum incertus, aut ab alienis, aut à propriis viribus, eò celeriùs suum edixit deditionis propositum formula notis exarata, cui cum cæteris Præfectis,& Chiliarchis subscripsere Grimaldus,& Minius; ne ab Imperantis voluntate dissentirent. Hoc capto, probatoque consilio dedendæ urbis ad explorandum Visiri animum duo delecti sunt viri prompto ad omnia, sagacique ingenio Thomas Anandus Anglus, & Stephanus Scordilius. His datur in mandatis, ut Quarto Kal. Septembris primo mane Iophyri litus radentes in hostium conspectum album vexillum extollerent: Interrogantibus quid vellent, se missos dicerent ad paciscendam concordiam. Obvius occurrit Achmetus Aga, Visiro carus; sed illos de pace agentes; non tradita urbe, superbo fastu rejicit; minaturque dira, si rursus sine ejusdem libera deditione auderent accedere. Illi nihil profectò extimescentes denuo regressi sunt; cum ipsomet Aga colloquuntur; postulant illa pacis pacta, de quibus actum fuerat ab Aloysio Molino Legato: rogant hæc referri Visiro, qui sciret Candiam vi vim adhuc strenuè posse repellere. Attamen si dederetur; quid Visirus ex æquo rependeret, hoc primùm oportebat pacisci. Ad hæc Aga ex mente Visiri retulit; dimissa Candia, Rempublicam optimas securæ pacis conditiones; & æquabilem compensationem esse consequuturam. Super his acturi de concordia ultrò, citroque Palæocastrum usque commeabant: verùm quia maritimum illud castrum congressibus valdè erat incommodum, ac plenum periculi; decretum fuit, ut deinceps ii haberentur in tentoriis ponendis ad Sancti Demetrii propugnaculum: nemine de loco discrepante, neque de Internuntiis Anando, & Scordilio; qui ob ejus viciniam commodiùs ad Concilium referri poterant, quæ gererentur: Interim Auxiliarii Pridie Kal. Septembris contorquentes proras in occiduas plagas Candiæ vale dixerunt: Qui verò ad stabiliendas pacis conditiones à Mauroceno delegati fuerant; & delecti

à Vi-

à Visiro Hibraimus Aleppi Bassa, Achmetus Aga cum aliis è Turcarum primoribus, suis in opinionibus discordes plurimùm altercati sunt. Turcæ reposcebant bellicos sumptus; exacta ab Ægeis insulis tributa; atque ut vectigales essent Tenus, & Cythera: Clissam insuper, cæteraque castra in Dalmatia occupata, Nullam dicebant pro Candia posse fieri permutationem, quam Leges Mahumeticæ vetabant, ubi extructæ essent Mesquitæ. Veneti referebant non congruere cum promissis ea postulata; quibus si obstinatè inhærerent, evanescebat omnis transactio: non esse injustum, quod paulò antè Aloysio Molino despondeant dimidiatam Insulam, Enandiam, Cythæum, & Hierapetram, Mesquitas tunc habentes, ubi Candia dederetur: neque alienum ab honesta ratione dari in commutationem quæcumque præsenti bello Respublica in Dalmatia, & Bosnia conquisierat loca; & eorum confines agros: hanc petitionem Grimaldus suggesserat. His auditis cum indignatione, & ira nostrum audaciam procacibus verbis deridebant; quòd talia temerè præsumerent, quæ non ausi essent requirere, si totus Occidens armatus ad eorum auxilia cucurrisset: nunc agi de oppido viribus, & ope destituto, & penè debellato. Abirent itaque, & nihil sperarent ampliùs de pace, subigendi victoris arbitrio. Sed Anandus dicta refellens magna animi libertate, & constantia, affirmabat adhuc vires suppetere, innumera parari subsidia, adornari classes, & Candiam de se nō pertimescere: Visiro omnia hæc nunciarent; ne in obstinatis disceptationibus tempus tereretur. Tandem Quarto Non. Septembris convenere; ut Visirus intelligeret, absq; aliqua permutatione non esse Candiam dedendam: & Maurocenus agnosceret in postulationibus Turcarum pertinaciam: Nox integra tenuit Concilium variis agitatum sententiis; hęc tamen vicit; ut nihil omnino remittendum esset de præsenti statu, sed cum ipso urbis tutela, communis salus, & existimatio maneret inconcussa. Postera die quinta eiusdem mensis,

diluculo, ad tentoria reditum est; ubi Turcæ aliud opinantes responsum ab eo, quod audierant, superbi, & iracundi nostros suis minis terrritare putabant. Exinde ad urbis custodiam sedulò vigilabatur; quia hostes vi conantes extorquere deditionem in munitiones recenter compactas decem majora tormenta attraxere; quorum ingentibus globis, & magni ponderis saxis è mortariis in ædificia collibratis per aliquot horarum spatium urbem lacerarunt. Maurocenus, ubi insolita machinarum tonitrua fremebant, ocyùs procurrens duobus è cuniculis, abundantissima nitrati pulveris copia infertis ignem admovet, quo illi subitò eructantes ab internis visceribus flammas; incendio, fumoq; involutos ab occupatis aggeribus excutiunt alios; alios inter rudera præcipitatos exanimant. Turcæ hoc moniti experimẽto in Venetis non refrixisse animos, & vires; ad paciscendũ proniores coivere iterùm in tentoria; & cum destinatis à Mauroceno, decreverunt Nonis Septembris de dandis obsidibus tribus numero ab utraque parte, genere, & existimatione claris; deq; conditionibus scripto exprimendis. Maurocenus habito super re tanta Concilio; statuit illas à Grimaldo componi; qui sine mora susceptum munus accuratissimè explevit. Inter pacta, hæc pręcipuè exarata sunt. Candiæ urbis deditio in Primi Visiri manus, cum omnibus, quæ in ea extabant, impedimentis ante belli exordium. Reipublicæ certa, stabilisque possessio littoralium arcium in Insula; Spinalongæ, Garabusarum, & Sudæ. Clissæ pariter, & oppidorum cum adjacentibus agris, quæ in Dalmatia, & Albania sibi armis conquisierat. Duodecimo à constituta pace die, adversa tempestate non impedita, demigrarent ab urbe universa militia, incolæ, qui vellent; ac quicumque alii in ea degentes: & in naves, triremesque ad littora cum libero appulsu traducendas imponerentur armamenta omnis generis belli causa deducta in Insulam, commeatus, quęlibet impedimenta, resque tum sacræ, tum profanæ ad publicos, vel

pri-

privatos usus spectantes. Venetę classes tutissima fruerentur statione in Diæ, aut aliis portubus, donec tempus captarent navigationi opportunum. De captivis libertati restituendis, tum esset agendum, cùm Venetus Legatus Constantinopolim adiret. Dimittendos fore in pristinum statum illos, qui Reipublicæ auxiliati essent; qui honorario militiæ titulo sumpsissent arma; & qui adversis partibus in bello deservissent, his dandam esse veniam. Hæc presertim de pace scripta, postquam super singulis habita longa consultatione Visirus approbasset; de obsidibus agi cœptum est. Pro Venetis ob fidem dati sunt Faustinus Ripa Legatus; Joannes Baptista Calbus Conquisitor, & Zacharias Mocenicus, qui Ducis nomine rexerat Insulam: & Mauroceno transmissi Beblirus Assanus Bassa; Prætorianorum militum Præfectus Achmetus Aga, & Gajus Bejus Romeliæ Thesaurarius; omnes magni nominis viri. His intra decimum diem peractis, & receptis utrinq; obsidibus Anandus, & Scordilius primo vespere ad Visirum profecti humaniter fuere suscepti; Salutatus Mauroceni nomine, eidem jussit reddi mutuam salutationem; & gratulari, qui sua virtute, & constantia mercatus esset; dedito oppido ad extremum proximo excidium, suæ Reipublicæ pacem, & Othomani Regis amicitiam; deinde bina conceptę pacificationis exempla; alterum Italica, Turcica alterum lingua digesta fuere subscriptaq; & regalibus sigillis obsignata; posteà Visirus dimissos Anandum, & Scordilium, vestibus vario textis colore donavit. VIII Idus Septembris divulgatus confirmatæ concordiæ rumor, proclamata securitas, & ab armis cessatio, extemplò in lætitię signum reboare tormentorum fragor exauditur, & inter turbarum, tympanorumq; clangorem, & strepitum personare in utrisq; exercitibus voces, & plausus confecti belli, & restituti commercii. Cæterùm ad implenda quæ fuerunt statuta de profectione, singuli Duces, quorum unus Comes Franciscus Sylvaticus, qui cataphractorum ductor multa

dedit prudentiæ, ac fortitudinis documenta, tum ad Cytheram, Cydoniamq; tum in propugnandis ex mandato Panigrę,& Sabulonariæ propugnaculis,atq;ita inclaruit,ut Candię civitatis,cùm magis fervebat obsidio,Gubernatoris titulo meruerit insigniri; & deinceps ab Senatu ad alias armorum in urbibus Præfecturas promoveri: sedulitatem maximam adhibuerunt cupidi exire quàm primùm à Barbarorum conspectu. Nullus enim expertus se credebat hosti tot anteà vicibus in præteritis bellis fœdifrago. Mombrunus,& Grimaldus præcipuè destinati ad accelerandos commeatus summa cura, & ordine intra præfixos dies universam militiam,impedimenta omnia,diu noctuq; satagentes in naves imposuere,quas etiam conscenderunt cives, & incolæ utriusq;sexus:vestales, sacrisq; addicti viri cupientes degere sub miti Reipublicæ regimine, execrando Turcicum, cui proprium est,dedititios pro vilissimis mancipiis habere. V Kal. Octobris tanto silentio fuit deliberatus discessus, remanentibus in urbe duobus Græcis,qui Pappi vocantur,Iudæis tribus,& una muliercula;ut celeritate haud credibili stupentes Turcæ dubitarent subesse fraudes,adhuc cuniculos, militesque ad inopinatas eruptiones,& ruinas latere. Verùm certiores facti de migratione; & quòd suspecti doli, machinæ, & fallaciæ omnino abessent, adducunt ad Visirum Pozzoburgium acierum instructorem, qui humili cum obsequio eidem deditæ Urbis claves detulit,atq;ea,quæ ex pactis pręstanda erant, optima fide complevit laudatus à Visiro, & cũ serica veste sexcentis nummis aureis donatus. Octiduum pòst,IV Nonas Octobris, die Veneris in Candiæ possessionem Visirus triumphantis more ingreditur,cui concrepantibus tympanis, clangentibus tubis; nec non tormentis reboantibus,lętis circumquaq;vocibus Turcę gratulari victoriam,augurari vitam, felicitatem portendere, & in recepta Candia ominari totius Cretæ Othomanico Imperio subjectionem. Hæc vltima triennalis obsidii tempestas triginta

septem

septem Turcarum millia protrivit. Et Maurocenus, qui arces, & castra, quæ Reipublicæ reliqua erant in Insula Battaleæ Legati curæ, & vigilantiæ commiserat, paratus ad navigandum nuncium à Visiro accepit referentem nullo umquam tempore sancitam pacem fore violandam eo incolumi, & stabili in gratia sui Regis, & auctoritate, qua supra cæteros in Aula pollebat. His promissis Venetum Imperatorem in patriam redeuntem prosequi voluit: at quamdiu erit duratura sponsio in unius vita facta, & quæ futuri securitas, nempe apud eos, qui pro nihilo ducunt fidem prodere, in simulatione officii celare insidias, & quolibet obtentu omnes amplificandæ dominationis occasiones arripere! Intereà adventum Mauroceni, qui per hos dies XII. Kal. Octobr. ab Senatu inter Marcios Procuratores extra ordinem, & supra numerum, fuerat cooptatus, fama præpeti volatu prævenit, & in vulgus dilapsa rumorem excitavit Candiæ deditæ, & pacis initæ cum Turcis. Vox hæc popularis vario affectu accipiebatur: illam alii vanam, mendacem, nullique veritatis fundamento innixam deridebant: alii existimabant non hominum esse, sed potiùs superum oraculi; neque temerè contemnendam: quod paulò pòst probavit eventus. Dum enim pro se quisque omnes suam confirmare opinionem contendunt; nunciæ litteræ afferuntur, quæ rei gestæ seriem exponebant. Maurocenum fatali veluti coactum necessitate; facta Candiæ deditione iis conditionibus, quæ de Consultorum consilio pro Republica visæ sunt honestiores, pacem cum Turcis transegisse. Atque eo quidem tempore, quo extrema non erant expectanda; quia nullæ ampliùs vigebant vires præpotenti hostium robori pares: hæ quotidie in propugnantibus laceræ, & imminutæ languoribus, cædibusque reddebantur ad repulsandas aggressiones invalidæ: hujus tertii anni asperrima obsidionis acerbitas militum duodecim millia, & sexcenta consum-

pse-

pserat cum duobus Patriciis Cornelio, & Quirino, ac sexdecim clarissimis armorum Præfectis, (quorum nomina ad memoriam posteritatis insignia, summis præconiis ab aliis concelebrata nunquam interibunt,) præter bina Gallorum millia cum Belfortio Duce interempta. Auxiliares classes conspecta urbis proximè labentis deplorata conditione suum maturarunt discessum: festinantis Novaleæ exemplo non solùm Pontificiæ, sed etiam Melitenses, quorum causa Respublica præsenti bello vexata fuerat. Externæ quoque copiæ ne ruituræ Candiæ obruerentur ruinis verterunt solum. Cùm igitur obsessis spes omnis auxiliorum terra marique occidisset; Turcica classis, cui nemo erat qui resisteret, ultrò, citroque absque metu pervagabatur Ægæum; ac uberes in obsidionalia castra commeatus, & impedimenta convectabat: Veneta subsidebat in portu vacua epibatis, remigibusque, qui à maritimis excursibus vocati ad terrestres concertationes, & opera, deficientes supplebant. At postquam hostis magno virium incremento auctus majora cœpit audere facinora, munitiora propugnacula invadere, ea insidere, jamque mediam in urbem irrumpere: tum Maurocenus omnem cunctationem arbitratus exitiosam deditionis consilia maturavit. Si hostilibus armis Candia subigebatur nullum non genus crudelitatis victor Turca exercuisset in captos: aditus ad effugia, ad navigationem libertatem eripuisset; classibus interceptis, & maris potitus arbitrio cæteras Mediterranei insulas Zacynthum, Cephaleniam, Corcyram exterruisset; ipsis Venetis æstuariis incusso pavore: Quare optimo è re nato consilio censuit exequi quæ magis videbantur è dignitate, atque utilitate Reipublicæ: hæc in mandatis habuisse dicitur: ac tempori cedendum cùm esset, omnem excludere procrastinationem; quia vel dies unus intermissus, vel nox una interposita, cuncta sæpè perturbat. Non à

Patri-

Patribus alia mandata expectare potuit, ex diſtantibus locorum ſpatiis importunè afferenda: non Aloyſio Molino referre eam, qua opprimebatur, neceſſitatem, Viſiro nunciorum tranſitum prohibente. Igitur ad extrema reddactum opportunitas, quæ ſe objecit publicæ, privatæque ſecuritatis, compulerat in deditionem, & pacem: Hanc Senatus præſentia conſiderans, ac proſpiciens futura, plenis ſuffragiis approbavit; & Dominicus Contarenus Princeps piè perſolutis votis divinitus redditam teſtatus eſt. His itaque geſtis Franciſcus Maurocenus declinata obtrectantium æmulatione, & invidia in attributo ſibi jure, ac merito Procuratoriæ dignitatis ſplendore, illuſtriorem ſuæ fortitudinis, & prudentiæ famam in omnium voces extendit. Et verò ſi quis æquus rerum æſtimator accuratiùs expendere voluerit conditiones conſtitutæ pacis, poſt atrox, & diuturnum bellum, judicabit is, Senatum Venetum non ab hoſte hanc accepiſſe, ſed illi potiùs dediſſe.

FINIS.




BIBLIOTECA NAZ
ROMA
VITTORIO EMANUELE

